


37340/B

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30523965

BARTHOLOMAEI de MOOR

VERIS OECONOMIAE ANIMALIS,

seu potius

HUMANAE, PRINCIPIIS INNIXAE

PATHOLOGIAE CEREBRI

DELINEATIO PRACTICA:

in qua,

MORBORUM SOPOROSORUM,

per notas characteristicas,

DISTINCTIO:

nec non

SPASMORUM

ACCURATIOR DISTRIBUTIO

traditur.



AMSTELAEDAMI,

Excudit GERARDUS BORSTIUS, Bibliopola.

cIↄ Iↄ CCIV.

304403



Nobilissimis & Splendidissimis

ACADEMIÆ LUGD. BATAVÆ
C U R A T O R I B U S

D. Jacobo Baroni de Wassenaer,
Toparchæ in Obdam, Hensbroek, Wochmeer, Spierdyk, Zuidwyk, Kernchem, Twikelo, Lage &c. Ordinis Equestris Nobilium Hollandiæ Primicerio, ut & regii Elephanti in Daniâ Socio, Equitatus fœderatarum civitatum Præfecto, Sylvæ ducis & arcium ejus Gubernatori, ad Potentissimos Poloniæ & Borussiæ Reges, ac Serenissimum Electorem Hanoveranum, pluresque Germaniæ Principes nuper Legato.

D. Huberto Roseboom, JCto,
Toparchæ in 's Grevelsregt, & Supremæ Hollandiæ Curiæ Præsidi.

D. Hermanno van den Honaart, JCto,
Viro Consulari urbis Dordraci, ejusque caussa in delegatos Præpotentium Hollandiæ Ordinum allecto, Aggerum Alblesserwaerde Comiti.

UT ET AMPLISSIMIS GRAVISSIMIS

Post varias dignitates Hagæ vel Amstelædami Consulari nomine administratas, nunc denuo.

URBIS LUGDUNO-BATAVÆ
C O N S U L I B U S

D. Conrado Ruysch, JCto, & præsidi.

D. JACOBO VROMAN.

D. ARNOLDO WITTENS, JCTO.

D. JOHANNI ELEMAN, JCto.

& *Consultissimo.*

D. JOHANNI van den BERG, JCto,
Viro Consulari Illustribus Curatoribus à Secretis.

BARTHOLOMAEUS de MOOR
S. P.



Raxin medicam, humanarum artium utilissimam, praecedenti seculo à nonnullis illustratam, ab aliis pessimè ha-

habitam, ſuo nitori reſtituere, in tranſitu præjudicia quædam Philoſophica evellere, ſum aggreſſus. Opus non minus utile ac neceſſarium, quam ingens & arduum. Quis enim facile omnes, ſub ſpecioſâ ſeſe occultantes larvâ, errores detegere? Quis loco falſarum opinionum veritatem exactè perſpicere, eamquè ita proponere valeat, ut nequaquam repudietur? Hæ cogitationes non ita difficulter à moleſto hoc ſcrutinio me abſter-

rerepotuissent, nisi ΔΥΣΚΟΛΑ ΤΑ ΚΑΛΑ *existere, jam dudum monuissent Antiqui. Excutiendus itaque fuit veternus, & difficultas calcar subdere debuit aliquid audendi. Ea est veritatis vis, ut non tantum præjudicatas evellat opiniones, sed & assensum extorqueat. Tantâ sum usus animi moderatione, adeo claram in partes vocare conatus sum demonstrationis evidentiam, ut de felici successu aliquam conceperim mente opinio-*

nionem. Non eſt tamen ea temporum felicitas, non is hominum candor, ut veritas nuda ficticiis præferatur opinionibus. Non omnes aliorum conatuum ſunt æqui cenſores. Advocandus ergo erat, more hoc tempore uſitato, aliquis Patronus. Cum autem, quem eligerem potiſſimum, dubitarem, opportunè Vos *occurriſtis* Viri Illuſtres, *quos reliquis omnibus præferendos eſſe judicavi. Qui Patroni meliores, quam hi, quorum ſa-*

pien-

pientiæ & prudentiæ Patriæ Patres, curam Universitatis, toto orbe inclytæ, demandandam judicaverunt? Vos eâ estis humanitate, ut, benè de studiis mereri conantes, benevolo soleatis excipere vultu. Vos adeo in Medicinam propenso estis animo, ut ad hanc publicè docendam evocaveritis Viros eruditione conspicuos, longo praxeos usu expertes, famâ claros, numero plures. Suscipite ergo patrocinium hominis, qui in mate-

te-

teriâ difficillimâ, facem juniori-bus præferre conatur. Quod si Vos per otium hæc meâ inspicere, atque opinionibus album adjicere calculum volueritis, nullus dubito, quin plures in meam ituri sint sententiam. Valete V. J. & Patriæ, Academiæ, Familiis vestris vivite diu felices, inclyti. Iterum Valete.

BENEVOLE LECTOR.

NOn ſcripturientis ſeculi intemperies, non vanus inclareſcendi ardor, non alios inſectandi proterva libido, non nova dogmata protrudendi veſana cacoethes; ſed de Medicinâ benè merendi, & proximo inſerviendi ſtudium, me ad editionem qualiſcunque hujus operis impulerunt. Vidi diu & dolui, muſteas & pravo nixas fundamento in artem eximiam irrepſiſſe opiniones: vidi ſatis latè ſerpſiſſe contagium: itaque cogitandum fuit de remedio, & medicinâ Medicinæ adhibendâ. Non exiſtimavi aliter vanas, lubricas, præjudiciis variis innixas, imo & noxias opiniones, poſſe evelli, quam ſi vera, ſolida, è praxi petita & praxi accommodata omnium ſubjicerentur oculis dogmata. Qui accuratius ea, quæ apud practicos occurrunt, examinaverit, is facile animadvertet, ficulneis pleraque quæ traduntur, innixa eſſe fundamentis. Ita non pauci ſcripſerunt quaſi in praxi planè eſſent hoſpites, quaſi eam à limine vix ſalutâſſent: ego ita ſcribere ſum conatus, ut omnibus fieret manifeſtum, me praxin non oſcitanter exercuiſſe.

Non ſum is, qui adeo mihi plaudam, quaſi ego ſolus omnes evellere zizanias, omnes corrigere nævos, potuerim. Novi plurium requiri operam, novi veritatem temporis eſſe filiam, eamque non niſi ſenſim in apricum proferri; verum eſt aliquid glaciem frangere: eſt aliquid, aliis ad altiora contendentibus addere calcar: eſt aliquid, aliis exemplo præire.

Quemadmodum enim de re Anatomicâ & Botanicâ optimè meruerunt illi, qui ea, quæ diligenti ſcrutinio detexiſſent, publici fecerunt juris, quamvis multa reſtent inveſtiganda; ita etiam utiliſſimum eſt, ea, quæ ad illuſtrandam

praxin

praxin diligens docuit obſervatio, aliis non invidere, quamvis induſtriæ hominum emunctæ naris copioſa relinquatur meſſis.

Duo mihi videbantur in Pathologia cerebri imprimis confuſa & intricata: Soporoſorum nempe affectuum doctrina, & Spaſmorum diſtributio. Ergo in id incubui, ut *Soporoſos affectus* per notas characteriſticas à ſe mutuo diſtinguerem, *Convulſionum* accuratiorem proponerem tabulam.

Invenies hic, Lector amice, non tantum morbos cerebri è veris cauſis explicatos, Indicationes, niſi me fallit animus, utiles & genuinas, denique medicamenta ſelecta, non otioſè in muſæo excogitata, ſed guſtui grata, aſſumptu facilia, utilitate ſumma. Norunt illud Pharmacopæi, quorum petitioni annuens ego aliquas communicavi deſcriptiones, quas in officinis ſuis paratas habent, quibuſque utuntur non ſine ſucceſſu.

Erat mihi mens quaſdam ſubjungere obſervationes; affectuum capitis non contemnenda exempla, & curationis felicis ſucceſſus clariſſimè ob oculos ponentes; verum cum opus nimium increſceret, mutanda fuit ſententia, & in aliud tempus reſervandæ obſervationes. Quamvis enim delineationem non tantum, ſed & totum opus in chartam conjeciſſem, cum primas paginas typographo excudendas traderem, ita tamen uſu venit, ut mea quotidie ad incudem revocans, quædam immutanda, quædam corrigenda, quædam latius explicanda, non pauca etiam nova capita adjicienda fuerint. Si ergo, Lector Amice, quædam occurrant non ſatis limata, non ſatis copioſè explicata, nec arido pumice expolita, velim mihi des veniam. Non ſumus ſemper animo æque præſenti, non ſuggerit memoria continuo ea, quæ in praxi fuerunt obſervata. Deinde urgente typothetâ non potui, juxta præceptum Horatianum, no-

num in annum meâ premere, sed non rarò extemporanea in chartam fuerunt conjicienda, & typis mandanda: excusum jam erat capitis principium, sub prælo sudabat altera, componenda erat pars tertia. Non id eò dico, ut magnam mei concitem opinionem, odi jactantiam, metior me meo pede: verum necessum fuit hæc monere, ut mihi ignoscat candidus Lector, si quædam occurrant, quæ accurratius potuissent à me exarari.

Omnem diligentiam adhibui, ut veritatem nudam, speciosorum figmentorum repudiato fuco, clarissimè ob oculos ponerem: veritatem nusquam volens deserui. Quod si alicubi dormitaverim, quod si ab erroribus omnino me tueri non potuerim, tantum apud me tamen semper valebit veritas, ut eam iterum amplecti, vel sponte, vel monitus, sim paratissimus.

Philosophiam Medicinæ non esse nimium admiscendam sum persuasus; judicavi tamen utile quæstionem, quæ possit videri philosophica, pertractare: nempe de *Sensorio communi*, cujus non una fuit ratio. Cum enim mihi per occupationes, philosophica, quæ plura habeo, edere non liceat, hæc quæstio tanti mihi visa est momenti, ut ejus explicationem diutius premere non videretur conveniens. Deinde, cum in Medicinâ sæpius Sensorii communis fieret mentio, detegendum erat, quid hoc nomine intelligi debeat? Denique quum *Hippocrates* in libro de Morbo sacro, & *Galenus* non uno in loco ea habeant, quibus ex hujus quæstionis explicatione, clarissimum affulget jubar, non videbatur inutile eam accuratius scrutari. Tandem cum eadem à *Willisio*, *Laurentio Donkers*, *Guernero* Neuhausen &c. esset pertractata materia, ad Medicinam non minus possit videri spectare, quam ad Philosophiam. An rem acu tetigerim, aliorum esto judicium.

Non

Non possum non monere juniores, si cum fructu in hisce legendis versari velint, utile esse, non obiter hæc mea inspicere, sed diligenter à capite ad calcem perlegere, ita enim quæ uno in loco brevius sunt tradita, alio uberius explicata, imo inculcata, invenient. Novi quam facile in evolvendis medicorum lucubrationibus obrepat tædium: ipse illud experiendo non semel didici. Dedi ergo operam, pro virili, ut hæc mea sine fastidio legerentur.

Tu interim, Lector candide, conatibus meis fruere, & fave. Quod si mea non ingrata Viris esse ingenuis animadvertam (omnibus enim placere difficile) id mihi calcar addet plura audendi, & exorsam pertexendi telam, Vale.



INDEX CAPITUM
IDEÆ
PRAXEOS MEDICÆ NOVÆ.

CA-

CAPUT. XXI.

CAPUT. XXII.

CAPUT. XXIII.

CAPUT. XXIV.

CAPUT. XXV.



BARTHOLOMAEI DE MOOR

IDEAE PRAXEOS MEDICAE NOVAE

Veris Oeconomiæ humanæ principiis

INNIXAE

LIBER PRIMUS

Pathologiam Cerebri continens.

CAPUT PRIMUM.

De Cephalalgia.



GGREDIMUR explicationem affectuum capitis, à symptomate frequentissimo initium sumentes, dolore ejus Cephalalgiâ dicto. Hic autem mirari libet, quomodo in affectu sæpissimè occurrente explicando hactenus cæcutiverint medici. Ne quis me frustra hæc dixisse existimet, legat ea quæ de hoc symptomate passim tradiderunt auctores, & videat num accuratum ex eorum scriptis formare possit conceptum de verâ Cephalalgiæ naturâ. Non sufficit enim dixisse: causa ejus est intemperies cum vel sine materiâ, causa ejus est sanguis, pituita, bilis, melancholia: quæro enim quomodo sanguis, pituita, bilis, melancholia producant hunc dolorem? Nec minus à veritate sunt aliena, quæ de coagulatione circulantium liquorum, obstructione, sale sui juris facto, nec ritè diluto afferuntur.

Obscura hactenus Cephalalgiæ explicatio.

Id breviter ostenditur.

Nolim hisce refutandis diu immorari, verum non erit inutile breviter ostendere quam ficulneis hæc omnia innitantur fundamentis: ita apparebit quid mihi calcar addiderit, ad hanc ideam veris fundamentis innixam publici juris faciendam. Dico ergo, si hi humores producant Cephalalgiam, necesse erit eos adesse in capite, rogo itaque, unde & qua viâ ad caput fuerint delati? Quod pituitæ, quod melancholiæ est receptaculum, & quomodo rapiuntur ad cerebrum, quomodo iterum pristinas repetunt sedes? Quis ductus biliosos, quis melancholicos in capite detexit? An vero per cerebri substantiam extra vasa effunduntur? Si vero hæc intelligenda sint de sanguine, aut de uniuscujusque temperamento & ἰδιοσυγκρασία, quare dolores hi non sunt perpetui? Temperamentum enim non facilè immutatur.

De coagulatione humorum & liquore nervoso.

Coagulatio humorum ut inde sequatur obstructio & quies non datur, uti postea satis clarè apparebit; etenim à motu sanguinis universali vita, à particulari calor, color, sensus dependent. Ubi quies sanguinis adest hæc omnia pereunt, uti in Gangræna & Sphacelo est manifestum. Quæ de liquore nervoso aut succo nutrititio traduntur æquè à veritate distant; nullus enim datur liquor nervosus à spiritibus animalibus diversus, hi autem Cephalalgiæ producendæ non sunt apti. Succus nutritius in cerebro elaboratus, per nervos distribuendus merum est figmentum.

De solutione continui.

Nec minus absurda sunt quæ de solutione continui tradunt auctores. *Cephalalgia* dicitur esse *tactus in partibus membranosis à solutione continui facta, molestia & corruptio.* Dico enim solutio continui est vulnus, id quod è collatione definitionis vulneris est manifestum. Sive enim à re externa secante vel pungente unitatis producatur solutio, sive etiam à causis internis, continui solutio necessario est vulnus. Quæro igitur, quomodo humores hi producent solutionem continui? Quomodo pituita, humor lentus, vulnerabit partes capitis vel internas vel etiam externas? Si bilis vulneri producendo est aptus, quid ni folliculum fellis, ubi ingenti continetur copiâ, erodit? Cur in dextro hypochondrio non producit dolorem continuum? Quæ sunt illa salia sui juris facta, quæ vasa vulnerare sunt apta?

Ea in omni

Novi sanguinem posse aliquando vasa cerebri disrumpere;

pere; verum tum ille in Cerebri ſubſtantiam effunditur, nec Cephalalgiam paucarum horarum, ſed Apoplexiam lethalem producit? Diligenter quoque illud obſervandum eſt, ſanguinem quà ſanguinem non producere illam continui ſolutionem, nec quatenus dicitur bilioſus, aut pituitoſus, aut melancholicus, ſed quatenus copia ſua, mole & motu ſeu *Preſſione*, quam docuimus eſſe efficaciſſimam, vaſa dilacerat. Raro tanta eſt humorum in corpore noſtro acrimonia, ut canales, quibus naturaliter contineri debent, erodant. Sanguis in ſpecie eſt liquor temperatiſſimus, ordinariè linguam minimè vellicans, nec acrimonia ſua vaſa lædens. Quomodo enim venis tenuiſſimis liquor corrodens contineri poſſet? Nec eſt quod mihi Hæmoptoen quiſpiam objiciat; numquam produceretur Hæmoptoe, niſi aut ſanguinis copia, aut vaſorum diſtenſio nimia, aut eorundem inflammatio, aut tuſſis, aut preſſio ſanguinis, pulmonis vaſis tenuibus repetitis pulſibus vim inferens, accederent. Novi etiam cancrum dari exulceratum, novi dari cariem oſſium variam, verum ſunt hæc diſſimilia exempla; loquor enim jam de ſanguine per venas & arterias circulante, cujus liquorem ratione temperamenti adeo eſſe proportionatum exiſtimo arteriis & venis quibus continetur, ut vaſis hiſce ſolutionem continui non inducat. Verum non opus eſt hoc adeo urgere in hac materia, quum manifeſtiſſimum ſit Cephalalgiam aliquando per paucas tantum horas vexare & tum iterum plane ceſſare, nec longo tempore recurrere. Quod ſi ſolutio continui in Cephalalgia habeat locum, neceſſum eſſet in partibus membranoſis excitari vulnus & quidem peramplum toto capite affecto, atqui iterum brevi momento idem ad cicatricem perduci. Quid? quod in iis qui ſæpe dolore capitis infeſtantur neceſſario magna inveniretur cicatricum copia? Quamvis autem negem genus capitis doloris eſſe ſolutionem continui, quia ea in omni dolore capitis non adeſt, minimè tamen eo inficias aliquando in capitis partibus interioribus abſque præcedente læſione externa adeſſe ſolutionem continui. Poſtmodum demonſtrabo Apoplexian oriri à ruptione vaſorum: aliquando ulcera obſervata ſunt in cadaveribus. Vid. *Bonet. ſepul. obſ.* 78. &c. Verum ea quæ rarius & in θανασίμοις caſibus occurrunt,

Cephalalgia non adeſt.

runt, ſtatuenda non ſunt univerſaliter locum habere. Imo quia hic plane alia ſolutio continui locum habet quam in ordinariâ Cephalalgiâ, ideo, generaliter loquendo, capitis dolor non eſt ſolutio continui.

De tactûs corruptione.

Male igitur dicitur continui ſolutio Cephalalgia, male eadem ſtatuitur excitari à ſanguinis temperie: non minus male dicitur *tactûs corruptio*. Non nego omnes ſenſus ad tactum poſſe reduci: verum nego quando perceptio doloris in mente noſtra excitatur à cauſa revera dolorem efficiente, tum dici poſſe tactum eſſe corruptum. Ego exiſtimo tum tactum potius dicendum eſſe corruptum ſi voluptatem tanquam dolorem, aut dolorem tanquam voluptatem, frigus inſtar caloris, calorem inſtar frigoris menti noſtræ repreſentaret. Non minus neceſſarium eſt dolorem nobis tanquam dolorem repræſentari, quam ſenſum defectus cibi aut potus in nobis producere famem & ſitim.

Quomodo capitis dolor ſoleat invadere.

Ut ergo certius aliquid & evidentius ſtatuamus, operæ pretium eſt attendere ad productionis modum & ſymptomata obvia. Sæpiſſime Cephalalgia Febrium continuarum aut intermittentium eſt ſymptoma. Non raro contingit aliquem ſub dio veris aut æſtatis tempore radiis ſolaribus expoſitum, aliquamdiu obambulare, interim in ipſo exercitio vel paulo poſt, gravi dolore capitis corripi. Notiſſimum quoque eſt poſt potum vini aut cereviſiæ generoſioris caput male mulctari. Denique virgines pallidi coloris ſi in loco calidiori, ubi homines plures ſibi mutuo adſunt, aliquamdiu commorentur, ſi corpus vehementius moveant, facile & ſæpiſſime de capitis dolore conqueruntur. Comites plerumque gravioris capitis doloris ſunt pulſatio arteriarum in temporibus moleſta, & gravitas capitis, quam antiqui καρηβαρίαν dixere, adeo ut capite erecto ſedere moleſtum ſit, niſi caput fulciatur. Levamen aliquod afferre ſolent ſomnus, quies, potus *Thee* calidè ſumptus. Qui cauſas Cephalalgiæ veras explicaturus eſt, tales debet ſtatuere, ut omnia hæc phænomena neceſſario nexu cum illis cohæreant; uti in ſequentibus à me clariſſime explicabitur. Sin autem hæc cum cauſis, de quibus diſputatum eſt, conferantur, manifeſtum erit nullum inter hæc apparentia, in praxi obvia, & cauſas vulgo explicatas eſſe nexum. Quid? An febris producit

cit humorum horum triadem aut quaternionem? An obambulatio & exercitium illud poteſt, & quidem tam cito? An ſi omnes ſimul humores non producant, unum aliquem aut generabunt, aut ad caput rapient? An locus calidior, an hominum congreſſus idem efficiet? An vero miſcella variorum humorum venis & arteriis contenta aut inquinabitur, aut putreſcet à modo memoratis cauſis?

Hæc ſi quis diligenter expendat putem apertiſſimum eſſe nec ſanguinem quà ſanguinem, nec ſanguinem quatenus dicitur bilioſus, pituitoſus aut melancholicus, umquam producere Cephalalgiam. Quemadmodum enim ſtatim evici ſanguinem non producere ſolutionem continui, ita etiam hic contendo ſanguinem, quatenus vaſis ſuis venis & arteriis continetur, non producere dolorem: neque enim pungit, aut vellicat, aut erodit vaſa uti vidimus, quandoquidem eſt liquor blandus particulis ſuis oleoſis & pinguibus particulas acres facile demulcens. Adde quod hæ cauſæ in ſanguine aliam capitis temperiem brevi momento non introducant, neque etiam introductam expugnent. Deinde nulla datur in ſanguine fermentatio aut efferveſcentia, uti poſtmodum in tractatu de Febribus fiet manifeſtum. Denique ſanguis illorum qui ſibi ſatis ſani videntur & munia ſua quotidiana obeunt, ſæpe longe magis à naturali conſtitutione diſtat quam illorum, qui in Cephalalgiam atque morbos & quidem periculoſos incidunt, uti alibi monui. Tandem ſanguinis temperamento minime immutato, ſi agitatio tantum introducatur major aut ab exercitio, aut aſſumptis, aut aëris diſpoſitione excitatur repente dolor, manifeſto argumento non à ſangunis diſpoſitione & temperamento, uti vulgo conſiderari ſolet, ſed ab ejus motu, & ad circulationem commode abſolvendam ineptitudine oriri dolorem capitis.

Sanguis non eſt cauſa Cephalalgiæ juxta auctorum mentem.

Probe hæc tenenda ſunt; ex ſcriptis enim auctorum patet, illos à particularum ſanguinis diſpoſitione, à ſulphure, à ſale, diſpoſitione acida, ſucco pancreatico ſanguini admiſto, bile, & ſic porrò, varios deducere morbos, varias febres, quaſi ex iis cordis aut interior vaſorum ſuperficies malè afficeretur, irritaretur, &c. quum tamen hæc à veritate longe ſint aliena. Non eſt quoque negligendum capitis dolorem eſſe periodi-

Ulterior confirmatio.

cum, affligere data aliqua occaſione, tum iterum remittere & omnino deſinere, poſtmodum iterum excitandum. Quod ſi diſpoſitio ſanguinis bilioſa, pituitoſa, melancholica, uti vulgo habetur, produceret Cephalalgiam, omnes omnino homines capitis dolore vexarentur & ſemper, quandoquidem ſinguli alicujus ſunt temperamenti: illud autem temperamentum, quodcumque demum ſtatuatur, producit capitis dolorem. Deinde Cephalalgia ab hiſce cauſis producta eouſque perſeveraret, donec univerſa ſanguinis maſſa, adeoque ipſum temperamentum eſſet emendatum. Jam autem temperamentum nativum non facile immutari apertiſſimum eſt. Cum ergo hæc experientiæ ſint contraria, ſanguis nec quatenus eſt ſanguis, nec quatenus hujus aut illius humoris affluxu eſt immutatus, neque quatenus fermentatione aut efferveſcentia fictitiis exagitatur Cephalalgiam producit.

Veræ capitis doloris cauſæ?

Si ergo hæ cauſæ dolorem non inferant, quæ itaque hujus ſymptomatis erit cauſa? Doloris capitis cauſa eſt ſanguinis preſſio vel aucta, vel imminuta, vel denique partium ſolidarum vitium.

Lucem hic affert doctrina de preſſione ſanguinis.

Plurimorum errorum in Medicina fons eſt ignoratio circulationis ſanguinis. Cum motum ſanguinis non haberent perſpectum, & ſanguinem tanquam vaſis ſuis contentum ſolummodo conſiderarent, neceſſe habuerunt effingere cauſas alias à veritate longe remotas. Poſt detectam circulationem ſanguinis varii quidem errores ſunt emendati, verum cum efficacia hujus circuitus obiter tantum conſideraretur, in *cogitationibus meis de Inſtauratione Medicinæ* conatus ſum demonſtrare, quæ eſſet *vis ſanguinis* è corde ſingulis pulſibus magno impetu in arterias repletiſſimas expulſi. Docui, niſi me fallit animus, evidentiſſimè à SANGUINIS PRESSIONE omnes humanæ oeconomiæ functiones eſſe deducendas. Ab ejuſdem preſſionis vitio, non neglectâ ſingularum partium ſtructurâ, in ſequentibus apparebit morbos & ſymptomata eſſe deducenda.

Preſſio aucta cauſa doloris capitis in Febribus.

Preſſio ſanguinis aucta in Febribus cauſa eſt doloris capitis ſymptomatici. Ut hoc intelligatur, oportet conſiderare membranarum cerebri & cranii ſtructuram, deinde preſſionem ipſam cum inſigni dilatatione & æſtu conjunctam, denique mu-

mutationem, quæ ſanguini accidit à validâ & febrili preſſione; verum breviter, quoniam uberior harum rerum tractatio ad doctrinam de Febribus pertinet.

Membranarum cerebri textura.

Membranæ cerebri gaudent copioſiſſimis vaſis arterioſis, tam majoribus quam etiam minoribus, id quod apertiſſimum eſt. Imprimis autem obſervandum eſt hæc vaſa in minutiſſimas fibrillas eſſe diremptas, adeo ut ſi horum diameter cum unica ſanguinis guttula comparetur, proportio ſit futura admodum exigua. Quid quod ipſa corticalis cerebri ſubſtantia conſtet ex ſubtiliſſima vaſorum textura? Pericranium itidem eſt membrana exquiſiti ſenſus, & numeroſiſſimis arteriolis irrigata.

Preſſionis vis.

Preſſionis ſanguinis tanta eſt efficacia, ut vires, quas ſtupendas in hominibus & animalibus conſpicimus, ab hac potiſſimum dependeant. Quod ſi ordinaria preſſio in ſanis tantum valeat, quid fiet ſi ea præter naturam inſigniter augeatur? Quid? ſi ſanguis dilatatione vaſa magis repleat, magis diſtendat? Quid? ſi inteſtinus motus calorem noſtrum producens & fovens intendatur? Si loco caloris moderati ſuccedat æſtus ſummus? Ab hiſce cauſis dependent ægrotorum vires ſtupendæ, adeo ut pluribus hominibus ſanis aliquando difficile ſit unicum febricitantem lecto continere.

Sanguinem ejuſque ſerum immutat.

Ab hac preſſione, dilatatione, & æſtu tota ſanguinis maſſa non tantum multum immutatur, verum ſerum ipſum, ſanguinis pars fluidiſſima, ita degenerat à ſolita ſuâ tenuitate, ut in gelatinam ſpiſſiſſimam quaſi excoquatur. Apparet hoc ſæpenumero in ſanguine V. S. educto, ubi videre licet ſuperficiei caſeoſæ ſubſtantiæ inſtratam cruſtam admodum tenacem, quæ vix cultro dividitur. Revera autem hanc ſubſtantiam eſſe ſerum inſpiſſatum dubitabit nemo, qui aliquoties ſerum ſanguinis igni impoſuit; illud enim ſemper & quidem citiſſimè in gelatinam concreſcit. Soleo ego hanc ſanguinis craſin appellare diſpoſitionem inflammatoriam: quandoquidem in Pleuritide & ſimilibus morbis ſanguis talis apparet naturæ. Hic in tranſitu libet monere illos falli, qui urinam non aliter conſiderant quam ſanguinis ſerum, quum inter hæc duo inſignis intercedat differentia.

Hiſce

Repletio, distensio & pulsatio causa doloris capitis.

Hisce præmissis facile concipi potest si sanguinis pressio intendatur, si vasa numerosissima per membranas exquisiti sensus dispersa magis repleantur, magis distendantur, facile posse oriri dolorem capitis insignem. Præcipuè cum vasa majora & minora cranio tam arcte adjaceant, ut non pauci sulci in cranio sint exsculpti, vasorum ramificationis exhibentes vestigia. Sanguis hæc vasa non permeat instar fluminis à fontibus ad mare decurrentis, sed à pressione & pulsu cordis vehementi eò propellitur, id quod dolorem non parum auget, unde ægri de dolore pulsatorio, præcipuè in temporibus, ubi arteriarum insignes rami decurrunt, conqueruntur. Pulsatio hæc ideo forsan major est, quandoquidem arteriarum plurimi ramuli, cranio vicini, & in infantibus pervii sensim obliterantur, uti illud in suturis cranii est manifestum. Si autem sanguis sit redditus minus fluidus, si serum ejusdem multum sit inspissatum, manifestum est eum ineptiorem esse ad prompte permeandum minutissimas arteriarum fibrillas, non tamen ideo minuitur frequentia & impetus contractionis cordis, adeoque vis vasis & membranulis infertur, atque dolor excitatur.

Hæc in Febribus locum habent.

Cum ergo Febrium essentia in sanguinis pressione præter naturam aucta consistat, uti suo loco demonstrabitur, non mirum, si & à pressione, & ab expansione & ab æstu producatur sæpenumero Cephalalgia symptomatica.

Plethora causa doloris capitis, & quomodo?

Quod si sanguis mole sit auctus, in Plethora dicta, tum ille vasa & membranas nimium replet & extendit, præcipuè accedente causa aliqua externa, atque ita capitis dolorem infert cum ejusdem gravitate. Cum enim progressus sanguinis fiat à majoribus vasis versus minores propagines arteriolarum, donec in minutissimas fibrillas, quibus membranæ cerebri, admodum exquisiti sensus abundant, perventum sit, cumque impetus contractionis cordis & pulsus in minimis etiam fibrillis sese exerat, facile concipimus à nimiâ sanguinis copiâ, si motus accedat insolitus, posse excitari Cephalalgiam. Hinc ii qui V. S. sunt assueti, incipiente vere & æstate sæpe conqueruntur caput sibi dolere, scotomias oculis obversari, se vertigine corripi, imo metuere ne concidant. Hinc iidem ad V. S. confugiunt, qua peracta levamen percipere solent.

Quod si quis tempore verno sese radiis solaribus exponat, sub dio deambulet, ab exercitio incalescat, is dolore capitis facili negotio corripitur. Exercitium enim pressionem & rarefactionem sanguinis multum adauget, radii solares caput ferientes mirum in modum eandem illam expansionem intendunt, hinc Cephalalgia. Sedatur autem ille dolor quiete moderata, sanguinis pressionem nimiam atque ejusdem rarefactionem compescente.

Quomodo radii solares Cephalalgiam producant.

Ab ebrietate itidem oritur capitis dolor, quandoquidem à potu generosiori sanguis magis expanditur, spiritus plures generantur, qui in cor copiosius influentes contractionem ejus adeoque sanguinis propulsionem intendunt.

Ebrietas.

A nimia ciborum assumptione producitur etiam Cephalalgia, tum quoniam à largiori chyli versus sanguinem affluxu vasa magis replentur, tum quandoquidem dilatatio & pressio sanguinis intenduntur, unde membranis & vasis cerebri infertur aliqua vis. Accedit & alia causa, nempe ventriculus nimium expansus, qui mole sua & onere premens vasa descendentia occasionem præbet motui versus caput majori.

Ingluvies.

Quod autem ab exercitio, calore solis, æstatis, vini potu &c. hic in dolorem capitis incidat, alius non item, dependet tum à viscerum vigore, sanguinis majori aut minori copiâ, consuetudine, imprimis etiam à sanguinis dispositione, & fluiditate. Si enim sanguis sit satis mobilis, si promptissime minima vasa permeare possit, licet ejus motus paululum intendatur, licet genio indulserit quis, non magnam exinde percipit molestiam: sin autem sanguis à corde & vasis majoribus versus minora iteratis pulsibus fortiter adactus, non tam facile, nec tam cito per minimos illos tubulos progrediatur, molestus orietur pulsationis sensus, & dolor capitis major aut minor. Pulsatio hæc, uti vidimus, in temporibus solet esse major, ob vasa majora & cranio accumbentia. Comes quoque hujus doloris est capitis gravitas, quandoquidem arteriæ magis distentæ & repletæ partes vicinas, adeoque cerebrum ipsum magis premunt. Premuntur autem præcipue partes cerebri exteriores seu corticalis ejusdem substantia, tum quod membranis sit magis vicina, tum etiam quod vasis gaudeat copiosissimis

Quare unus facile corripiatur dolore capitis, alius non item?

ſiſſimis. Premitur autem ſubſtantia corticalis verſus medullarem, unde gravitatis ſenſus, in ſomnum propenſio & à ſomno levamen.

Quomodo ligatura afferat levamen?

Levamen etiam non contemnendum ſentiunt ægroti à ligaturâ ſtrictiori, quandoquidem vaſa aliquomodo fulciuntur, cohibetur quoque aliqua ratione ſanguinis motus & expanſio præcipuè ſi partes exteriores afficiantur.

Atque etiam potus Thee.

A potu *Thee* optimè habent Cephalalgia laborantes, quandoquidem à particulis aqueis diluitur ſanguis, adeoque fluidior redditur & magis aptus ad prompte permeandum minimas arteriarum fibrillas abſque moleſtiâ. Ab ejuſdem potus particulis amaricantibus, adſtringentibus, ſpirituoſis facilior per vaſa capillaria tranſitus promovetur.

Concluſio, majorem preſſionem eſſe cauſam hujus doloris.

Ex hiſce igitur conſtat, preſſionem majorem eſſe ſæpenumero cauſam Cephalalgiæ. Conſtat cauſas preſſionis majoris itidem eſſe capitis doloris cauſas. Manifeſtum eſt ea, quæ juvant, non alia conducere ratione, niſi quatenus moleſtæ preſſioni ſuccurrunt.

Preſſio imminuta.

Jam porro oſtendendum eſt preſſionem minorem quoque producere Cephalalgiam. Habet illud locum in virginibus pallidi coloris, ſedentariam vitam agentibus, quibus menſes ſubſiſtunt, denique Chloroſi laborantibus. Habet hoc quoque locum in aliis ſubjectis; verum ſufficere arbitratus ſum, ſi in magis manifeſto exemplo rationem Cephalalgiæ hujus dilucidè ob oculos ponerem.

Differentia conſtitutionis ſanguinis in hoc & ſuperiori caſu.

Nemo facile inficias iverit in hoc caſu circulationem ſanguinis ſegnius peragi, cum ſanguinis ad circulationem debitè abſolvendam conſtitutio non ſit ſatis apta. Mentionem ſuperius quoque fecimus ſanguinis ad permeandum tenuiſſimas fibrillas inepti, verum hic alia occurrit ineptitudo. Tum enim conſiderabamus ſanguinem, quatenus ab æſtu febrili ita immutatur, ut non poſſit adeo prompte permeare minima vaſa, quam quidem illud requirit preſſio aucta præter naturam & febrilis: hic autem conſideramus ineptitudinem ad circulationem adeo celeriter abſolvendam, quam vulgo in ſanis ea fieri aſſolet.

Morbus

Talem ſanguinis ineptitudinem tum in aliis caſibus tum etiam

etiam in morbo virgineo habere locum è causis facile colligitur, & effectu. virgineus.

Sedentariam agunt vitam, adeoque sua segnitie cordis contractionem validam non suscitant. Concurrunt sæpe aliæ quoque causæ, nempe noxiis aliquando cibis, oryza cruda, creta, carbonibus vescuntur, adeoque ventriculum ineptum reddunt ad chylum sufficienter elaborandum. Non parva quoque hujus rei causa est, hoc tempore, potus aquei nimia, quotidiana & repetita ingurgitatio. Accedit aliquando somnus protractior, mæstitia, curæ. Ab hisce ergo causis producitur sanguis ad circulationem ordinariam debitè absolvendam ineptior. Ejus causæ.

Eundem illum sanguinem ad circulandum esse ineptum effecta ostendunt. Facies pallida & tumida arguit sanguinem esse magis viscidum. A visciditate oritur defectus evacuationum ordinariarum: quod enim est viscidum per tubulorum admodum exilium orificia effluere non potest. Ab eâdem illa visciditate anhelatio ortum habet, & difficilior sanguinis per pulmonis vasa exigua transitus, unde compressio arteriæ asperæ & respiratio celerior. Ab eadem illa visciditate oritur pulsatio visibilis & vehemens in arteriis colli; replentur enim magis vasa majora & pulsant, quia minimas fibrillas non permeant satis celeriter. Effecta.

Quanta autem sit connexio horum omnium cum doctrina de pressione sanguinis, patebit manifestius, si effecta pressionis ordinariæ & naturalis in memoriam revocemus. Effecta hujus sunt calor, particularum sanguinem componentium attritio & comminutio, unde dependet fluiditas. Itaque si pressio imminuatur & minor adsit calor, particulæ chylosæ versus sanguinis massam delatæ erunt minus subtiles, minus exaltatæ. Male digestus hic chylus sanguini nutrimentum suppeditat simile, cujus segnior progressus, & ad motum ineptitudo repletione & distensione cerebri membranis est molestus; neque enim absque difficultate minimas pervadit arteriolas. Idem ille sanguis ventriculi membranas replens appetitus languidioris, & digestionis imperfectioris est causa. Adeo ut, quemadmodum in Philosophia docetur in omnimotu fieri circulum, hic etiam quidam veluti fiat circulus, chylus imperfector, sangui- Connexio horum cum doctrina de pressione sanguinis.

 nem

nem ſimilem, ſanguis itidem imperfectior, digeſtionem in ventriculo minus perfectam efficit.

Explicatur cauſa doloris capitis in virginibus Pallidi coloris.

Ab eâdem illa vitâ ſedentaria ſanguinis copiam multum augeri ſæpenumero contingit, præcipue ſi appetitus non ſit proſtratus. Cum enim exercitium deficiat, non eſt mirum ſi humores accumulentur; ab exercitio multi humores diſſipantur, exercitium plenitudinem imminuit. Eadem illa ſanguinis quantitas multum augetur à ſuppreſſis aut parcius fluentibus menſtruis evacuationibus: hinc circa illud tempus dolor intendi ſolet. Nempe naturæ conatus ad eruptionem illam promovendam in ſanguine agitationem, & in pulſu frequentiam efficit: unde mirum videri non debet, ſi preſſione per univerſum corpus auctâ, cerebri vaſa eam perſentiſcant & moleſtia afficiantur. Intermediis etiam temporibus ſæpe affligit dolor, accedente imprimis cauſa externa adjuvante, quandoquidem & copia & lentor adeſt, quæ diximus accedente preſſione eſſe doloris cauſas. Probè hoc tenendum eſt, licet diſpoſitio ſanguinis dolori efficiendo idonea adſit, tamen hanc ſeſe potiſſimum exerere, quando preſſio ſanguinis aliquomodo intenditur. Ita tales virgines, ſi celerius corpus moveant, ſi ex inferiori loco in ſuperius conclave, vel altiores contignationes adſcendant, ſtatim cordis palpitationem, vel moleſtam in collo, in capite pulſationem perſentiſcunt. Sæpe itidem tales è ſacris concionibus reduces, ab exercitio, igne, hypocauſto calefactæ, à ſuavi odore aut etiam fœtore malè affectæ Cephalalgia corripiuntur. Quippe in his omnibus ſanguinis preſſio magis ſolito augetur, cumque arteriæ cerebri ejuſque membranarum vix ſufficiant commodè transmittendo ſanguini debilius commoto, præ ejuſdem Centore & vaſorum capillarium anguſtiâ: non poſſunt non malè habere, ſi preſſio admodum debilis paululum ſolum intendatur; hinc enim repletio, extenſio, pulſatio, dolor, capitis gravitas. Nec eſt quod quiſpiam putet me oblitum eſſe eorum quæ ſuperius dixi, ſtatuendo cauſam hujus capitis doloris eſſe minorem preſſionem, cum jam videar ſtatuere preſſionem majorem. Quamvis enim preſſio in hoc caſu intendatur, reſpectu ſubjecti debili preſſione aſſueti, tamen totum hoc negotium à minori preſſione dependet. Ut illud intelligatur, oportet

tet comparare virginem vegetam & robuſtam quieſcentem, cum tali de qua nunc agimus, itidem quieſcente: atque iterum virginem vegetam ſeſe loco moventem, & hanc ſeſe loco moventem, in utroque caſu manifeſtum eſt circulationem virginis Chloroſi laborantis eſſe ſegniorem. Et hoc eſt quod auctores quoque obſervarunt, de febre alba hujus morbi comite ſcribentes, illam dici albam quod pulſus frequentia febrem mentiatur, cum illa non conſiſtat in caloris augmento, ſed potius defectu & oppreſſione. Deinde minor ſanguinis motus inteſtinus cauſa eſt quare ſanguis motum progreſſivum ſegnius & cum difficultate abſolvat: quemadmodum videmus calorem omnino requiri ut tranſcolationes liquorum ſpiſſorum peragantur. Gummata aceto non diſſolventur, nec tranſcolationi evadent apta niſi accedat calor: ut cryſtalli Tartari colligantur, aqua in qua Tartarus eſt ſolutus, calide filtratur. Motus minor inteſtinus cauſa eſt quare ſanguis reddatur minus mobilis: minus mobilis circulationem non niſi cum aliqua difficultate circulationis abſolvit. Ergo ſi adſit ſanguinis copia & lentor, facile orietur Cephalalgia, ſi eorum ſanguis aliquomodo agitetur, quamvis univerſaliter rem conſiderando preſſio non ſit admodum vehemens; vis tamen aliqua infertur vaſis. Adeo ut modus productionis hujus ſymptomatis, veritatem ætiologiæ à me propoſitæ confirmet.

Ea quæ de virginum pallidi coloris cephalalgiâ dixi, aliquomodo etiam locum habent in Cephalalgia ſcorbutica, & quæ è ventriculi debilitate oritur. Si enim ſanguinis conſtitutio ſit ſcorbutica, h. e. lenta & ad motum inepta, aut ſi talis reddatur à chylo minus quam par eſt elaborato, facile contingit eum difficilius per arterias carotides circulari, adeoque dolorem, & pulſationem in temporibus moleſtiam producere. *De Cephalalgia ſcorbutica.*

Nullam vaporum è ventriculo, utero, inteſtinis, liene adſcendentium facio mentionem, cum hi capitis dolorem producere non poſſint, pugnat id cum ſtructura partium. Infimus enim venter undique peritoneo & diaphragmate, cerebrum cranio & meningibus arctiſſime ſeptum, vapores nec mittere nec admittere poſſunt. Non nego tamen partium ſolidarum tam medii quam infimi ventris vitia poſſe aliquid facere ad capitis *Nulli vapores ad caput elevantur.*

dolorem producendum: verùm illud ex eo contingit quod vel ſanguinis conſtitutionem vel motum immutent. Aeo ut mihi diligenter animo volventi ea quæ in praxi quotidie occurrunt, hæc viſa ſint veritati & experientiæ maximè convenire, cauſas in ſanguine latentes omnes complecti, & ad veram praxin ſternere commodiſſimam. Poſſet quidem ſanguinis ad rareſcendum aptitudo inter cauſas enumerari; verum omnis ſanguis ad ſeſe dilatandum eſſet aptus: neceſſum tantum eſt ut hæc diſpoſitio ſeſe exerat, quod tum à cauſis externis, tum à febre contingit, uti in ſuperioribus eſt explicatum.

Partium ſolidarum vitium.

Reſtat ut videamus quomodo cerebri vitium excitare poſſit capitis dolorem; hæc enim tertia eſt cauſa doloris capitis. Ita à commotione cerebri, ab equitatione vehementi, à vectione in curru per vias duras & incommodas facile oriri poteſt capitis dolor. Hac ratione enim vis infertur parti nobili, & ad majorem corporis & ſanguinis motum accedit cerebri ejuſque membranarum concuſſio, & in duras cranii partes impulſus, unde oritur doloris ſenſus.

Conformatio partium.

Contingit etiam aliquando conformationem partium ſolidarum cauſam eſſe capitis doloris vehementis. Ita Williſius refert ſe egregii viri cranium diſſecuiſſe, cujus carotidem dextram intra cranium emergentem plane oſſeam, ſeu potius lapideam inveniſſe, vertebralem triplo majorem. Circa initium ægritudinis hic ægrotus conqueſtus erat de atroci capitis dolore circa latus ſiniſtrum, cujus cauſam ſtatuit Williſius quod ſanguis Carotide dextra excluſus, cum primum in ſiniſtram impetuoſius irrueret, membranam diſtenderit. *Willis. Anat. Cerebr. c. 7. Vicuſſem p. 43.* Ab eâdem cauſâ dependet dolor capitis poſt vulnera capitis graviora ſæpius vexans. Quamvis enim vulnera talia diu cicatrice ſint obducta, tamen per intervalla exacerbatur capitis dolor, quia ſcilicet quædam vaſorum ramificationes ſunt omnino occluſæ, in quarum locum ſanguis per alios tubulos magis obliquos ſibi viam fecit, cumque hi non ſint æque recti aut commodi, minima cauſa motum ſanguinis intendens dolorem excitat.

Capitis refregeratio.

Contingit etiam ſæpenumero cerebrum & caput refrigerari, unde affectus Catharroſi, Coryza & capitis dolor producun-

cuntur. Nempe ubi à frigore vaſa aliquomodo conſtringuntur, ſanguis difficilius per vaſa arterioſa minima circulatur, illiſque vim infert, unde pulſatio & dolor. Similis capitis dolor excitatur aliquando per conſenſum, ſi quis pedes habuerit valde refrigeratos, quandoquidem frigus illud ſanguini, & ope ſanguinis cerebro communicatur.

Cephalalgiæ deſcriptio verior.

Poſtquam cauſas doloris capitis explicuimus, reſtat ut etiam hujus affectus deſcriptionem ſubjungamus, *Cephalalgia eſt moleſta capitis ſenſatio imprimis a ſanguine motu ſuo vaſis & membranis exquiſiti ſenſus* vim *inferente.* Cum dolor ſit inter eas res, quarum clariorem habemus ſenſum & conceptum, quam qui ulla definitione explicari poſſit, ſufficere arbitratus ſum, ſi generaliori vocabulo ſenſationis moleſtæ uterer ad naturam ejus qualicumque modo explicandam. Differentia ſenſationis moleſtæ, cum ea à vulnere, ulcere, pruritu oriri poſſit, petenda eſt à cauſis hanc ſenſationem producentibus. Cauſa doloris capitis generalis eſt ſanguinis motus, & hinc fere in omni capitis dolore moleſta adeſt pulſatio, nunc major nunc minor. Imo quando partium ſolidarum vitium capitis dolorem producit, ſæpe ideo is excitatur quòd ſanguini circulaturo impedimentum aliquod objicitur, ſanguinis motum progreſſivum in aliquibus ramis difficiliorem reddens. Ubicumque autem talis difficultas occurrit, ſtatim eo loci ſolet excitari pulſatio moleſta.

Cauſæ doloris capitis minus frequentes.

Dixi illum dolorem imprimis eſſe adſcribendum ſanguinis motui, quandoquidem ſanguis eſt cauſa ordinaria & frequentiſſima capitis dolorum. Sunt tamen cauſæ etiam rarius occurrentes, & tamen Cephalalgias excitantes. Reperiuntur aliquando vermes non parvam moleſtiam inferentes, cujus exemplum & figuram exhibui. *Vide quoque Boneti Sepulchretum, Obſ.* 115. 116. 117. 118. 119. Eodem modo caries oſſium dolorem diuturnum infert aliquando & gravem, uti illud in lui Venerea eſt manifeſtum. Caries etiam locum habet aliquando poſt vulnus. *Vid. Boneti Sepulchretum Obſ.* 105. &c. Aliquando humor virulentus intra cranii lancinas continetur. *Vid. eundem Obſ.* 102. item 106, 107. Similes cauſæ plures dari poſſunt, verum hiſce non putavi eſſe inhærendum, quandoquidem & rarius occurrunt, & facile intelligitur haſce cauſas dolo-

lo-

lorem debere producere, cum non ſatis explicatum eſſet ab au-ctoribus, quomodo cauſæ ordinariæ agerent.

Vis illata Partibus exquiſiti ſenſus.

Rationem addidi quare à ſanguine in partibus exquiſiti ſenſus excitetur dolor, ſc. quia illis vis infertur. Probavimus antea non dari hic ſolutionem continui; neque enim paucarum horarum ſpatio vulnus infligitur, & abſque ulla medicamentorum impoſitione ſanatur. Nam addo non eſſe neceſſe adeſſe ſolutionem continui ubi adeſt dolor. Luxavit aliquis membrum quodpiam, nullo apparente vulnere, extenditur membrum luxatum validè & excitatur dolor inſignis, quæ eſt ratio doloris? Non vulnus aut ſolutio continui, quia luxatio & vulnus toto cœlo diſtant; ſed violenta extenſio partibus vim inferens. Dolores fœminam parturientem invadunt, an cauſa doloris eſt ſolutio continui? Minime quidem meâ ſententiâ, quandoquidem loquor jam de prima invaſione, antequam ſecundinæ ſeparentur, antequam ullus maneat ſanguis, eſt tamen dolor & quidem inſignis: unde oritur is? A diſtenſione violenta partium exquiſiti ſenſus. Similis eſt ratio Colicæ, Pleuritidis, & hæc violenta diſtenſio ſufficit ad dolorem producendum. Dolor excitatus nos monet, ut caveamus ne in continui ſolutionem aut graviora mala incidamus. Hæc enim eſt corporis noſtri textura artificioſiſſima, ut quamdiu operationes & functiones naturaliter peraguntur, nullus excitetur dolor, imo aliqua inde exſurgat delectatio. Violentia, vis partibus illata, ope nervorum defertur ad ſenſorium commune, atque ſenſum doloris excitat. Non eſt tamen exiſtimandum dolores ſtatim ceſſare, ubi violentæ iſtius diſtenſionis vis deſinit. Quemadmodum quiſpiam defatigationis moleſtiam poſtridie magis ſentit, quam in ipſo exercitio, ita etiam in crapula dolor capitis ſeſe poſtmodum magis manifeſtat. Cauſa tamen utriuſque eſt vis partibus corporis noſtri illata: vim intulit motus vehementior & aliquamdiu continuatus.

Sanguinis vis.

Quomodo ſanguis vim auferat vaſis in ſuperioribus explicatum eſt. Tantum addendum eſt ſanguinis vim eſſe majorem, quam vulgo ſibi homines imaginantur. Numquid ea vis eſt eximia ſanguinis, quod infantem exilem ad viri proceritatem faciat excreſcere? Quod non tantum partes molles carnem,

arte-

arterias, venas, ſed & oſſa in latitudinem & longitudinem vehementer extendat? Verum de hac re alibi fuſius egi, ſufficit obſervâſſe ſanguinem, cujus tanta eſt vis, ſi præternaturaliter in partes teneras irruat, ſatis eſſe efficacem ad diſtenſionem, pulſationem & dolorem excitandum.

Progredior ad explicandas capitis doloris differentias. Cephalalgia ratione cauſarum dividitur in eam quæ oritur vel à nimia preſſione vel etiam à preſſione imminuta, atquè adeo ſanguinis ad circulandum minori aptitudine. Hæc igitur vel pediſſequa eſt Febris albæ & morbi virginei, vel Scorbuti, vel etiam aliarum partium vitii, imprimis ventriculi. Cephalalgia vel univerſum caput infeſtat, vel aliquas ſolummodo ejus partes, ideoque vel univerſalis vel particularis dici poteſt. Illa iterum eſt, vel cito tranſiens & generali Capitis doloris nomine exprimi ſolet, vel diu perſeverans & Cephalæa dicitur. Particularis qui & partialis dici poteſt, vel exteriores partes capitis infeſtat vel interiores. Cephalalgia partes capitis exteriores affligens potiſſimum oritur quando arteriæ carotidis rami exteriores ad pericranium diſperſi afficiuntur, ſc. quando ſanguis per eorum ramulos circulandus, minus facilem inveniens tranſitum, vehementius illos diſtendit. Sæpe id accidit ob frigus externè ſuſceptum, in coryza &c. Ita contingit illos, qui tempora emplaſtro aliquo calefaciente tegere ſunt ſoliti, ſi quando illud negligant, corripi Cephalalgiâ. De Cephalalgia partes interiores & cerebri membranas occupante non eſt quod multa adjiciam, cum ea facile intelligatur ex iis quæ ſuperius diſputavi. Hæ duæ ſpecies in Cephalalgia univerſali complicantur.

Differentiæ doloris capitis.

Particularis capitis dolor iterum dividendus eſt, quod ſc. vel dimidiam ejus partem occupet, vel partem multo minorem. Quando dimidia pars afficitur tum dicitur Hemicrania, quando aliquod parvum ſpatium, cui dolor veluti infixus hæret, afficitur, dicitur Clavus: inter has duas ſpecies adhuc alia intermedia ſtatui poteſt ſc. quæ nec dimidiam capitis partem omnino, nec quæ ſpatium aliquod adeo exiguum inſtar clavi occupat, ſed vel majus vel minus ſpatium. Ita *Gabelchoverus* habet obſervationem doloris capitis in occipite; item cir-

Quotuplex ſit dolor capitis particularis?

circa tempora. *Cent.* IV. *obs.* 48. *vid.* quoque *obs.* 47. *Cent.* VI. 15.

Transitio. Actum fuit de Cephalalgia universali, jam illæ doloris species, quæ peculiari nomine gaudent, paucis explicandæ.

Cephalæa. Cephalæam putem maxime affligere cacochymicos, vel hisce aut illis morbis particularibus, diuturnis tamen, obnoxios. Etenim prava hujus aut illius visceris dispositio, non tantum sanguinis dispositionem ad motum seu fluiditatem, sed & motum ipsum immutare potest. Quippe ubi sanguini aliquod occurrit obstaculum notabile, in hâc vel illa parte difficultatem transitus efficiens, statim in universo corpore circulatio & pressio intenduntur. Illud apparet in inflammationibus, vulneribus, contusionibus, quibus febris vel major vel minor solet succedere. Itaque si prava sanguinis dispositio, si prava viscerum dispositio motum sanguinis intendant, si febriculæ lentæ diu affligentes pulsum frequentiorem & sanguinis pressionem majorem producentes, excitentur, non mirum est si cerebri membranæ nimium distentæ doloris sensum ope nervorum ad sensorium commune deferant. Si sanguinis copia & cerebri vitium, aut capitis imbecillitas accedant, facilius, & frequentius & gravius affliget Cephalæa. Cephalæa quoque oritur sæpissime à conformationis morbis membranarum cerebri, vel etiam vasorum. Ita Carotides arteriæ induratæ, aquæ collectio sub piâ matre, & arenula in glandula pineali post mortem repertæ sunt in cadavere Elizabethæ Joppen, à *Regnero de Graaf* dissecto. Vid. *Bonet.* Sepulchret. obs. 88. Vide quoque eundem obs. 84. &c. Cephalæa quoque oritur à calculo in cerebro nato. *Obs.* 112, 108, 109. &c. A nodis, tuberculis, phlegmone & abscessu oriri capitis dolores lethales auctor est *Willisius* de Anima Brutorum *p.* 11. *c.* 2.

Hemicrania. Hemicraniæ causam putem præcipuè à cerebri unius lateris, ejusque arteriarum dispositione pendere, unde etiam dolor alterum tantum capitis hemisphærium occupat. Hujus rei exemplum notabile superius è *Willesio* allatum est. Itaque si alterius lateris arteriæ carotides vel vertebrales ita sint dispositæ, vel figuratæ, ut majorem sanguinis impetum excipiant, aut si alterum capitis latus sit valde refrigeratum, aut ita affectum, ut transmittendo celeriter sanguini sit minus idoneum, hinc

po-

poteſt oriri Hemicrania. Hoc ut facilius intelligamus conſiderare oportet, quo pacto una pars corporis noſtri non raro præ cæteris afficiatur. Ex. gr. hic pedibus eſt æger, ille lumine læſus, hic Pleuritide, ille colicâ affligitur. Eryſipelas nunc manum, nunc caput, nunc pedem corripit. Nempe dolor & irritatio majoris affluxus ſpirituum & ſanguinis cauſa eſt, adeo ut ad dolorem producendum in una parte potius quam in alia, ſufficiat leviſſima cauſa tranſitum difficiliorem efficiens: hæc moleſtia extemplo ad cerebrum defertur, unde major affluxus ſpirituum, pulſus vel major vel frequentior, repletio & extenſio vaſorum dolorem producentes. Putabimuſne non poſſe eodem modo cerebri partem dimidiam affici, incolumi permanente alterâ? Et hæc eſt cauſa quare Hemicrania gravius affligat, & difficilius cedat medicamentis. Ubi non tantum ſanguinis major eſt affluxus, ſed & partium ſolidarum prava diſpoſitio non ita facilè cauſa morbi tollitur.

Eodem modo putem in ea capitis doloris ſpecie quæ clavi nomine gaudet, glandulas aliquas cerebri à quacunque cauſa malè eſſe affectas, unde circa eum locum difficilior ſanguinis progreſſus, gravitas, pulſatio & dolor oriuntur. Ubi partem aliquam inſtar palmæ manus occupat dolor, illud contingere obſervavi, quando à vulnere ea pars antea fuiſſet læſa, atque emplaſtrum eo loci impoſitum profuiſſe; hærebat nempe malum in partibus exterioribus. Clavus.

Faciunt Practici quoquè mentionem doloris capitis per eſſentiam, ſeu ἰδιοπάθειαν, vel per conſenſum ſeu συμπάθειαν. Dolorem capitis per eſſentiam ſtatuunt, quando materia dolorem excitans in capite eſt genita; per συμπάθειαν quando materia ad caput fertur. Verum ſi hæc ſtrictè velimus intelligere, raro occurret capitis dolor idiopathicus, quandoquidem plerumque dolor oritur à ſanguine qui in cerebro non eſt genitus. Ignorabant circulationem ſanguinis adeoque non ſatis diſtinctè hæc potuerunt determinare. Dicemus ergo dolorem capitis idiopathicum eum, qui à capitis diſpoſitione & ſanguinis motu producitur. Per conſenſum autem quando partium in medio vel infimo ventre ſitorum perverſa diſpoſitio, ſanguinem male afficiens, cauſa eſt doloris

capi-

capitis. Eſt & alia doloris capitis ſpecies, quæ nocte potiſſimum luè Venerea affectos corripere ſolet, verum de ea hoc loco agere non eſt neceſſe, cum hujus explicatio à totius affectus explicatione pendeat. Non eſt neceſſe etiam ſpecialioribus & rarioribus caſibus immorari, tum quod de hiſce judicium ferri non poſſit, niſi omnibus circumſtantiis diligenter expenſis; tum quod Ideam praxeos ſcribenti ordinaria tantum pertractanda ſint.

Signa.

Signa ex ipſo ægrotantium relatu cognoſcuntur. Quamvis enim multi reperiantur admodum ſtupidi, dolor tamen acutus querelas extorquere ſolet. Eos autem, quorum mens laborat, capitis dolore vexari non dicimus, quum perceptio doloris ſit nulla; quamvis enim quis Apoplexia correptus ante paroxyſmum conqueſtus ſit de capitis dolore, in ipſo paroxyſmo advocatus medicus Apoplexiæ, non autem capitis dolori medicinam facere ſtudet.

Signa cauſarum.

Cauſa autem Cephalalgiam producens tum ex relatu tum è ſignis inveſtigatur. Externas cauſas vel ægroti vel adſtantes narrare ſolent. Febris ſignum eſt pulſus præter naturam frequentior, quo igitur hic eſt magis agitatus, quanto major adeſt æſtus, tanto graviorem eſſe febrem judicamus. Febres etiam urinæ colore intenſo ſeſe prodere ſolent. Cacochymicorum urinæ aqueæ & vix coloratæ ſunt, ſæpe etiam tenues & ad albedinem vergentes.

Signa differentiarum.

An caput doleat per idiopathiam, an vero per conſenſum exinde ſciri poteſt, quod in dolore per idiopathiam nulla adſint ſigna viſcerum malè affectorum. In dolore per conſenſum viſcerum aliquorum malè affectorum ſigna attendenti fiant manifeſta. Itaque ventriculi, uteri, hepatis malè affectorum ſigna, item & vermium ex propriis locis peti debent.

Prognoſis.

Prognoſis ita inſtitui poteſt. Cephalalgia levior, ab externis tantum producta cauſis periculo vacat: vehemens autem cum capitis gravitate, à nimia ſanguinis copia producta admodum ſuſpecta eſt; Apoplexiæ enim aut Convulſionis prænuncia exiſtit, uti mihi non ſemel videre licuit. Huc pertinet Hippocratis effatum in Coacis. Οἷσι κεφαλαλγίαι ϗ ἦχοι ἀπυρέτοισι, ϗ σκοτοδινίη, ϗ φωνῆς βραδύτης, ϗ νάρκη χειρῶν ἢ ἀποπλήκτους,

πλήκτους, ἢ ἐπιληπτικοὺς προσδέχου τούτους ἔσεσθαι, ἢ ἐπιλήσμονας. Vid. *Duretum. p.* 89. Vide quoque *Aph.* 51. *l.* VI. De Cephalalgia in febribus excitata judicium ferre oportet, diligenter consideratâ febris naturâ, & expensis reliquis circumstantiis. Quamvis crapula exhalare soleat, ebrietatem nonnunquam tamen excipiunt Convulsiones & mors repentina. Vide *Forestum* & *Schenkium.* Cephalæa plerumque non ita facile cedit, ut & Hemicrania. Clavus quidem molestus non tamen periculosus esse solet. Diarrhæa capitis doloribus superveniens utilis.

Indicationes hujus affectus generales sunt, sanguinis pressionem nimiam compescere, progressum ejusdem per vasa capillaria faciliorem reddere, cerebri vitia quantum pote curare, & dolorem mitigare. Indicationes generales.

Curatio pro causarum varietate, variè instituitur. Si à nimia sanguinis copia oriatur Cephalalgia, si καρηβαρία adsit aut vertigo V. S. optimum est remedium. Nihil enim promptius & tutius nimiam sanguinis quantitatem imminuit quam V. S. Non nego inediâ & exercitio continuatis posse etiam minui sanguinem; verum sæpe periculum est in mora & nisi statim venienti morbo occurrat medicus, facilis in gravissima symptomata est prolapsus. Hujus rei exempla animadversione dignissima refert *Galenus* in libro de V. S. adversus Erasistratæos Romæ degentes, quorum ipse fuit oculatus testis, quamvis aliter sentientium pertinaciam frangere non potuerit. Vicit tamen veritatis vis, & pluribus seculis opinio absurda eorum, qui V. S. omnino damnabant, sepulta jacuit, donec à Chymicis, & præcedenti seculo ab iis, qui in eorum castra transierunt, revocaretur. *Willisius* habet exemplum, Cephalalgiæ à phlegmone & abscessu cerebri, estque hujus sententiæ, morbum ab initio forsan per phlebotomiam curabilem, postea lethalem evasisse. Vid. Ipsum *de Anima Brutorum* p. 11. c. 2. *Galenus* refert medicum quinquagenarium, cum jam septimam noctem ægrotaret, sibi ipsi venam incidisse, antequam amicorum quispiam ad se veniret, & dolorem conquievisse. *Lib.* XII. *Meth. med. c.* 1. Curatio per Venæ Sectionem.

In variis partibus pro causarum varietate instituitur V. S. Ubi insti-

 si

tuenda? si nihil præter generalem evacuationem intendat medicus in brachio, neglecto venarum discrimine, eam institui jubet. Si mensium suppressio eandem flagitet, saphœna vel alia aliqua in pede vena pertundi solet. Si animus sit speciatim capiti prospicere, vena frontis pertusa opem non contemnendam præstat, uti mihi videre licuit in ancillâ sæpius gravi Cephalalgiâ divexatâ. Solebat huic vena frontis admodum esse tumida, id quod mihi occasionem præbuit eo loci V. S. imperandi.

Quomodo ea juvet? Ratio autem quare V. S. juvet è superioribus est manifesta. Causa doloris nimia est repletio, nimia distensio vasorum. His itaque sublatis, causa quoque doloris continens tollitur.

De Cucurbitulis. Venæ sectionis vicariæ sunt cucurbitulæ, non tam promptè quidem, nec tam commodè, attamen copiosè sanguinem extrahentes, si plures & sæpius imponantur. Harum usus est, quando quis à V. S. omninò abhorret, cucurbitulas non ita expavescit. Sunt enim quædam tali ingenio præditæ, ut V. S. nulla ratione admittant, à cucurbitulis minus alienæ. Cucurbitulas, *ut auxilium minus vehemens, ita magis tutum* dixit *Celsus*. l. II. c. II. Possunt applicari diversis partibus, scapulis, dorso, manibus, cruribus.

De Hirudinibus. V. S. & cucurbitulis substituuntur quoque hirudines. Quamvis enim apud nos usus earum ferè exoleverit, in Hispaniâ tamen ad Cephalalgiam adhibentur cum insigni successu. Suctu enim illo videtur dolor quasi extrahi, & Cephalalgia magis magisque minui. Non solum exsugunt hirudines sanguinem in summa cute hærentem, sed & universum corpus evacuant. *Paræus* dixit eas non tantum à parte cui applicantur, sed & vicinis & distantibus attrahere. l. x. c. 62. Juvant non tantum eodem modo quam V. S. sed habent hoc peculiare, quod sensim & suctu sanguinem evacuent. Suctus autem ille sanguinem allicit versus eam partem, cui hirudines sunt applicatæ, adeoque impetus sanguinis, in Cephalalgiâ, nec non variis aliis capitis affectibus, majori vi versus superiora delatus, hoc modo à capite avertitur. Hoc monendum esse duxi, ut ratio levaminis, quod ab his animalculis percipitur, esset manifesta: & quid suctus posset animadverteretur. Qui sanguinis evacuatione blanda indigent, atque hisce uti voluerit, is successum inve-

inveniet non contemnendum. De hirudinibus disputantem non tantum in capitis, sed & aliarum partium morbis, vide *Zacutum Lusitanum* de medicorum principum historia l. 1. h. 4. cujus hæc sunt verba: *Quo ferè pro topico utebatur antiquitas; nam post celebrata præsidia universalia, ad hoc tanquam ad sacram anchoram, veteres, necessitate quadam coacti, accedebant.*

Quantitatem sanguinis educendi medicus prudenter determinabit habita ratione ætatis, consuetudinis, virium, evacuationum suppressarum. &c. Quantum sanguinis detrahendum?

Veram causam Cephalalgiæ febres comitantis in superioribus esse explicatam, è juvantibus & nocentibus facilè intelligitur. Adversus Cephalalgiam, quæ est symptoma febrium diversarum, multum juvat V. S. Cujus rei ratio est, quod nihil sanguinis pressionem nimiam & expansionem promptius compescat quam V. S. V. S. tempestivè instituta unico ictu non semel & febrem & capitis dolorem jugulavit. Itaque Medicus prudens, ubi ea requiritur, eandem non negliget. In quibus autem febribus sit secanda vena, in quibus non, è doctrinâ de Febribus, postmodum tradenda, evadet manifestum. De Cephalalgia febrili.

Nimia sanguinis pressio etiam imminuitur, si causa eandem producens & ulterius productura tempestivè tollatur. Causa est nimia ventriculi repletio, & chyli particulis spirituosis nimium onusti propulsio versus sanguinem, si dolor & καρηβαρία ab ebrietate oriantur. Itaque in hoc casu vomitorium exhibuisse utilissimum est, præcipuè si adsit nausea. Pulverem sequentem præscribit *Willisius*. Ab ingluvie.

℞. *Sulphur Antimonii gr.* iv.
Resin. Jalapp. gr. v.
Cremor. Tartar. gr. vj.
Simul terantur vel cum q. s. Conserv. Violar.
F. Bolus.

Ebrietatis à *Vini sp.* productæ comites sunt sopor, καρηβαρία, Lipothymia & sic porro, adeo ut tales videantur mox exspiraturi. In hoc casu prodest aquæ frigidæ potus aut acidulæ ubi eæ haberi possunt. Hujus rei exemplum, ut & curationis extemporaneæ historiam putem me alibi retulisse. De Ingluvie postmodum agam. Ab ebrietate.

Ma-

Ventriculi & Cerebri consensus.

Magnus ventriculi cum cerebro est consensus. Non quod cæca sit inter has partes sympathia, aut quod vapores è ventriculo sublati condensentur in capite tanquam alembico; sed quod cibus malè subactus chylum exhibeat crudiorem, qui sanguini commixtus & rarefactus cerebri vasa nimium extendit, minus commodè capillares tubulos permeat, nec adeo vividos producit spiritus animales: accedit quod cerebrum sit viscus molle, copiosissimo sanguinis affluxu irrigatum, unde non mirum si ventriculi debilioris, & sanguinis minus subacti noxam luat. Ergo si nimio onere gravatus ventriculus molestiam pariat, promptè evacuandus est. Id aliquando succedit assumendo aliquid *spiritus vini* in non assuetis; ita enim ventriculus ad excretionem per superiora excitatur, aliquando etiam, præsertim si nausea adsit, vomitorium lenius exhibere convenit; ita enim citissimè causa mali tollitur. Atqui illud in universâ praxi diligenter tenendum est, ut, juxta Hippocratis præceptum Aph. 21. l. 1. *natura eo ducatur quo maxime vergit, & per loca convenientia*, ne scilicet perperam in usum vocentur medicamenta. Frustra enema capiti externè applicatur, cum podici injici debuisset, id quod aliquando rusticum fecisse memoriæ proditum est. Frustra capiti prospicitur si ventriculus nimio oneri succumbat. *Gabelchoverus* in dolore capitis per consensum ex stomacho præscripsit Rad. Mech. pulv. ʒij cum insigni successu. *Cent.* 1. *Obs.* 86. *Theodorus Majerne* præscribit *Vitrioli albi* ʒj dissolvendam in Ptisana vulgari ℥iv vel ℥vj. & post singulos conatus exhibet haustum posseti parati cum *Floribus Chamæmeli*.

Purgantia aloëtica.

Quod si minus tuto possit exhiberi vomitorium, purgantia etiam sunt usus egregii præcipue *Aloëtica*, quorum amaror ventriculo est amicus. Itaque conveniunt *Elect. Hieræ picræ, pulv. Hieræ Galeni, Pilulæ Mastichinæ; Ruffi, Hieræ cum Agarico, Pilulæ Crapulares in Pharmocopoea Bateana* descriptæ. Ex.gr.

℞. *Mass. Pilul. de hier. c. Agar.* ℈ß
Trochisc. Alhand.
Diagrid. ad gr. ij
Cum El. prop.
F. Pilulæ. no. v.

Ma-

Majerne præſcribit

℞. *Maſſ. Pilul. Coch. minor.* ℥ß
Calomelan. ℈j
Ol. Roris mar. gr. ij.
F. Pilulæ pro 1 *doſi.*

Preſſio ſanguinis nimia à radiis ſolaribus & exercitio plerumque negligi ſolet, quum illa quiete & ſomno facile ſuperetur, nec diu affligere ſoleat.

Dolor capitis à radiis ſolaribus.

Progreſſus per vaſa capillaria redditur facilior ſi preſſio imminuatur, ſi diſpoſitio ſanguinis inflammatoria ſuperetur, ſi ſanguis reddatur ſatis fluidus.

Progreſſus ſanguinis per vaſa capillaria quomodo reddatur facilior?

De preſſionis imminutione in ſuperioribus eſt actum, hic tantum monendum eſt, faciliorem effici tranſitum ſi preſſio ſufflaminetur, quandoquidem ideo moleſtia & dolor percipitur, quod preſſio à tergo ſit major, quam ut ſatis promptè vaſa minima permeare poſſit ſanguis, hinc diſtenſio, pulſatio, dolor.

preſſionis imminutione.

Inflammatoria diſpoſitio ſanguinis emendatur V. S. diluentibus, ſudoriferis temperatis.

Inflammatoriæ diſpoſitionis emendatione.

Venæ ſectionem in diſpoſitione inflammatoria multum emolumenti afferre in Pleuritide, Peripneumonia & ſimilibus morbis patebit, adeoque hic indigitâſſe ſufficit. Tanta eſt V. S. neceſſitas, ut ea non uno nomine conveniat, pluribus ſatisfaciat indicationibus.

Venæ ſectione.

Diluentia, ſerum ſanguinis ad gelatinæ conſiſtentiam inſpiſſatum, iterum ad priorem liquiditatem reducunt. Talia ſunt aquea omnia, Cereviſia recens & tenuis, Apozemata atque Julapia, quorum baſis eſt aqua. Cum enim aqua numquam ſola coctione inſpiſſetur, illa, hoc modo inſpiſſata, diluere poteſt. Diluentia hæc ſimul æſtum temperant, qui plerumque inſignis eſt in diſpoſitione inflammatoria.

Diluentibus.

Sudorifera temperata ad ſanguinis illam diſpoſitionem corrigendam multum valent: id quod ex eo manifeſtè colligitur, quod poſt ſudoris blandam eruptionem omnia ſymptomata ſoleant eſſe mitiora. Non conveniunt quælibet ſudorifera, quandoquidem ea quæ ex aromaticis, magna copia congeſtis, conſtant, magis obeſſe ſolent, & diſpoſitionem illam inflammatoriam magis intendere. Itaque conveniunt, *Aq. Alexphar.*

Sudoriferis.

D *Pro-*

Prophylact. Acetum Sambucinum, *Sal. Prunellæ*, *Absinth. Tartar. Card. Bened. Antimon. diaphoret. Antifebrile Concharum*, *Decoctum Ambrosianum*, *Decoctum ad sitim*, *Pharmac. Bat.* Ad sudorem melius movendum hisce medicamentis commodissimè & utilissimè adduntur *opiata*; etenim ægro à jactationibus continuis abstinente & quietè somnum capiente optimè ac copiosissimè sudor erumpere solet. Verum de his omnibus in sequentibus ex professo erit agendum.

Sanguinem fluidum reddentibus.

Sanguis redditur fluidus, si in usum vocentur aquea, incidentia, attenuantia medicamenta, circumstantiarum diligenti habita ratione. Conveniunt hic imprimis *Cichoracea*, *Sonchus*, *Taraxacum*, deinde *acetosa*, *acetocella*, *trifolium acetosum*: *Lapis prunellæ* hoc in casu etiam egregiè prodest, ut & potus *Thee* cujus jam ante facta est mentio. Dum hæc usurpantur danda est opera, ut alvus servetur aperta. Quandoquidem autem in morbis inflammatoriis non semper tuto usurpantur purgantia, insistendum mitioribus. Talia sunt primas vias evacuantia, clysteres, suppositoria, medicamenta blandè laxantia. Hæc prudenter in usum vocari & subinde repeti debent.

De Curatione Morbi virginei.

Alia autem ratio est sanguini fluiditatem conciliandi, quando virgineo morbo aut scorbutico quis affligitur. In hoc enim casu non tam aqueis, quam aromaticis, incidentibus, sale volatili abundantibus est utendum, præmissis universalibus, uti loquuntur medici.

Universalibus. V. S.

Universalia hic præmittenda sunt V. S. & purgatio. Venæ sectio non semper est instituenda, itaque attendere oportet, an evacuationes solitæ sint suppressæ, & an insignis adsit plethora, an vires satis constent? tum enim instituenda est V. S. alias eam omittere oportet.

Emeticis.

Purgatio vel per superiora procuratur, vel per inferiora. Per superiora excitatur *Vino Emetico*, vel *Aqua Benedicta Rulandi*, vel etiam *Tartaro Emetico*, &c.

Purgantibus.

Per inferiora purgantia sunt etiam non contemnendi usus, imprimis si talia eligantur quæ simul incidunt & attenuant. Talia sunt *pilulæ de Ammoniaco magistrales* Pharmac. Bat. p. 79. item *Pilulæ Pavii*, *Pilulæ de Sagapeno*, *Pilulæ Cephalicæ* Fernelii, quas ipse miris modis in Cephalalgiâ laudat. *Willisius* sequentes

quentes commendat:

℞. *Pil. de Succin.* ʒß.
Resin. Jalapp. gr. iv.
Balsam. Peruvian. q. s.
F. Pilulas no. iv. *sumat* iij.

Apud *Minsigtum* exstat descriptio *pilularum Cephalicarum*, quibus se sæpe usum esse in Aula Cæsareâ testatur *Hoeferus*. Idem quo tempore sumendæ sint pilulæ disputat; verum meo judicio hora sumendarum pilularum non potest exactè determinari: possunt illæ & manè & meridie & vesperi commodè usurpari: medicus judiciosus facile tempus determinabit habita circumstantiarum ratione. Nec sufficit semel exhibere medicamentum aliquod laxans, sed id data occasione est repetendum. Quemadmodum alvi fluxus capitis dolorem aliquando tollit, ita etiam purgantia multum prosunt. Alvus aperta est servanda.

Præmissis igitur universalibus non negligenda sunt incidentia. Locum hic habent imprimis *Cephalica*, *Stomachica*, *Uterina*, *Antiscorbutica*, *Chalybeata*, *Salia Volatilia*, *Olea aromatica*. *Elixir vitæ majus* & *minus* Quercetani, *Aqua Cephalica* Bateana, *Aq. Theriacalis* tam *simplex* quam *composita*. *Tinctura Succini*, *Castorei*, *Croci*, *Elixir. prop. Sp. Vini succinatus*. Formulæ variæ ex hisce addito convenienti vehiculo facillimè concinnari possunt. Ex gr. Incidentibus.

℞. *Aq. Puleg.* ℥iij
Menth. ℥j ß
Theriacal. s. ℥j
Tinctur. Castor. ʒij
Sal. Volat. ol. g. xv.
Laud. op. gr. j.
Ol. Cort. Arant. g. v.
M.

Hujus mixturæ sumat subinde æger duo cochlearia.

Rhæusnerus Observ. 1. commendat hunc pulverem
℞. *Castor* ℈ij. *Puleg.* ʒj. *Cinnamom.* ʒß
Caryophyllor ℈j. *F. Pulvis*
qui detur ex jusculo carnis præmisso purgante.

Utilis quoque est Haustus à *Grulingio* præscriptus.

 ℞. *Syr.*

℞. *Syr. Pomor. Borſtorph.*
de Fumar. ad ℥ß
Sp. Cochlear.
Naſturt. ad ℈ß
Tartar. rectif. ℈j
Aq. Violar.
Borrag.
Capill. Vener. ad ℥j
M.

Quamvis enim ea, quæ de bile, pituitâ, melancholiâ in capite alteranda habet, ſint frivola, hoc medicameotum tamen non eſt contemnendum.

Cerebri vitia quomodo corrigenda?

Dixi etiam cerebri vitia quantum pote eſſe corrigenda; neque enim hæc unius ſunt generis. Reptatus vaſorum diverſus quemadmodum è certis ſignis cognoſci non poteſt, ita etiam curationem non àdmittit. Eadem fere eſt glandularum induratarum ratio, niſi quod medicamenta incidentia modo laudata poſſint eſſe alicujus uſus. Si autem refrigeratio difficiliorem progreſſum ſanguinis aut Cozyram produxerit, ea calefacientibus expugnanda. Utile in hoc caſu eſt ſuffimigium è *Succino*, *Maſtiche*, *Gariophyllis*, *Styrace*, *Benzoino*. Ex. gr.

℞. *Succin. alb.* ʒj
Maſtiches elect. ℈j
Benzoini. ℈ß.
F. Pulvis groſſus.

Laudem meretur etiam in hoc caſu *Aqua Reginæ Hungariæ* dicta, à Medico vel etiam Pharmacopæo, lucri parum ſtudioſo, dextrè præparata. Eſt hæc in Cephalalgia eximii uſus, ſive naribus admota, aut etiam attracta, ſive etiam temporibus applicata. Eſt enim Roſmarinus planta cephalica, ſanguinem attenuans, refrigeratas partes calefaciens, ſpiritus animales excitans. Quod ſi Cephalalgia oriatur, vel ſaltem foveatur à colluvie ſeroſa ventriculos cerebri replente, ſternutatoria mitiora è plantis cephalicis parata multum proſunt. Ex. gr.

℞. *Fol. Majoran.*
Roriſmarin.
Thymi. ad ʒj

Fl.

Fl. Lil. conv. ℥ß
F. Pulvis.

Ubi Cephalalgia à partibus externis malè affectis originem habet, iis imprimis est prospiciendum; si caput fuerit minus tectum, & frigus susceptum, partes constringens, transitum sanguinis reddat difficiliorem, caput modicè tegendum est, adeo ut frigus superetur. Utimur varii generis & variæ formæ tegumentis: ea quæ ex lana conflata sunt frigus magis arcent. Utile quoque est fasciâ aliquâ lata, aut tegumento capitis apto blandè constringere caput; ita enim non tantum fulciuntur partes & vasa, sed & extensio & pulsatio vasorum aliquomodo reprimitur, adeoque dolor sedatur. Si tempora nuda huic malo occasionem præbuerint, emplastra iis sunt imponenda calefacientia. In eum finem laudantur *Mastiche*, *Gummi* Tacamahacæ cum *Ol. Gariophyllorum.* Utilè quoque est *emplastrum Catharrhale* in Pharmacopæâ Bateanâ descriptum. Externa in usum vocanda.

Quod si hæc non sufficiant, Cucupha è cephalicis parata vertici imponatur. Commode adhibentur *Rad. Ireos Flor. Fol. sicc. Majoran. Calamenth. Origan. Thymi*, *Rosæ rubræ*, *Cort. Winteran. Mastix*, *Garyophilli.* Valet etiam multum pellis Talpæ vertici imposita, & ubi madida reddita est, renovata. Cucupha.

Dolor sedatur hypnoticis & narcoticis intra & extra usurpatis, nec non medicamentis variis externis tum blandioribus, tum etiam acrioribus. Hypnotica.

Imprimis oportet cautum esse medicum in exhibendis hypnoticis & narcoticis ubi caput male affectum est, ne ægrotum in graviora conjiciat mala. Si æger ergo sit Comatosus, vertigine aut καρηβαρίᾳ affectus, non temere sunt exhibenda narcotica, ne in Lethargum aut Carum incidat ægrotus. Si autem vigiliæ simul infestent, si universalia sufficienter sint usurpata, si vires constent, si nec puer nec senex sit ægrotus, tutius in usum vocantur. Conveniunt *Emulsio è semine & syripus è Cortice papaveris albi* decoctus. *Laudanum opiatum*, *Tinctura Opii*, *Pilulæ* pacificæ, *Laudanum cydoniatum.* Cautela.

Externe temporibus linimentum inungitur ad dolorem sedandum. Concinnantur quoque Frontalia, & oxyrrhodina & fronti imponuntur ad dolorem leniendum, & somnum conci- Externa hypnotica.

ciliandum. Laudantur in hunc finem *Unguentum Alabaſtrinum, Popul. Unguentum Cephalalgicum Bateanum.*

℞. *Unguent. Popul.* ʒj
Opii Thebaic. Ol. Solan. diſſolut. gr. v.
Caphuræ. gr. iij
M. inungat tempora æger.

Verbena. Inter medicamenta externa ad capitis dolorem imprimis laudatur *verbena*. Hanc herbam è collo ſuſpendi juſſit *Foreſtus*, ego malim nuchæ applicari: applicatur quoque nuchæ ſplen recens mactati animalis calens ex. gr. ovis. Eodem modo uſurpantur radices *Paſtinacæ domeſticæ* raſpatæ & aceto ſubactæ.

Supplantalia. Pedibus quoque varia ſubligantur, ex gr. *Tinca viva media* diſſecta ſanguinolenta plantis pedum ſubjicitur. Item *halec ſalitus*, & *paſſer*. Eodem modo *columba viva* diſſecta pedibus applicatur.

Frontalia. Superius mentionem feci frontalium ſomnum provocantium, verum eadem poſſunt in uſum vocari non addendo opiata. Hujus generis talem habet formulam *Timæus*.

℞. *Aq. Roſac.* ℥iij
Verben. ℥jß
Succi Roſar. rubr. ℥j
Acet. Roſac. ℥ß
M.

Sequens fotus eſt *Fernelii*

℞. *Aq. Plantag. Roſar.*
Solatr. aa ℥ij
Aceti. ℥j ß
Caphur. ʒß
M.

Gabelchoverus refert ſe ægrotum unum atque alterum reſtituiſſe Uſu *pilul. aur.* ℈iv. & ſeq. Epithematis.

℞. *Aq. Betonic.*
Verben. Fl. Chamom. ad ℥ij
Ol. Roſac. ℥iv
Aquæ & aceti. Roſac. ad ℥j
M.

Applicatur quoque fronti *placenta roſacea*, quæ aceto irrorari poteſt vel *Calendulæ* vel *Rutaceo*. Ab-

Absolvimus indicationes superius propositas, tum ne à consueto tramite discederemus, tum ut confirmaremus explicationem à nobis propositam. Nulla enim major datur probatio veritatis sententiæ cujuscunque, quam si ea inveniatur exactissimè quadrare cum praxi quotidiana. Verum cum causæ cephalalgiæ admodum variæ sint, difficile est junioribus scire qua methodo singulis hisce indicationibus sit satisfaciendum. Etenim si quis sibi imaginetur singulis hisce indicationibus seorsim, & eo, quo propositæ sunt, ordine esse satisfaciendum, is longè fallitur. Nam & pressio imminuitur, & inflammatoria dispositio tollitur, & sanguis redditur fluidior eâdem formulâ. Nempe idem medicamentum, & diluere, & æstum temperare, & sudorem movere potest, & tum maximè prodest medicus ægroto, quando judiciose unicâ formulâ pluribus satisfacit indicationibus. Eodem modo non est tum demum confugiendum ad medicamenta externa, quando medicamenta interna omnia sunt in usum vocata, sed simul dum interna usurpantur etiam externa adhibentur. Ex gr. versatur aliquis in paroxysmo febrili orto, ex dispositione inflammatoria, sitit, caput dolet, eodem tempore exhibetur ex. gr. Haustus sudoriferus, præscribitur decoctum diluens, sanguinem fluidum reddens, & sudoriferum: pedibus subjiciantur supplantalia. Ut ergo hæc idea praxeos junioribus possit esse majori usui, consultum duxi in quibusdam casibus specialibus docere, qua ratione hæc in usum vocari debeant. *Applicatio præceptorum specialis.*

Ponamus igitur medicum vocari ad ægrum laborantem tertiana vernali, cui comes est levior Peripneumonia, cum siti, æstu, καρηβαρίᾳ, in ipso paroxysmo ante administrata aliqua medicamenta. Quid aged? *Curatio καρηβαρίας febrilis.*

Nihil hoc in casu est utilius V. S. verum ea differenda est usque dum paroxysmus remittat vel intermittat, itaque statim in usum vocabit diluentia & blanda sudorifera, omissis opiatis potentioribus eo usque dum fuerit secta vena, & pedibus subjiciet supplantalia Itaque exhibeat hos vel similes pulveres. *In paroxysmo.*

℞. *Antimon. Diaphoret.*
Ocul. Cancri ppt.
Lapid. Prunell.

Flor.

Flor. Papav. errat.
Sacchar. perlar aa. ℈ß
F. Pulvis, *pro* ij *dosibus.*

Ut sitis restinguatur, ut simul medicamentum sudoriferum vehiculo gaudeat, præscribatur vel julapium vel tale Apozema.

℞. *Rad. Scorzoneræ* ℥j
Altheæ recentium ℥ß
Fol. Tussilag.
Scabiosæ
*Taraxaci cum toto. ad m.*j
*Flor. papav. errat. p.*j
Coq. s. a. ex aq. pura colat. ℔j *Add.*
Syr. Violac. s. ℥j
Lapid. Prunell. ℈j.
M.

Vides in uno medicamento & diluentia, & sudorifera, & sanguinem fluidum reddentia simul jungi. Sub finem paroxysmi statim injiciatur Enema hoc vel simili modo præparatum.

℞ *Decoct. Emollient. & Carminant.* ℥x
Elect-Diacathol.
Diaphoenic. ad ℥j
Sal. com. ʒj.
M. F. Enema.

Extra Paroxysmum.

Finito paroxysmo, rejecto enemate, & ægroto paululum recreato secetur vena, & sanguis educatur, ratione habita ætatis, virium, temporis anni, satis copiosè; morbi enim inflammatorii uberiorem requirunt evacuationem. Si prima vice non satis copiose sit eductus sanguis, repeti potest V. S.

Post V. S. æger reficiatur aliquo leviori jusculo cum Endivia &c.

Tum ratio haberi debet instantis paroxysmi, & præscribi iterum & sudorifera febrifuga dicta temperata, non neglectis opiatis, imprimis si tussicula vexet. Itaque Præscribi potest hæc aut similis mixtura

℞. *Aq. Hyssop.* ℥ij
Fœnic. ℥j.
Prophylact. ʒij

Oc.

Oc. Cancri ten. pulv. ʒß
Cremor diaphoret. ℈j
Laud. op. gr. iij.
Syr. Papav. errat. ℥ß
M.

Hujus mixturæ ſumat ſubinde duo cochlearia. In paroxyſmo, nuchæ applicetur ſplen ovillus, ad ſitim ſedandam utatur Apozemate præſcripto.

Declinante morbo & ſignis concoctionis apparentibus in urina, ſemel atque iterum purgetur vel infuſione è *Sennâ* & *Rhabarbaro* vel hoc ſimilive hauſtu. Declinante morbo.

℞. *Elect. Cholagogi Sylv.* ʒijß
Cremor. Tartar. ℈ß
Aq. Hyſſop. q. ſ.
M. F. Hauſtus.

Gabelchoverus in capitis dolore peſtilenti præſcripſit

℞. *Pilul. Coch.* ʒj.
Spec. de Hiera picr. Gal. ℈ij

Cum aq. Euphrag. F. Pil. xv. deglutiat cum *Syr. Roſ. ſol.* Lavabat pedes decocto *fol. & fl. Euphrag. Verben. Orig. Abſinth. Serpill. Betonic.* Venam ſecabat in pede cephalicam, & æger convaluit. *Vid. Cent.* II. *Obſ.* 81. Ego tamen in hoc caſu prætuliſſem infuſionem blandam.

Si ab ebrietate orta fuerit Cephalalgia, ea abſtinentia, potu *Thee*, & *ſpiritu Sal. Armon.* optime tollitur, ut & ſomno. Quod ſi ingluvies acceſſerit, & anxietates magnæ vexent, ut & nauſea, vomitorium blandum exhiberi poterit. *Gabelchoverus* laudat vomitum in iis qui facile vomunt: præſcripſit Potiunculam quæ Cent. III. *obſ.* 72. videri poteſt. Si Convulſiones comitentur eorum habenda ratio, ut docebitur. Vide hac de re Hippocratem *lib.* II. *de morbis* XXII. 2, 3, 4. &c. Ventriculo ſufficienter evacuato ciborum euchymorum & eupeptorum, nec non vini aſſumptio moderata iterum prodeſt. Subita mutatio periculoſa. Cephalalgia à repletione.

Atque hæc dicta ſufficiant de ea Cephalalgiæ ſpecie quæ oritur à nimia ſanguinis preſſione, ſupereſt ut de alia etiam ſpecie agamus quæ oritur à minori preſſione adeoque hanc conſequente Curatio Cephalalgiæ à minori preſſione.

te

te ſanguinis lentore. In hoc autem morbo non eſt quod de methodo curandi multum ſimus ſolliciti, cum non ſit morbus acutus, ſed chronicus, in quo pro circumſtantiarum varietate curatio etiam variat. Si à ſuppreſſis menſtruis ortum habeat malum, in pede ſtatim prima quoque occaſione inſtituitur venæ ſectio. Si alvus ſatis ſit laxa, non opus eſt exhibere purgans, pulvis chalybeatus optime conveniet.

℞. *Limatur. chalyb. puriſſ. vel etiam*
Chalyb. juxta methodum Quercetani
ppt. ℥ß
Sem. Apii. ʒj ß
Macis ℈ij
Cort. Winteran. ℈j
M. F. Pulvis.

Sumet ſingulis matutinis temporibus dimidium cochleare cum vino. Si ſomnus non ſit ſufficiens, loco medicamentorum opiatorum, quæ in hoc caſu non admodum amo, poteſt aſſumi *Orvietanum*, *Mithridatium*, *Theriaca Androm.* ſub horam ſomni.

Pilulis. Quod ſi fluxus albus ſimul vexet frequenter purgandum cum Mercurialibus.

℞. *Maſſ. Pilul. Maſtich.*
Mercur. dulc. aa. ʒß
Trorchiſc. Alhaud. ℈ß
Cum Tinctur. Croci.
F. Pilul. no. xij
pro iij *doſibus.*

Decocto è Lignis. Interim uſurpari poteſt decoctum è lignis, in fluxu albo majoris uſus quam medicamenta adſtringentia.

℞. *Rad. Salſ. parill.* ℥ij
Raſur. Lign. Guajac. ℥vj
Lign. Saſſaphras. ℥j
Liquerit. ʒij
Poſt debitam infuſionem Coq. ſ. a. ad LXXX.
colatura *detur pro Decocto.*
ſumat ter de die ℥vj *& amplius.*

Medicamentis Dum hæc fiunt capiti eſt proſpiciendum, & imponenda

pel-

pellis talpæ vertici, vel *Cucupha*, vel *Frontale* causam morbi respiciens: externum frigus imprimis vitandum est. externis.

Progredior ad Cephalæam affectum incommodum & difficilem, quippe huic malo obnoxii facile è leviori causa externa in novum paroxysmum incidunt, qui non ita facile tollitur. Quod si corporis constitutio sit pituitosa, si pressio & comminutio sanguinis imbecillior & minor, si consuetæ evacuationes sint suppressæ, eodem modo procedere oportet ut mox innuimus. Quanto autem constitutio difficilior expugnatu est, tanto diligentius in id incumbere debet Medicus, ut omnibus modis succurrat laboranti, & eligat medicamenta maxime efficacia. Locum hic habet *Hartmanni* monitum. *In Cephalæa seu doloribus capitis quibuscunque imprimis usus Aquæ benedictæ ventriculo jejuno statâ dosi exhibitæ multum prodest. Gabelchoverus* hasce præscripsit pilulas. Curatio Cephalææ.

℞. *Pil. Coch.* ʒj
Aur. ℈j
Troch. Alhand. gr. iv.
Cum aq. beton.
F. Pilulæ xv. *quas deglutiat cum* ʒvj
Syr. Ros. sol.

Examinandum etiam num aliqua fraus lateat; deluditur enim aliquando medicus. Vocatus ego sum aliquando ad virginem satis sanam, assidue sese lecto continentem, quandoquidem capite erecto sese sedere posse negabat. Urina sanorum erat similis, pulsus satis moderatus, nisi quando in eo esset ut insultus majores simularet; tum enim vel respiratione cohibitâ, vel animi pathemate forsan, pulsus aliquomodo immutabatur. Cum ego fraudem suspicarer, jussi ut etiam alvi excrementa servarentur, quorum inspectio me confirmabat in meâ opinione, sanam hanc simulare morbum. Excrementa enim alvina naturalis constitutionis erant, bene figurata, colorata, non compacta, quemadmodum illud in morbosis observari solet: ut paucis absolvam, sanorum excrementis quam simillima. Hæc plurimos medicos consuluerat, sed, ut illa dictitabat, absque ullo successu; verum postea sponsum & maritum nacta à querelis abstinuit, pulchra prole facta parens.

 Si-

Similem mihi hiſtoriam ex aliorum relatu intelligere licuit. Vidi ego impoſturam longe magis impudicam, quam referre non eſt hujus loci. Oportet ergo medicum eſſe cautum, quandoquidem impoſturis aliquando deluditur. Inſpectio fæcum alvinarum magni eſt uſus in tali caſu, quæ ſi debito modo habeant, & alia ſigna reſpondeant, fraus animadverti poteſt.

Amplius de Cephalæa.

Ut ad Cephalæam revertar. Ego putem in affectione hac diuturna, aliquando non inveniri debitam proportionem inter ſanguinem, per minimos arteriarum ramuſculos circulandum, & fibrillas ipſas. Nempe ſi ſanguis movendus non ſit ſatis fluidus, & facile expanſioni obnoxius, fibrillæ autem vaſorum admodum exiguæ, non eſt mirum ſi à levi cauſa facile ingruat Cephalæa. Examinandum igitur num plethora adſit? Num ſolitæ evacuationes ſuppreſſæ? Num vitam ſedentariam agant ægroti? Num vertigo infeſtet? An palpitationes cordis cum difficili reſpiratione & pectoris oppreſſione vexent? Etenim cauſa morbi ritè animadverſa facilior evadit curatio. Ad fibrillarum diſpoſitionem autem & ſanguinis proportionem quod attinet, quamvis illa prima fronte videatur naturalis, & correctionem reſpuere, attentius tamen mihi hac de re cogitanti ſubiit, poſſe forſan induſtria etiam conſtitutionem hanc aliquomodo emendari. Nempe videmus opifices ſub die, ſole fervente vehementer corpus exercere ad ſudoris copioſam eruptionem, nec tamen conqueri de capitis dolore. Si vitæ eorum genus conſideres, veſcuntur cibo multo, difficilioris concoctionis, & ſæpius robuſti ſunt, atque athleticè valent. Videtur mihi à veritate non eſſe alienum minimos arteriarum ramuſculos, à continua & vehementi preſſione ſanguinis, particulis craſſioribus & ſolidioribus conſtantis, extendi & ampliari, adeo ut ſenſim aſſueſcant tranſmiſſioni talium particularum, atque illis reddantur magis proportionati. Poſſet ergo remedium eſſe eximium adverſus Cephalæam, ſi exercitio majori corpus ſenſim aſſueſcat; ita enim ſanguinis particulæ minus comminutæ magis attererentur, & cerebri vaſcula evaderent magis apta tranſmittendo ſanguini. Illud autem ſubito fieri non poteſt abſque inſigni incommodo: omnis ſubita mutatio eſt periculoſa, & ſæpe noxia.

In

In Hemicrania non tantum ſanguinem reſpicere oportet, ſed & cerebri ipſius diſpoſitionem. Commendant quidam arteriotomiam in temporalibus. Hac hemicraniam deſperatam eſſe curatam refert *Paræus l.* XVI. *c.* 4. eandem laudat *Riverius l.* I. *c.* 16. Verum cum ea afferri videam, quæ cum experientiâ pugnant, dubitare liceat, an ii qui arteriotomiam ita celebrant, eam inſtitutam viderint. Dicunt enim ſanguinem cum impetu & ſaltu proſilire, nullum in ea eſſe periculum, ac per quatriduum deligationem eſſe detinendam. Cum impetu ſanguinem proſilire novi, cum ſaltu ſive ſubſultim nego, ubi tantum paucæ unciæ detrahuntur: illud tantum contingit ubi ſanguis univerſus ferè eſt exhauſtus. Hæc vera eſſe hiſce oculis egomet vidi. Nullum eſſe periculum ex arteria in temporibus ſecta, hactenus non obſervavi. Tractavi aliquando vulnus in temporibus cum duobus chirurgis, ubi arteria erat læſa. Cohibitus quidem erat ſanguis, verum hæmorrhagia ſemel atque iterum, & quidem poſt plures dies cum ſummo vitæ periculo, recruduit. Donec tandem, non ſine magno molimine, ſanguis omnino cohiberetur, & vulnus ad cicatricem perduceretur. Sanguinis emendatio perficitur eodem modo, quemadmodum in ſuperioribus eſt explicatum. Conveniunt hic quoque *decocta Lignorum*, quemadmodum in multis aliis affectibus capitis. Hoc tempore quo hæc ſcribo eſt mihi ægra tremore divexata, quæ etiam è tali decocto magnum ſenſit juvamen. Cum autem tam commodè venæ ſectione ſanguis evacuari poſſit, non eſt quod ad arteriotomiam confugiamus. Poſt detectam circulationem ſanguinis novimus venas non poſſe ſanguinem effundere, quin ſimul arteriæ depleantur. *Conſtitit nulli via nota magno.* De Hemicraniâ.

Si ventris infimi affectus jungantur, illi etiam reſpiciendi. Conveniunt quoque *olea ſtillatitia Succini, Juniperi, Cortic. Arantiorum* ſanguinem attenuantia adeoque tranſitum promoventia, & internè in parva quantitate & repetitis vicibus, externè nuchæ aut temporibus inuncta. *Franciſcus Joel Euphorbium* cum *aceto* vini levigatum, & in formam *linimenti* redactum, dolentique parti capitis illitum hemicraniæ multum auxiliari teſtatur. Infimus venter reſpiciendus.

tur. Commendat hic plura externa remedia quæ ſuis utilitatibus non carent, & apud prædictum auctorem videri poſſunt. *Gabelchoverus Fol. Abſinth. m.* ij. *Rad. Bryon.* ℥j decoquit in aqua, novam ſpongiam illi intingit & loco dolenti ſæpe applicat. Inde æger ſe inungit *Unguento Alabaſtrino*, non neglecta lotione pedum *è Fol. Serp. Orig. Fl. Chamom. Beton. aa. m.* j. *Baccar. Junip. m.* ß. *ſem. Carui.* ʒij. & refert ab horum remediorum adminiſtratione dolorem mox ceſſâſſe. Ego imprimis commendo folia *Tabaci Braſiliani* naribus partis affectæ immiſſa; ita enim non tantum ſerum copioſum è naribus elicitur, ſed aliquando in non aſſuetis vomitus concitatur, in Hemicrania inſignis uſus. Crediderim etiam profuturum, ſi veſicatorium temporibus & quidem lateris affecti applicetur. *Epithema Lotichii* vide capite ſequenti.

Opiatorum Uſus & abuſus.

Ubi, reliquis medicamentis parum proficientibus, perſeverat capitis dolor, ad *opiata* confugere oportet; verum cautè, uti jam monui. Multi enim opiata non ferunt, cujus rei rationem mihi inquirenti, non alia major occurrit quam plethora inſignis, & morbi inflammatorii ante celebratam V. S. Loquor jam de ægrotis quibus vires conſtant; nam viribus attritis ægrotos facile in Carum præcipitari, notiſſimum eſt. Quidam etiam opiata non ferunt propter particularem ſolidarum partium conſtitutionem; ita ego tractavi ægrotam capitis dolore moleſtiſſimo vexatam, quam ego crediderim à ſuppreſſione vel parciori menſium fluxu laboraſſe vaſorum in cerebro nimia dilatatione. Quemadmodum ergo ſemper, ita in hoc caſu medici prudentia & judicium requiritur.

Clavus.

Ea quæ de Hemicrania dixi etiam in Clavo locum habent. Nempe præter univerſalia, topica medicamenta in uſum ſunt vocanda. Locum hic habet ſacculus à *Framiſeo Joele* præſcriptus:

℞ *Serpilli*
Pulegii
Betonic.
Majoran.
Verben.
Fol. Lauri

Si ſim.

Sisimbr. aa. m. j
Flor. Chamæmili
Melilot.
Anethi aa. m. ß.

Concisa insuantur sacculo & coquantur in aq. & acet. p. æ. q. s. & *expresso sacculo à superflua humiditate imponatur calidus loco dolenti.*

Quemadmodum in pluribus morbis, ita etiam in Cephalalgia sex rerum non naturalium exacta habenda est ratio. Si enim ab externis caussis excitetur Cephalalgia, facile patet nisi hæ removeantur dolorem non facile iri sublatum. Quantum autem valeant causæ hæ ex observationibus practicorum constat. Cephalalgiæ ab ardore solis obortæ, itidem ab exercitio, ab aqua frigida, ab ebrietate, vino, coitu, sanguine menstruo retento exempla habet *Forestus l.* IX. *Obs.* 1, 2, 3, 4, 7, 27, 28, 29. 41. &c. Itaque in id incumbendum est medico, ne frustra medicamentis torqueatur æger, ubi diæta sola symptoma superare potest. Diæta.

Aeris differentias, mutationes, tempora anni diligenter observavit *Hippocrates* in libris de *Aeribus*, aquis, locis, Diæta, morbis popularibus. &c. Aer aliquando magis prodest quam exquisitissima remedia. Solus aër nonnunquam Cephalalgiam producit, uti in superioribus vidimus. Experiuntur hoc plures qui ex aëre puriori in graviorem translati ejus noxam luunt. Itaque ad aëris constitutionem attendere oportet medicum. In genere aër sit purus, non subterraneus, non fœtens: non odoratus, non halitibus, carbonum nidore, aut fumo inquinatus. Deinde aër sit obscurus, non illustratus radiis solaribus: capitis dolore vexati nimium splendorem non ferunt. Denique sit temperatus, nec nimium calidus, nec nimium frigidus. Cubiculum in quo decumbit ægrotus sit spatiosum, tabulatum sit elevatum, in quod data occasione liberior aër possit admitti. Tandem aër sit quietus, à strepitu, clamoribus, imo & confabulationibus sonoris remotus. Aeris consideratio generalis.

Quandoquidem tamen Cephalalgiæ plures sunt differentiæ, accuratè ad causas hujus symptomatis est attendendum, & harum respectu in specie de aëris constitutione judicandum. Itaque Aëris consideratio specialis.

si

si à nimio ejus æstu in Capitis dolorem quis inciderit, temperatior est eligendus. Dico temperatiorem esse eligendum; etenim si repente aliquis in frigidum, humidum aut subterraneum aërem transferatur, non minus hujus subitæ mutationis pœnas dabit, quam si admodum æstuans avidius frigidam hausisset. Si quis in febribus de capitis dolore conqueratur, frigidior aër, atque aquæ gelidæ affusione, aut aceti odore temperatior redditus, convenit. Possunt quoque herbæ & flores convenientes æstatis tempore cubiculo inferri. Vitanda in hoc casu amicorum turba, tum quod aër reddatur calidior & impurior, tum quod silentium ægrotos plurimum juvet. In Cachexiâ & Chlorosi aër calidior & siccior optimè convenit. Itaque eligendum est cubiculum elevatum, pavimentum ligneum, vitandum marmoreum. In hoc casu mutatio aëris plurimum conducit.

Vestimenta & tegumenta non sunt negligenda.

In rerum non naturalium enumeratione nulla vestimentorum & tegumentorum facta est mentio; cum tamen hæc ad sanitatis conservationem & morborum productionem plurimum faciant. Verum placuit Medicis antiquioribus, res non naturales dictas, septenario numero complecti, ut scilicet numero non minus quam nomenclatura à septem rebus, naturalibus dictis, differrent. Quamvis autem in hoc censu omissa sint vestimenta & tegumenta, nobis ideo negligenda non sunt. Imo eorum discrimen ideo exactius examinandum est, cum ad hoc symptoma producendum & expugnandum plurimum faciant. Vestimenta ad sanguinis circulationem ac pressionem promovendam aut impediendam magni sunt momenti. Calor externus vestimentorum calorem nostrum nativum suscitat, quia pressionem, expansionem, comminutionem, vim elasticam sanguinis intendit, atque hominem ab externis aëris injuriis immunem præstat. Vestimentorum defectus hominem frigori magis obnoxium reddit, atque non tantum aëris injuriis exponit; verum etiam omnibus morbis à tardiori & impedita circulatione originem ducentibus. Tegumenta & stragula ad sudores eliciendos, promovendos, cohibendos multum possunt, prout nempe vel plura vel pauciora adhibentur. Itaque pro temporum anni ratione, pro varia aëris constitutione ea

vel

vel augeri vel minui debent. Generalis illa regula, quod omnis ſubita mutatio ſit periculoſa, hic quoque locum habet.

Ut autem in ſpecie de capitis tegumentis aliquid dicamus, hic locus exigit. Nempe caput ab aëris injuriis, quantum pote, defendendum eſt. Imprimis diëi & noctis habenda eſt ratio. Probè notandum nos ordinarie nocte pluribus tegumentis opus habere quam de die, non tantum quod nocturnum frigus, ſed etiam ipſe decubitus illud exigant. Utimur enim non tantum lecto plumis animalium repleto, ideoque calorem noſtrum multum augente, verum etiam ſtragulis pluribus & quidem gravioribus aut denſioribus. Ubi autem totum corpus ita incaleſcit, & ſanguinis expanſio ac motus, nec non lymphæ refluxus verſus cor promoventur, neceſſum eſt ut caput & aures patulæ adverſus aëris injurias muniantur, ne quis in capitis dolorem & coryzam incidat. Imprimis illud obſervandum eſt iis, qui caput non tam ornare quam onerare ſolent capillamento ſutili. Illis opera eſt danda ut nocte caput probè tegant, ne imprudentiæ ſuæ dent pœnas. Conſuetudo tamen etiam multum poteſt, adeoque ejus & hic habenda eſt ratio. Refert *Herodotus* Perſarum capita admodum fragilia fuiſſe, Ægyptiorum autem firma, *Lib.* III. *c.* 12. Hujus rei hæc reddebatur ratio, quod ſtatim à pueris Ægyptii radere capita incipiant, & cranium ac caput reddere compactum. Perſæ autem à principio aſſuefiunt operire caput, geſtantes pilea tiaraſque. Quicquid ſit, illud veriſſimum eſt σκιατροφίαν tum univerſo corpori, tum capiti plurimum obeſſe. Utinam illud à parentibus diligentius obſervaretur! De tegumentis capitis in ſpecie.

Cum in ſuperioribus de cibo & potu, horumque abſtinentia & ingluvie ſit actum, non eſt neceſſe eadem hic repetere. Illud tamen omittere nolui, perverſam opinionem plerorumque animis jam dudum inſediſſe, ſcilicet *acida* omnia cane pejus & angue vitanda eſſe. Nempe publici juris facti ſunt libelli linguâ vernaculâ, acidorum uſum mirè proſcindentes. Hi homines non conſiderant diſtinguendum eſſe uſum ab abuſu, nec valere conſequentiam; quidam abutuntur acidis, ergo omnibus omnino ab acidis abſtinendum eſt. Hic argumentandi modus vitioſiſſimus eſt. Itaque ne hac in parte præjudicium vulga- De Cibo & Potu.

 re

re nos transvorſum rapiat, oportet conſiderare, non tantum acida appetitum acuere, & digeſtionem ciborum multum juvare, ſed & ipſum aceti acris odorem ſpiritus animales recreare, eoſdemque languentes excitare. Ideo ſpiritus vini abuſus multum nocet, quandoquidem fermentum ventriculi obtundit & appetitum proſternit. In febribus acutis, malignis & Peſte acida & acetum multum profuiſſe adeo manifeſtum eſt, ut confirmatione non egeat. Dicam aliquid quod noſtrum negotium, de quo hoc capite agimus, proprius ſpectat: nempe potator ſtrenuus ubi pridie plus ſatis incaluiſſet mero, & καρηβαρίᾳ vexaretur hauſtu largiori *ſucci Limonum* puri, qualis è *Guineâ* affertur, conceptum venis ardorem reſtinguere ſolebat abſque ullo incommodo. Narratum hoc mihi fuit à viro fide digniſſimo, & oculato teſte. In febribus itaque, in appetitu languente, poſt liberaliorem uſum ſpiritus vini, acidorum uſus multum emolumenti afferre poteſt. In morbo virgineo multum nocent acida, nocet nimia aqueorum ingurgitatio, imprimis *Tinctura Thee*. Nocet quoque *oryzæ*, *carbonum*, *cretæ* aſſumptio, ſacchari abuſus. Prodeſt *vinum generoſum*, *ſalviatum*, *enulatum*, *chalybeatum*.

De ſomno & vigilia. Somnus & vigilia utraque, ſi modum excedant, mala ſunt. *Hipp. Aph.* 3. *ſ.* 11. Non tamen horum in omnibus capitis affectibus eadem eſt ratio. In capitis doloribus à defatigatione, crapula, ut & febribus ſomnus protractior juvat, uti in ſuperioribus quoque monui. In pituitoſâ autem conſtitutione ſomnus protractior nocet, brevior prodeſt. Hæc confirmantur tum experientiâ, tum etiam ratione. In febribus quippe, defatigatione & ſimilibus poſt ſomnum ſufficientem multum nos recreatos eſſe & ſentire & confiteri ſolemus. E contrario virgines obſtructionibus vexatæ, à ſomno protractiori pejus habent. Nempe in hiſce caſibus ſomnus prodeſt: quando ſanguinis motus & expanſio compeſci debent; nocet quando ejus tardior motus, & ad circulandum per minima vaſa ineptitudo, majorem agitationem poſtulant.

De motu & quiete. De motu & quiete idem eſto judicium: ſomnus enim decubitum & quietem exigit: vigiliæ quieti finem imponunt, & nos ad motum excitant. Motus appetitum acuit, digeſtionem

nem promovet, ventriculum & cerebrum roborat, contra viſcerum obſtructiones & languores diuturnos ſummum eſt remedium. Itaque motus & exercitium omnino commendandum, niſi aut febris, defatigatio aut nimia ſanguinis commotio obſtiterint.

De excretis & retentis.

In omnibus capitis affectibus alvus ſemper libera ſervanda, quippe hæc pigrior excrementa multum accumulat, inteſtina, ventriculum imo & caput multum gravat; ſanguinem quoque minus defæcatum reddit. Hinc videmus commutationem fæcum alvinarum in febribus optimum præbere ſignum. Quippe ſi fæces obſcuri coloris & compactæ reddantur minus compactæ, ſi earum color magis ad flavedinem vergat, ſi alvus reddatur fluidior, ſpes ſanitatis recuperandæ affulget. Hinc enim concludimus æſtum febrilem imminui, bilis ſecretionem promoveri. Quid? quod Criſis febrium aliquando fiat per diarrhæam? Potatores illi quibus poſt ebrietatem alvus ſolet reddi laxior, ab intemperantiâ minus læduntur. Adeo ut in hiſce caſibus copioſior & ad Diarrhæam vergens evacuatio alvo adſtructiori ſit præferenda. In Chloroſi tamen alvum lubricam non ſemper amo: nimia viſcerum debilitas, & fibrarum relaxatio hanc excitare poteſt.

De animi Pathematibus.

Animi affectus uti ſemper, ita etiam hic moderandi veniunt. Ira, furor brevis, ſpiritus animales & ſanguinem exagitat, itaque animus regendus eſt, ut pareat non imperet. Morbis longioribus, qualis eſt Chloroſis, ſolet comes eſſe triſtitia, quæ tamen plurimum nocet. A triſtitiâ ſanguinis tum preſſio, tum expanſio impediuntur. A triſtitiâ ipſæ vaſorum fibræ contrahuntur, atque ita excretio impeditur, ſuppreſſio redditur pertinacior. Cum autem capitis dolor, has affligens, ab hiſce cauſis dependeat, manifeſtum eſt animi affectus perverſos hic reſpiciendos eſſe. Quæ de triſtitia dixi etiam locum habent in metu & terrore. A terrore non ſemel ſuppreſſa ſunt menſtrua antea ritè fluentia; nec mirum, cum terror ſubitò invadat, & non tantum ſpiritus & ſanguinem, ſed ipſas non raro partium ſolidarum fibras malè mulctet. Animus tranquillus & ſuâ ſorte contentus, animus hilaris & lætus in præſens, ad ſanitatis conſervationem & reſtitutio-

nem

nem plus poteſt, quam magno molimine undique conquiſita medicamentorum farrago.

CAPUT SECUNDUM.

De Vigiliis nimiis.

Deſcriptio Vigiliarum nimiarum.

Vigiliæ nimiæ ſunt, ſine ſufficienti ſomno, nimis protractum, involuntarium atque moleſtum ſenſuum internorum & externorum exercitium.

Ea explicatur.

Non tantum externorum ſed & internorum ſenſuum facio mentionem, quamvis non ignorem ſenſuum internorum functiones in ſomno nequaquam ceſſare. Mens noſtra activa eſt, ſpiritus animales in continuo ſunt motu, atque tum etiam agunt quum minimè agere videntur. Dormientes ſomniamus, hoc eſt, cogitamus aliquando quidem vana, adeo ut nec pes nec caput uni reddatur formæ, aliquando tamen talia quorum memoriam exactam fruſtra vigilantes exoptamus. Fateor ſomnum & vigiliam ſibi mutuo opponi; verum non eſt neceſſe hominem dormientem privari omnino iis exercitiis quibus vigilans fuerat uſus, ſufficit ſi eadem peragat alia ratione. Sufficit ut ſomnus externorum ſenſuum exercitium ſufflaminet, ex quo ſequitur internos remiſſius, abſque animi intentione, abſque defatigatione, abſque moleſtia agere, & commercium, quod inter utroſque vigilantibus intercedit, interrumpi, unde manifeſtum evadit in quo oppoſitio potiſſimum conſiſtat. Quieſcit equus quando plauſtrum non amplius trahit, quando habenis ſolutus per patentes campos libere ſpiritum trahit, quamvis non omnino conquieſcat, ſed huc & illuc commeando pabulum quærat. In deſcriptione igitur vigiliarum nimiarum internorum quoque ſenſuum fuit facienda mentio, non tantum quod hi nimis vividè tum agant, verum etiam quod moleſtia, quæ continuas vigilias comitatur, ex eo originem ducat, quod ſpirituum animalium motus nimius alias poſt alias excitet cogitationes, perceptiones, imaginationes, ratiocinationes, unde nos admodum defatigari ſentimus. Pertinet hæc defatigatio præcipuè ad ſenſus internos; nam quantum ad externos

ternos, illi aliquando vix afficiuntur: nempe quando æger oculis clausis in obscuro cubiculo decumbit, ubi nullus strepitus auditus organa, nullus sapor linguam, nullus odor nares feriunt. Cum ergo in molesto hoc symptomate sensus interni præcipuè, non nisi secundariò sensus externi afficiantur, amborum fuit facienda mentio. Quemadmodum post nimis diu continuatum motus voluntarii exercitium sequitur lassitudo, ita nimis diu continuatarum vigiliarum comes est defatigatio. Agimus autem hoc loco non de iis vigiliis quæ sponte, ad negotia quædam expedienda, sani protrahunt, sed de vigiliis morbosis quando ægri, quantumvis cupidi, in somnum non solvuntur, oculisve aut pectore accipiunt noctem. Opponuntur vigiliæ sanorum & ægrorum sibi invicem, quod in vigiliis ordinariis, post somnum moderatum, cum voluptate quadam sensuum externorum & internorum exercitio fruamur, in nimiis involuntarie & cum molestiâ: quemadmodum concoctioni sufficienti & celeri sanorum opponitur δυσπεψία & βραδυπεψία ægrorum. Interrumpit somnus sensuum externorum exercitium, remittit internorum; continua & proportionata illa vicissitudo summi usus, sanos nos & ad negotia obeunda alacres reddit: alterutrius defectus vel imminutio nimia morbosum est & in morbis molestum symptoma.

Quamvis vigiliarum natura ex iis, quæ de somno antea disputavi, aliquomodo intelligatur, operæ pretium tamen mihi videtur ex obviis ad minus obvia procedere, ut tanto distinctius sanarum ingenium, causas & curationem morbosarum assequamur. Tractationis ordo.

Observamus itaque ex inedia etiam maximè sanorum somnum multum imminui, uti & potu *Thee* copiosiori, circa vesperam sumpto: imprimis autem ex iis quæ sensus externos vividè afficiunt, nec non ab animi affectibus, ut & nervorum irritatione atque dolore vehementiori. Horum omnium causas si exactè perspiciamus facilis evadet vigiliarum tam naturalium quam præternaturalium explicatio. Vigiliæ sanorum.

Cum ab ediâ dilatatio & pressio sanguinis, ad cerebri corticalem substantiam blandè versus partes medullares deprimendam necessariæ, multum debilitentur, commeatus spirituum Ab inediâ.

 ani-

animalium versus sensuum externorum organa non satis diu interrumpitur. Præter causas hasce negativas accedit & positiva: in inediâ quippe protracta fibrillæ interioris tunicæ ventriculæ nerveæ molestè vellicantur, tum à salivâ continuè deglutitâ, tum ab attritu & respiratione continuis, nec non partium adjacentium mole. Tandem accedit & illud, quod nempe arteriæ aortæ truncus descendens, à ventriculi repleti onere more solito non prematur, unde sanguis versus partes superiores solito minus; versus inferiores liberius propellitur.

A potu Thee.

Imaginantur sibi aliqui potum aquæ, Tincturâ herbæ *Thee* imprægnatæ, impedire somnum, ex eo quod sc. spiritibus abundet, vel quod vapores è ventriculo versus caput adscendentes supprimat, quarum rationum neutra vera est. Nolim inficias ire in herba *Thee* latitare aliquas particulas spirituosas; verum earum non est tanta copia, ut hisce potissimum adscribi debeat vigilantia. Rogo enim quo indicio quis probet, dari tantam spirituum abundantiam? Num sapore, num odore, num effectu sese produnt? Verum neque sapor aromaticus, neque odor est penetrans. Effectus unicus est vigilantia; verum ille alio modo commodius explicari potest, uti statim videbimus. Posito autem non concesso in herba *Thee* inesse magnam particularum spirituosarum copiam, illæ à largiori aquæ puræ affusione ita diluuntur, ut in potus aquei censum potius sit adsciscendus hic liquor, quam in spirituosi aut aromatici. Hæc est etiam ratio quare noceat multis vitam sedentariam agentibus, aut laborantibus debilitate ventriculi. Vaporum figmentum frigidius est, quam ut necesse sit illud multis refutari. Cerebrum non tantum undique ossea galea & meningibus arctissimè inclusum est; verum etiam ipsa foramina in inferiori parte non hiant, sed diligentissimè obturata sunt, adeo ut vaporibus denegatus sit versus cerebrum liber commeatus. Communicatio, quæ capiti cum partibus inferioribus intercedit, fit ope arteriarum, venarum, nervorum & vasorum lymphaticorum, hi autem omnes tubuli non vaporem, sed liquorem appropriatum vehunt. De vaporibus pluribus differentem vide *Sneiderum de somno l.* II. *c.* 3.

Quomodo

Si ergo hisce causis alacritas, quam post potum *Thee* experimur

rimur non possit adscribi, videamus quæ sit vera hujus ratio? Nempe herba *Thee* saporem amaricantem & adstringentem linguæ nostræ exhibet. Amaræ particulæ incidunt & attenuant, adstringentes sanguinis nimiam dilatationem impediunt, utræque à copiosâ aqua diluuntur. Itaque potus copiosior calidi hujus liquoris sanguinem diluit, particulas sibi mutuo cohærentes dissolvit absque manifestâ dilatatione, unde sequitur, illum minimas arteriarum fibrillas facilius subire, ac commodius permeare, neque corticalem cerebri substantiam sufficienter deprimere. Cum autem à contrariis causis somnus oriatur, non mirum si sublatis causis effectus quoque tollatur. Cumque sanguis tenuior productioni spirituum sit magis idoneus, spiritus producentur tenuiores & mobiliores, præcipue si particulæ nonnullæ accedant spirituosæ, quas dixi non esse admodum copiosas, planè abesse nequaquam affirmavi. Ergo à sanguine minus deprimente, minus dilatato, spiritus mobiliores producente oritur, quod potus *Thee* aliquomodo abigat somnum.

id contingat?

Cum ea quæ sensus externos validè afficiunt è somno quoque profundo dormientes excitare valeant, non mirum si eadem somnum, nondum artus occupantem, abigant. Ita experimur nos somnolentos, nec tamen somno indulgere cupidos posse variâ ratione vigilias continuare. Quamvis enim nostri arbitrii non sit semper dormire, aut semper vigilare: quamvis non sit durabile quod alterna requie caret, possumus tamen vel diutius vigilare, vel somnolentiæ indulgere, hinc vigilantia laudi, inertia vituperio ducitur. Diligenter enim illud tenendum est, hominem respectu somni & vigiliæ sese sæpe habere instar stateris, qui in æquilibrio positus levi momento in hanc vel illam partem vergit: quod si autem uni vel alteri lanci pondus exiguum superaddatur, diu in illo remanet situ, in quo, à pondere adjecto, fuit constitutus. Proportio est quædam inter spirituum animalium motum cerebrum elevantem atque vigilias excitantem, & sanguinis impetum cerebri corticalem substantiam deprimentem. Ubi proportio hæc adest & remanet, mutua vicissitudine sese excipiunt somnus & vigilia: ita tamen ut vigiliarum tempore facile aliquis in somnum

Vigiliæ sanorum ab iis quæ sensus externos validè afficiunt.

num

num labatur à calore solis, ignis, quiete, leni murmure, cogitationibus languidis: somni tempore iterum quis facile excitetur, si spiritibus languidis à causa externâ & insolitâ agitatio nova & vehementior concilietur.

Illustratio præcedentium.

Proportionis hujus consideratio in artis operibus ex. gr. Barometris etiam cernitur & est magni usus. Nempe non sufficit ad Barometris constructionem habere tubulum vitreum altera parte clausum & argento vivo repletum, nec non vasculum aliquod mercurio itidem onustum; verum oportet ut inter hæc duo debita intercedat proportio.

Ejusdem causæ varius potest esse effectus.

Probè etiam observandum est eandem causam respectu diversæ suæ activitatis diversa imo contraria posse producere phænomena. Diximus statim calorem externum producere somnum; idem ille calor si sit nimius, si non caloris sed æstus nomine sit appellandus, non tam alliciet quam abiget somnum: vel si somnus non plane abigatur, is erit turbulentus & inquietus. Eadem est defatigationis & plurium aliarum causarum ratio. Hæc ideo diligenter meminisse oportet, ne nobis imaginemur contrariorum effectuum, semper contrarias debere esse causas.

Vigiliæ ab animi affectu.

A pluribus animi affectibus somnus excutitur; verum longum esset singulos examinare, itaque sufficiet in specie de gaudio & metu egisse; hisce enim intellectis, de reliquis non difficulter judicabimus. In gaudio major est dilatatio orificiorum cordis, major quoque pulmonum, sanguinis majori serviens expansioni, dilatatio, copiosior spirituum animalium productio nova, eorundem major motus & veluti exultatio quædam. Cum autem ad somnum producendum concurrant, & corticis cerebri depressio, & languidior spirituum animalium motus, facile est intellectu, spirituum copiam majorem, & motum extraordinarium impedire cerebri depressionem sufficientem ad producendum somnum. In metu homines animum celerem nunc huc nunc illuc dividunt, in partes rapiunt varias, & per omnia versant. Anxia illa agitatione spiritus animales perciti, impediunt quo minus cerebrum satis deprimi possit. Accedit aliquando cogitatio de fugâ: cum autem cogitationibus corpus nostrum respicientibus conjungantur

gantur determinationes ſpirituum verſus illas partes quorum miniſterio opus habemus, hinc accidit, ut quotieſcunque fugam meditamur, ſpiritus verſus pedes & crura copioſius amandentur. Itaque quamdiu ſpirituum agitatio vehementior, illorum verſus muſculos influxus validior, horumque perceptio vivida continuantur, ſomno locus non conceditur, quandoquidem in ſomno hic influxus vel interrumpitur vel debiliter peragitur. Jungitur nonnumquam timori imaginatio vivida imminentis periculi, extendens & expandens cerebrum, id quod ſomno maximè eſt contrarium. Imprimis autem inſtantis mortis metus in naufragio, morbis & ſimilibus caſibus, homines requieſcere non ſinit. Nempe agitant tum miſeros mortales conſcientiæ ſtimuli, & cujus aculeos ſanus contempſit, ejuſdem tanto acutiores moribundus perſentiſcit. In genere, in omnibus animi pathematibus vehementior adeſt ſpirituum animalium agitatio, vehementior cordis & ſanguinis motus tum in toto corpore, tum in pulmonibus, unde ſomnus aut minus aut magis abigitur.

Cum irritatio nervorum in pruritu, ſolutio continui in dolore, vulneribus, ulceribus, ſpiritus animales continuo excitent, nervorum principia non comprimuntur ſufficienter; ſed ſpiritus animales continuò verſus partem affectam influunt: hinc iterum moleſtiæ ſenſus ad ſenſorium commune defertur, adeo ut ſomnus debeat ſequi vel interruptus, vel paucus, vel nullus. *Ab irritatione nervorum.*

Conſiſtunt itaque vigiliæ ſanorum in blandâ cerebri totius explicatione, ſpirituum animalium jugi agitatione per univerſi cerebri tubulos, diſtributione per patentia nervorum orificia ad tenſionem eorundem debitam, functiones viſcerum & motus voluntarios ritè abſolvendos, nec non eorundem, ab objectis externis & viſceribus, verſus cerebrum propulſione ad ſenſationes variàs in mente excitandas. *Vigiliarum deſcriptio.*

Non opus eſt hiſce diutius immorari, cum omnia quæ ad vigilias naturales pertinent, ex iis quæ jam explicata ſunt, mihi ſatis ſuperque manifeſta videantur. Neceſſarium autem erat, diſtinctè vigiliarum protractarum cauſas naturales, effecta potus *Thee*, ut & animi pathematum exponere, quando- *Tranſitio.*

qui-

quidem hisce perspectis, facilius & rectius judicamus de statu præternaturali, effectu medicamentorum, nec non juvantibus & nocentibus.

Causæ vigiliarum præternaturalium.

Jam ad vigiliarum præternaturalium caussas transeamus, quas duplices statuo, alteras à deficiente cerebri compressione dependentes, à nimiâ spirituum agitatione alteras. Quamvis enim utraque hæc causa sæpe concurrat, potest tamen & debet clarioris explicationis gratia, jam hæc, jam autem illa tanquam primaria considerari.

Spirituum motus nimius.

Spirituum motus est nimius in febribus continuis, ardentibus, malignis & similibus, quandoquidem à vehementiori & sæpius repetitâ pressione, cujus signum est pulsus præter naturam frequentior, major est particularum sanguinis agitatio, major spirituum productio & motus. Deinde in causo & similibus, major observatur æstus. Si autem æstus externus nimius in sanis somnum abigat, quanto magis idem faciet æstus præternaturalis adeoque magis molestus. A spirituum ergo hoc motu nimio non tantum oriuntur vigiliæ nimiæ, de quibus hic agimus, verum etiam, accedentibus aliis causis, Coma vigil, Phrenitis, Mania, Melancholia, de quibus in sequentibus erit agendum.

Reddit ægrotos feroces.

A nimia hac spirituum animalium agitatione ægroti aliquando, satis alias mansueti, listiterociunt ac vehementibus corripiuntur animi pathematibus, quæ iterum spirituum illum motum intendunt & continuant diutius. Quemadmodum sanorum vigiliæ à passionibus excitantur, ita etiam præternaturales vigiliæ. Tum autem dicuntur præternaturales, quando functiones lædunt & diutius perseverant. Ad has referendæ sunt eæ quæ in affectibus hystericis & hypochondriacis non raro vexant. Hi paroxysmi aliquando à passionibus oriuntur, sæpe eos comitatur animus meticulosus, expansiones intestinorum & vigiliæ. Hæ à præcedentibus differunt, non adest talis ferocia, atque aliter tractandæ veniunt. Vide *Hoeferi* Herculem Medicum p. m. 200.

Animi passiones.

Nempe in passionibus cor in consensum trahitur, vehementius movetur, sanguinem minus placide expellit adeoque majori productioni spirituum suppeditat pabulum, agitationi etiam stimulum.

Ex-

Excitatur etiam ſpirituum motus nimius à partibus corporis noſtri variis male affectis, inflammatis, irritatis, diſtentis, ruptis. Ita Cephalalgiæ, Pleuritidi, Peripneumoniæ, Tuſſi Arthritidi, calculo renum & veſicæ, dolori colico, alvi dejectionibus, Teneſmo, tumoribus variis, Paronychiæ, vulneribus atque ulceribus comites ſolent eſſe vigiliæ pertinaces. Verum in hiſce caſibus affectus vigiliam producentes conſiderari ſolent & debent, non neglecto interim ſymptomate urgente. Inflammationes, & diverſarum partium morbi.

Deficiens cerebri depreſſio vel à ſpiritibus, vel à ſanguine habet ortum. A ſpiritibus; quando illi nimium cerebrum expandunt, adeoque ſanguini, cerebrum depreſſuro, & ſomnum producturo reſiſtunt. Verum hæc cauſa re ipſa non differt à ſpirituum agitatione, de qua egimus, quandoquidem illa ipſa agitatio quæ expandit cerebrum, ea ipſa quoque reſiſtit cerebri depreſſioni. Cum itaque hæ cauſæ modo conſiderandi ſolum differant, ſufficient ea quæ in ſuperioribus ſunt explicata. Deficiens cerebri depreſſio à ſpiritibus oritur.

A ſanguine deficiens cerebri depreſſio habet ortum, ab ejus majore vel minore defectu, ab ejuſdem tenuitate, ab ejuſdem impetu, cui ſæpe æſtus ſolet eſſe comes, vel defectu particularum alimentarium. Vel à ſanguine

Sanguine exiſtente pauco à quacunque demum cauſa, V.S. inediâ, evacuationibus nimiis, minor arteriarum adeſt repletio, facilior ſanguinis per minimas arteriolarum ramificationes tranſitus, adeoque minor depreſſio exterioris cerebri corticis verſus partem medullarem, unde ſomnus minor. Verum hâc causâ poſitâ, non ponitur neceſſario hic effectus, quandoquidem talis poteſt adeſſe ſpirituum languor, ut, quamvis debilis ſit ſanguinis preſſio, debiles & pauci ſpiritus facile cedant preſſioni non admodum validæ, adeoque homines in ſomnum prolabantur. Pauco,

Sanguis eſt tenuior in quibuſdam à peculiari temperamento: redditur tenuior à copioſo aqueorum abuſu, vel ab ejuſdem majori preſſione, vel à ſeparationis defectu. Ita videmus in quibuſdam ſanguinem eſſe valde aquoſum, adeo ut, ſi neceſſitate cogente is fuerit eductus, pars caſeoſa ipſa non ſit ita Tenuiore,

 rubra,

rubra, uti illud ordinariè videre solemus, eademque innatet sero copioso. Aqueorum liquorum copiosam assumptionem reddere sanguinem tenuiorem in superioribus vidimus. Hi liquores multo magis nocent si ejus abusu gaudentes agant vitam sedentariam; quandoquidem enim exercitio carent, transpiratio est minor, minor & debilior pressio, adeoque & minor secretio particularum aquearum. Ita ego tractavi matronam copioso potui *Thee* assuetam, quæ ordinariè, malè disposita, vexabatur vigiliis protractis: non tantum illa, sed & infans, quem primo partu (ni fallor) erat enixa, tum sanus tum æger paucissimi erat somni. Novi in hoc casu quasdam esse somnolentas; verum tum aliæ circumstantiæ solent concurrere, nempe ventriculi debilitas, ejusdemque minor concoctio, evacuationum solitarum suppressio, sanguinis copia. Adeo ut hæc exempla minimè evertant id quod antea asserui, tenuitatem sanguinis causam esse minoris depressionis cerebri, adeoque vigiliarum.

Impetuosè moto.

Impetus sanguinis locum habet in animi diversis passionibus, febribus, inflammationibus: in hisce posterioribus casibus ingens solet adesse æstus. Prima fronte hæ causæ videntur debere producere somnum, quandoquidem major agitatio & dilatatio sanguinis aptæ natæ sunt deprimere cerebrum; verum in hisce casibus secus sese res habet. Nempe ad somnum naturalem producendum requiritur blanda cerebri depressio, agitatio & expansio sanguinis moderatæ: cum autem in hoc casu omnia sint violenta, cumque vasis insuper inferatur vis à copiâ & expansione sanguinis, non tam allicitur quam excutitur somnus. Contingit tamen quandoque in febribus infestare somnum præternaturalem, si nempe spiritus sint exhausti, sanguis abundans & à naturali statu multum remotus, cerebrum flaccidum: neque enim necesse est causas somni & vigiliarum præternaturalium semper existere plane contrarias, sæpe sunt sibi mutuo affines & subcontrariæ, unde contingit vigiliis protractis & Phrenitidi succedere in eodem morbo repentè Carum.

Carente particulis alimentaribus.

Defectus particularum alimentarium locum habet in inediâ, quæ in sanis non potest esse diuturna, cum ægroti eam facilius ferant.

ferant. Hujus rei rationes ſunt plures: nempe ventriculus ab ejus fermento non vellicatur, expanſio & æſtus ſanguinis arterias, per ejus tunicas copioſè diſperſas, replens, plenitudinis efficit ſenſum, denique pinguedo ipſa corporis noſtri ſanguini iterum permixta ejus nimiæ penuriæ proſpicit. Cum autem chyli recentis novus commeatus ad ſomnum non tantum homines diſponat, verum etiam eundem requirat, facile concipimus, defectum particularum alimentarium vigilias producere ſatis protractas. Hæc eſt cauſa, quare plures ſanos vigilando unus ægrotus & ſuperet & vexet, ipſe, ut videtur, vigilias facilius ferens.

Hiſce ſingulis explicatis jam evadit manifeſtum, ſæpe plures cauſas concurrere, unde tum vigiliæ difficilius ſuperantur. Nempe in Febribus ſibi invicem junguntur ſpirituum animalium nimia agitatio, nimia cerebri expanſio, minor cerebri depreſſio, ſanguinis impetus, particularum alimentarium defectus. Poſſunt etiam jungi variarum partium corporis noſtri dolores aut inflammationes, adeoque irritatio nimia nervorum & agitatio ſpirituum.

Cauſæ plures ſæpius concurrunt.

Nullam hic intemperiei cerebri vel cum, vel ſine materia facio mentionem, quandoquidem intemperies ſine materiâ non magis datur quam accidens ſine ſubſtantia, cujus eſt accidens. A nihilo nihil fit naturaliter nec in macrocoſmo nec in microcoſmo. Creationis alia eſt ratio. Excogitatæ ſunt hæ diſtinctiones, quum ſanguinis ignoraretur circulatio, qua defectâ novum jubar toti affulſit Medicinæ. Quantum autem ad intemperiem cum materiâ, illa potiſſimum à ſanguine dependet, vel ab humoribus à ſanguine ſecretis, ex. gr. ſero copioſo in capite hærente, qualia exempla videre licet apud *Bonetum* in Anatomia practica Tit. de Dolore capitis. Obſervat. xxv. xxxv. &c. Non negandum quoque eſt vitium organicum poſſe producere vigilias protractas, veluti Phlegmonem meningum, vaſa plurimum diſtenta, &c. Vid. *Bonet. Anat. pract. l.* 1. *s.* 1. *c.* 6. Tale quid procul dubio latuit in cerebro matronæ ſupra vicennium dolore capitis divexatæ, quæ aliquando durante paroxyſmo per aliquot dies nihil ſomni capere potuit. Vid. *Williſ.* de Anima brutor. *p.* 2. *c.* 2. Verum qualeſcunque

Rejiciuntur cauſæ falſæ.

cunque demum hæ causæ sint, activitas earum in hoc consistit quod vel circulationem sanguinis naturalem, vel spirituum motum placidum immutent, vel dolorem excitent, & hoc pacto vigilias protractiores producant.

Vigiliarum differentiæ.

Progredior jam ad vigiliarum præternaturalium differentias. Harum præcipua est, quod vigiliæ aliæ sint idiopathicæ, aliæ per consensum vexent.

Vexant vel per idiopathiam.

Idiopathicæ vigiliæ sunt illæ quæ ab affectu peculiari cerebri dependent; per consensum reliquæ omnes. Ita in superioribus vidimus vel serum inundare cerebrum, vel vasa admodum esse dilatata, & tales causæ procul omni dubio plures occurrunt; verum cum occasio crania illorum post mortem aperiendi non semper detur, in quibus medicus aliquid singulare ante mortem observavit, hinc difficile determinatu est, qua ratione cerebrum affectum vigilias protractas efficiat. Deinde solent ordinariè adhuc symptomata ingruere alia, antequam ægrotus pereat, adeo ut tum illa quæ tandem ægrotum sustulerunt, sint manifestiora, quam illa quæ principio morbi & vigiliis protractis dederunt ansam. Utilissimum tamen est hanc distinctionem observâsse, præcipuè junioribus medicis, qui vitia partium fluidarum imprimis considerare, solidarum negligere vel non animadvertere solent: Nempe si ego sim certus talem affectum in partibus hærere solidis qui medicamentis expugnari nequeat, non enecabo ægrotum nil profuturis, imo sæpe plus nocituris, medicamentis; sed diætæ habebo exactam rationem, & symptomata lenire conabor. Ad vigilias per idiopathiam vexantes referri quoque possunt vigiliæ ab animi affectu pendentes, quia scilicet inordinatus spirituum à perceptione objecti nobis noxii vel utilis excitatus causa est perturbati sanguinis motus & vigiliarum. In eo autem summum est discrimen quod affectiones partium solidarum vix aut ne vix quidem tolli possint, cum spirituum hic motus major facile compesci possit, si statim advocetur medicus, & rationis dictamen sequi patiens velit.

Vel per consensum.

Vigiliæ per consensum vel ab affectu universali vel à particulari dependent. Affectum universalem voco febrem, quia hæc pressione nimiâ & dilatatione sanguinis universum corpus affli-

affligit, atque ſymptomatibus variis, inter quæ ſunt etiam vigiliæ, miſeros mortales excruciat. Hæ vigiliæ in praxi frequentiſſimè occurrunt, & ſublatâ febre, causâ ſcilicet primariâ, evaneſcere ſolent. Vidit id *Fernelius*, qui inter ſymptomata febrium, quam inter affectus particulares, de vigiliis tractare maluit. Particulares affectus varii ſunt, omnia ſcilicet quæ dolorem excitant & ingentem moleſtiam, Calculus renum, veſicæ, tuſſis, diarrhæa &c.

Differunt etiam vigiliæ quod aliæ ſint conſuetæ, aliæ minus conſuetæ. Nempe quidam ordinariè vel ob peculiare temperamentum, vel conſuetudinem ſunt ſomni parciſſimi; quidam contrario admodum ſomnolenti. Huc ſpectat, ex. gr. ſenes ſæpe magnam noctis partem vigilando tranſmittunt, cum juvenes & pueri ſe vix excitari patiantur. Itaque ſi quis ordinariè parcius dormiat, ille etiam ægrotus, vigiliis magis erit obnoxius: ſaltem non mirabitur medicus ſi talem de vigiliis morboſis conquerentem audiat. E contrario ſi quis ſomnolentus de vigiliis protractioribus conqueratur, facile judicabimus cauſam ſatis gravem tales producere vigilias. Differunt etiam vigiliæ, quod aliæ ſint minus, aliæ magis protractæ. Aliæ viros, aliæ mulieres affligunt, ſenes aliæ, aliæ juvenes vel pueros. Aliæ differentiæ.

Signis in hoc affectu non eſt opus: conqueruntur ægroti ipſi de moleſto hoc ſymptomate: quibus loquelæ uſus eſt denegatus, infantes nempe ploratu ſomnùm ſibi excuti ſatis ſuperque indicant. Magis neceſſarium eſt expiſcari num affectus ſit primarius num ſymptomaticus. Cerebri partes ſolidas malè eſſe diſpoſitas exinde cognoſcimus, quod vigiliæ ſint pertinaces, quod abſque cauſa manifeſtâ ingruant, quod medicamentis aliis non cedant, quod opiata medicamenta difficulter ferant (hoc tamen & ab aliis cauſis dependere poteſt) quod morbi alii abſint quibus hoc ſymptoma adſcribi poſſit. Paſſiones animi vel è relatu ægri vel adſtantium cognoſcuntur, vel è ſagaci conjecturâ, nempe abſentia aliarum cauſarum quibus hæ vigiliæ inſolitæ, repentinæ, & pertinaces adſcribi queant. A febre produci vigilias ex eo apparet quod febris adſit, quod ea dolorem capitis vel ſimilia producat ſymptomata, Signa.

mata, quod alii morbi absint, denique quod in paroxysmo febrili potissimum vigiliæ sese exerant. Reliqui morbi è propriis signis innotescunt.

Prognosis. Prognosis juxta causarum varietatem vanè institui debet. Vigiliæ ab affectu in partibus solidis vix corriguntur, nisi sit contusio, vulnus, aut ulcus partes exteriores occupans; verum, juxta ea quæ antea explicata sunt, non agimus hic de vigiliis quæ ab infortunio dependent, quamvis caput afficiatur, cum solutionis continui explicatio & curatio sit alius loci. Nempe si vasa sint dilatata, si membranæ cerebri corrumpantur &c. Ad hos affectus curandos non multum potest medicus nisi natura manifestè opem ferat. Sunt autem hæ affectiones tanto periculosiores quanto sunt magis inveteratæ, & quanto graviora adsunt symptomata. Vigiliæ ab animi affectu eorundem naturam sequuntur, recentes facile curantur si causa possit removeri: inveteratæ alios morbos, alia inducunt symptomata, quæ aliquando tam altas egerunt radices ut ea tollere non sit in medici manu. De vigiliis à febribus dependentibus, prognosis fieri debet juxta naturam febris ipsius, cujus explicationem jam necdum trado. Illud tamen omittendum non est vigilias admodum pertinaces in febribus præbere malignitatis indicium, adeoque has debere esse admodum suspectas. Prædictio vigiliarum ab aliis morbis productarum sequitur naturam illius morbi, cujus sunt symptomata. Vigiliæ affligentes eos qui sunt parcissimi somni, minus periculosæ sunt, cæteris paribus, iis quæ somnolentos valde torquent. Reliquis immorari non est necesse.

Indicationes. Indicationes sunt vel generales vel speciales; generales sunt quæ sanguinis & spirituum respiciunt motum, speciales affectum à quo symptomata hæc dependent. Generales ergo sunt spirituum motum compescere, sanguinis molem & impetum imminuere, eumque ad depressiones cerebri aptum reddere, denique parti laboranti suppetias ferre. Speciales respiciunt morbum in partibus solidis, qui non irritandus, sed magis sedandus vel expugnandus est: Febrem, qui curandus est, habita diligenti ratione malignitatis si ea adsit: alios morbos, quorum quisque pro ejus ingenio tractandus est.

Cura-

Curatio igitur respicit spirituum nimium motum qui omnino cautè compescendus. Medicamenta quæ illud efficiunt dicuntur hypnotica & narcotica, gradibus differentia: prior species tantum somnum; posterior etiam torporem & stuporem inducit. Quamvis varia in hac medicamentorum classe recenseantur simplicia, maximi tamen usus sunt Papaver & Opium. Opium præstantissimum medicamentum, si modo à perito artifice debite præparatum, prudenter in usum vocetur, ubi necessitas id requirit. Fuit hoc tanto in pretio olim ut Mesue Electuarium, quod Opii & aliorum simplicium æquales partes recipit, non dubitaverit *ἀθανασίας immortalitatis* nomine insignire. Similis compositio, verum è pluribus simplicibus concinnata, atque eodem nomine gaudens exstat *Nicolai*. Non tantum hoc nomine sed & *Requietis*, atque *Tryphera*, nec non à *salute* petitis appellationibus, donata sunt medicamenta opiata. Omitto de *Theriaca* & *Mithridatio* verba facere, quorum compositio ut ut antiquissima, etiamnum, non sine insigni successu, ubique decantatur & obtinet. Curatio.

Non est inficias eundum plures tales compositiones esse inconcinnas, ob magnam & ridiculam medicamentorum farraginem; verum tanta est opii efficacia, ut illæ ipsæ compositiones non caruerint sæpe laudabili effectu. Nempe ex præjudicio existimabant Opium esse frigidum, & in eo toti erant ut illius frigiditatem corrigerent, addebant itaque Piperem, Euphorbium, Pyrethrum, & similia quæ non semper ex usu sunt ubi Opium requiritur, imo nocent ubi inflammationes viscerum dolorem excitant & vigilias, id quod non raro contingit. Ne ergo semper in eodem hæreamus luto, manifestum mihi videtur tum ex odore, tum è sapore Opium non esse frigidum sed calidum, adeoque frustra laborari in ejus correctione per medicamenta valde acria. Dicet forte aliquis: unde tum vis somnifera deducenda erit? Respondeo vim illam non à caliditate aut frigiditate, sed à particulis è quibus componitur esse deducendam. Non est mea mens hic Opii instituere anatomiam, aut exactè determinare è quibus particulis præcisè, & qua proportione constet: sufficiet observâsse illud constare è particulis amaricantibus & tenacibus simul junctis, quorum Opium.

rum ea est efficacia ut expansionem sanguinis augendo impediant nimiam fluiditatem. Ulterius non pergo in determinatione particularum opii, tum quia hæc ad medicam explicationem sufficiunt, quæ non considerat res prout sunt, sed respectivè quatenus corpus nostrum afficiunt: tum quia difficillimè potest iniri calculus, ex quibus particulis præcisè constet res, quali proportione, & quæ sit eorum activitas in corpore nostro, quomodo in ventriculo immutentur, quæ particulæ ad sanguinem deferantur, quæ sit harum activitas, & ad universum sanguinem proportio. Quod si autem in hisce determinandis malè calculum ponamus, & tamen talibus medica dogmata inædificare velimus, facile apparet hâc ratione artem utilissimam & maximè necessariam erroribus repleri, ægrotos pluribus infortuniis exponi. Et si rem exactâ judicii lance trutinemus, est illa corpuscularis Physica propriè pars Philosophiæ non Medicinæ, & si quando in Medicinam transfertur illud potius fit illustrationis gratiâ, & tum Medicus agit Philosophum.

Est calidum. Verum è diverticulo in viam. Dixi *Opium* esse calidum, constare ex partibus amaricantibus & tenacibus. Quamvis hæc sint minimè dubia, juvat tamen ea paucis probare. Calidum esse arguit ejus odor gravis, ut & sapor manifestus. Idem sapor amarorem & tenacitatem, hanc insuper tactus evincit. Expansionis vim inesse opio ex iis quæ dicta sunt, tum ex eo apparet, quod *Turcis* in prælia ituris audaciam inspiret, denique quod egregium sit sudoriferum. Tenaces particulæ gustu etiam discernuntur, nec non tactu: sive enim opium crudum contrectes, sive illud dissolvas, sive etiam illud in mortario contundere satagas, manifestè apparet particulas ejus esse valdè tenaces. Hinc jam sequitur, si sanguis hisce particulis imbutus, ad caput deferatur, vasa ejus minima deberi & expandi & repleri, quia tenax & amaricans ille succus sanguini commixtus progressum ejus per subtilissimas ramificationes aliquomodo sufflaminat. Ita videmus liquores glutinosos per colum difficilius transmitti. Hæc ipsa autem difficultas transeundi per vasa minima eorumdemque repletio, depressionis corticalis cerebri substantiæ est causa, in qua somnum efficiendi vim

con-

confiſtere, ex iis quæ alibi diſputavimus, clariſſimum eſt. Deinde particulæ hæ ſeſe ſpiritibus animalibus admiſcentes, iiſdem veluti compedes injiciunt, unde ad motum minus apti & ſegniores evadunt, adeoque debiliores quam ut depreſſioni cerebri validiori reſiſtant. Et hæc mihi videtur vera eſſe cauſa, quare opium (& ſimilis eſt reliquorum medicamentorum narcoticorum ratio) ſomnum producat. Qui plura de Opio deſiderat is conſulat *Wedelii Opiologiam*, & *Matthiæ Tilingii Anchoram ſalutis* &c.

Quandoquidem autem ejus improvidus uſus, non tantum ſomnum, ſed & ejus ſororem, mortem ſæpiſſimè accerſivit, breviter adjiciendæ ſunt quædam cautelæ, ut appareat quando tutius, quando minus tutè illud in uſum vocari poſſit. Uſus ergo *Opii* ſuſpectus eſt. Eo cautè eſt utendum.

1. In Epilepſia & morbis convulſivis: quare autem hoc ita ſeſe habeat, non eſt jam explicandi locus, illud apparebit liquidò ex iis quæ de Epilepſiâ in ſequentibus tradentur. Jam tantum adjicere lubet, ſi Epilepſia & morbi convulſivi ortum ſuum deberent variis particulis acribus adeoque ſpaſmodicis, ſi contractio violenta muſculorum eſſet adſcribenda exploſioni, non tantum non deberent obeſſe, ſed & ſumme prodeſſe opiata. Cum autem hæc contrario modo ſeſe habeant, præjudicium ingens oritur contra illam hypotheſin. Paulo aliter ſeſe res habet in affectibus hyſtericis, quandoquidem ibi non tantum convulſiones conſiderandæ veniunt, quæ ſæpe abſunt, ſed & flatulentia & expanſio inteſtinorum, ſæpe etiam animi affectus. Suſpectus ejus eſt uſus in variis caſibus.

2. In vertigine & morbis ſoporoſis, quorum explicatio quoque in ſequentibus tradetur.

3. Quibus vaſa cerebri ſunt vel nimium dilatata vel etiam repleta, quemadmodum illud poſt mortem non ſemel obſervatur, quod per ſe manifeſtum eſt.

4. Ante univerſalia, præcipuè ante V. S. celebratam in Pleuritide & Peripneumonia. Hujus rei exemplum exſtat in Obſervationibus ad calcem adjectis. Ratio hujus rei eſt in promptu: quandoquidem in hiſce morbis eſt quædam tranſitus per minimas arteriarum propagines difficultas, cum interim motus & preſſio ſanguinis à celeriori cordis contractione inten-

 dan-

dantur. Difficultas hæc ſeſe exerit in parte cujus nimia repletio homines miſeros in ſummas conjicit anguſtias. Nempe pulmo, pectoris cavitatem replens, arctis circumſcribitur limitibus, unde ſequitur, ſi vaſa arterioſa nimium diſtendantur, arteriæ aſperæ cartilagines & fiſtulam proportionaliter debere coarctari, quod ſine inſigni oppreſſione non contingit. Et hæc eſt vera ratio ſummarum anxietatum, quæ moleſtiſſimè nonnumquam ægrotos exercent, & plerumque è falſis principiis male explicantur. Præmiſſâ autem V. S. ad irritationem compeſcendam, tuſſiculam ſedandam, dolorem demulcendum, ſomnum alliciendum cum ſummo ſucceſſu in uſum vocantur. Hæc eſſe veriſſima in praxi verſati medici ſatis ſuperque norunt, in juniorum gratiam tamen fuerunt inculcanda.

5. Suſpectus eſt *Opii* uſus & ſæpe noxius infantibus, ob cerebrum flaccidius, & ſpiritus debiliores in ſomnum magis proclivibus.

6. Prudentem quoque medicum eſſe oportet in exhibendo opio ſenibus, aut illis quorum vires ſunt valde attritæ. Ratio per ſe patet, quandoquidem opii efficacia major eſt, ubi vires ad illi reſiſtendum ſunt minores.

Minus ſuſpectus in ſequentibus.

Prodeſſe inſigniter ſolet opii uſus.

1. Poſt præmiſſa univerſalia.

2. In principio morbi, ubi animi affectus originem morbo dedit.

3. In doloribus vehementibus; tum enim non eſt metus ne ægrotus in ſomnum nimis diuturnum, vel profundum incidat, quandoquidem dolor continuo ſpiritus excitat, & ſomnum diſcutit.

4. In irritatione & tuſſi.

5. In Dyſenteria & diverſis alvi fluxûs ſpeciebus.

6. In Nephritide, calculo Renum & Veſicæ quando tutum non eſt potentiora diuretica in uſum vocare, aut ad lithotomiam confugere.

Longum eſſet ſingula recenſere. In genere ubi ægri ſunt robuſti, in ætatis vigore conſtituti, ſatis tutò in uſum vocari poſſunt opiata; non eſt tutum ſemper in illorum uſu diu continuare. Hæc de Opio adjicere locus hic videbatur poſtulare.

Egit

Egit hoc titulo etiam de hac materiâ *Sennertus*, qui refert *Platero* insigni medico opii usum fuisse satis familiarem. Vestigia ejus pressit *Franciscus de le Boe Sylvius*.

Quamvis concinnatio formularum non sit difficilis, cum Laudanum Opiatum & per se forma pilulari, possit præscribi, & fere omnis generis medicamentis, Mixturis, Bolis, Pulveribus, Emulsionibus. &c. admisceri, adjecimus tamen aliquam in juniorum gratiam. Forma pilulari hæc ratione simpliciter præscribitur. Formulæ.

℞. *Laud. op. gr.* j
F. Pilula. no. j

℞. *Laud. Cydoniat. gr.* ij
F. Pilula no. j

℞. *Laud. op. gr.* iij
F. Pilulæ no. ij

Qui à Laudano abhorrent in usum vocant Pilulas de Cynoglossa vel Styrace.

℞. *Mass. Pilul. de Cynogloss. gr.* viij
F. Pilulæ. no. ij

Qui pilulas deglutire non possunt in usum revocare possunt *Tincturam Opii*.

Laudatur *aqua hypnotica Dorncrellii*; verum ego eam exiguarum ad somnum conciliandum judico esse virium. Quamvis enim hypnotica medicamenta descriptioni sint addita, hæc tamen destillationi non sunt apta, cum illorum vis non communicetur destillato, sed in fundo remaneat. Tales descriptiones in Chymia minimè versatis imponunt, à peritioribus ridentur, quippe sonant vitium percussæ. Quod si aqua hæc, loco alius liquoris, ad præparationem Emulsionis adhibeatur, ut ipse fecit *Dorncrellius*, tum admitti potest. Ejus igitur formula est sequens. Aqua hypnotica Dorncrelly.

℞. *Aq. Hypnotic.* ℔j
Sem. papav. alb. ℥iij
Melon. excort. ℥j
Amygdal. dulc. excort. ℥ij

Misce & fiat s. a. Emulsio pro iij vicibus. Huic addi potest *Syrupus Violarum*. &c.

Quod si hæc voto non satisfaciat efficacior potest concinnar sequens :

℞. *sem. Cucum. Melon. Papav. alb. aa.* ℥ß
Cum aq. decoct. Hord. F. s. a. Emulsio ad. ℥xx
Add. *Syr. Diacod.* ʒvj *Laud. op. gr.* ij
Aq. Cinnamom. ʒj
M.

Sennertus hoc modo præscribit potiones.

℞. *Aq. Rosar. Borrag. aa.* ℥j
Cinnamom. ʒij
Margarit. ppt. ℈ß
Laud. opiat. gr. ij *vel* iij
M.

℞. *Aq. Papav. Solan. aa.* ℥j
Succini ppt. ℈ß
Essent. Papav. ʒij
Laud. op. gr. ij
Syr. Violar. ʒiij
M.

Ejusdem est Bolus sequens

℞. *Conserv. Violar.* ʒij
Laud. op. gr. iij
M.

Rolfincius hoc modo præscribit

℞. *Emulsionis Rosatæ vel Violatæ Mynsigt.* ℥iv
Add. Laud. opiat. gr. iij.
Margarit. ppt. gr. vj
M.

Tillingius laudat pulverem *Bald. Timæi von Guldenklee*, cujus hæc est descriptio. Vid. *Tilling.* p. 111. c. 7.

℞. *Magister. Smaragd.*
Hyacinth.
Perlar. or.
Corall. rubr. aa. ʒj
Laud. opiat. ℈j
Misce in mortario lapideo exactissime &
F. Pulvis. Dos. ℈j *hora somni.*

Causæ vi-

Ve-

Verum non ſufficit perſpectum habere, quæ ſint *Opii* vires, quomodo ſpirituum motus poſſit ſedari; verum etiam obſervandum eſt quæ cauſæ ſpirituum animalium motum nimium producant. Aliter ſedanda eſt agitatio à febre ardente producta, aliter ea quæ eſt ſymptoma affectionis hyſtericæ. giliarum examinandæ.

In Febribus itaque non ſtatim eſt confugiendum ad narcotica potentiora, niſi ipſius febris habita fuerit ratio, & præmiſſis univerſalibus. Febres.

Rectè itaque *Walſmidius* in praxi Caſ. LXVIII. primo præſcribit Enema, tum venam tundit in brachio, tum ad ſedandam ſanguinis effervescentiam (ut ipſe loquitur) progreditur.

℞. *Aq. Card-bened.*
C. C. citrat.
Ulmar. aa. ℥ij
Tinctur. Roſar. recent. ℥jß
Syr. Papav. errat. ℥ß
M.

Tum demum accedit ad Emulſionem & pulverem nitratum.

℞. *Serm.* 4. *frig. maj. excort. aa.* ʒij
Aq. Papav. errat. C.C. citrat. Endiv. Lactuc. aa. ℥jß
F. s. a. Emulſio Add.
Oc. Cancri ℔ ℈ß
Juleb Roſar. ad gratiam. pro iij *doſibus.*

℞. *Nitri ppt gr.* viij
Corall. rubr. ppt
Lapid Cancri aa. ℈ß
F. Pulvis pro j *doſi.*

Non eſt tamen neceſſe in debilioribus hiſce ſubſiſtere, verum neceſſitate urgente, & viribus ægroti non admodum attritis, licet ad potentiora confugere, qualis eſt ſequens Emulſio *Sennerti* laudata à *Tillingio*. p. 304.

℞. *Amygdal. dulc.* ʒij
Sem. papav. alb. ʒj
Aq. Violar. Nymphea aa. ℥jß
F. ſ. a. Emulſio, in qua diſſolve
Laudan. opiat. gr. iij *Add.*
Margarit. ppt. gr. v.
M.

Utiles

Utiles quoque ſunt pilulæ ſequentes Ejuſdem.

℞. *Laud. op. gr.* ijß *vel gr.* iij
Magiſter. corall. rubr. iij
F. Pilulæ. no. iij

Julius Cæſar Claudinus in *Empyrica rationali* præter *pilulas de Cynogloſſa* præſcribit

℞. *Requiei Nicolai.* ʒj

Malignæ. Quod ſi febris maligna cauſa ſit vigiliarum nimiarum, una fidelia, quod ajunt, duo poſſunt dealbari parietes, ſcilicet poterit mixturæ, aquam *Alexipharmacam* recipienti, commodè admiſceri *Laudanum Opiatum*, & hac ratione & malignitati & vigiliis occurri. ex. gr.

℞. *Aq. Ruth.*
Meliſſ. aa. ℥ij
Alexipharmac. ℥jß
Cremor. diaphoret. ℈ij
Oc. Cancri ten. pulv. ℈j
Laud. op. gr. iij
Julap. Roſac. ʒvj
M.

Hujus ſubinde duo aut tria exhibeantur cochlearia. Sequentem hauſtulum in ſimili caſu præſcripſit *Lotichius L.* 1. *c.* 8. *Obſ.* 8.

℞. *Aq. Bugloſſ.*
Lactuc.
Borrag. aa. ℥j
Cinnamom. cum aqq. cord. ppt. ʒij
Oſ. de C.C.
Lapid. Bezoar. occid. aa. ℈ß
Syr. de Papav. ʒj
Laud. op. gr. jß
Ol. ſtill. Citri. gr. v.
M. F. Hauſtus.

Quod ſi debilitas inſignis, cum pulſu parvo ſuſpecta reddant opiata, utilis eſt pulvis, quo in febre malignâ cum inquietudinibus feliciter uſus eſt *Riverius.*

℞. *Sal. Prunell.* ℥ß

Cam-

Camphor. ʒß
M. F. Pulvis,

qui dividatur in IV. partes, quarum unam capiat tertiâ quaque horâ. *Obs.* 18. *l.* 11. Vide quoque Ejusdem *Prax. Med. l.* XVII. *sect.* III. *c.* I.

Quod si vero cum affectione hypochondriaca aut scorbutica junguntur vigiliæ, tum medicamentis hystericis & flatum discutientibus jungenda sunt opiata, ex. gr. Affectio hypochondriaca.

℞. *Aq. Puleg.* ℥ijß
Hyster. ʒvj
Tinctur. Castor. ʒjß
Sal. Volat. Succin. gr. v.
Laud. op. gr. iij.
M.

Potest quoque ad imitationem *Mesues* præscribi *Athanasia*, hoc pacto

℞. *Rad. Gentian. Angelic.*
Fol. Laur. Hyssop.
Eupator. Cannabin.
Sem. Apii
Thlaspios.
Baccar. Lauri
Croci
Myrrhæ elect.
Boli Armen. veræ
Opii Thebaici, aquæ puræ decoctione soluti & iterum inspissati. aa. ℥ß
Mellis despumati. ℥xv
Vini Hispanici q. s.
F. s. a. Electuarium.

Hujus vires sunt egregiæ, uti ego non semel sum expertus.

Extant quoque apud auctores variæ aquæ somniferæ; verum quandoquidem descriptiones sunt satis inconcinnæ, libet aliam subjungere, magni usus in affectibus *Hypochondriacis & Hystericis.*

℞. *Rad. Angelic.* ℥ij
Valerian.
Enul. Camp. aa. ℥j

Fol. Hyssop. Puleg. aa. m. ij
Matricar. Salviæ. aa. m. ß
Granor. Junip.
Sem. Levistic. aa. ℥jß
Apii.
Carui. aa. ℥ß
Garyophyllor.
Cinnamom.
Macis aa. ʒij
Cubebar.
Flaved. Cort. Arant. aa. ℥ß.

Concisis & contusis affunde sp. Vini Gallici ℔ x. *macerentur per dies* 8 *tum distillentur in* MB. *donec striæ oleosæ disparere incipiant.* In liquore destillato infunde per XIV. dies.

Opii Thebaici ʒij
Croci Britannic. ʒj

Colatura servetur in vase vitreo probe obturato. Dicatur Aqua Theriacalis minor.

Fredericus Deckers, Professor Lugdunensis melancholico, plures noctes insomnes traducenti, præscripsit.

℞. *Aq. Betonic. Fl. Tiliæ. aa.* ℥ij
Fænic. Vitæ Matthiol. Antepilept. Lang. aa. ℥ß.
Sp. Sal. Armon. ʒß *forte. gr.* X.
Tinctur. Castor. gr. X. *forte* ʒß
Fl. Hyperic. ʒj
Laud. op. gr. IV
Ol. succin. gr. V
Syr. stæchad. ℥j
M.

Venæ sectio.

Sanguinis moles promptissimè tollitur V. S. quæ idcirco in vigiliis protractis est magni usus. Copia sanguinis universo corpori, tum cerebro ipsiusque membranis est molesta, uti superiori capite vidimus. Hinc contingit Vigiliis comitem esse Cephalalgiam. Non tantum autem ad Cephalalgiam, sed & somnum alliciendum facere V. S. ex eo perspicuum est, quod à V. S. homines soleant esse in somnum proclives, adeo ut necesse sit aliquando illorum spiritus varia ratione excitare

si

ſi ſomnum abigere ſtudeamus. Quamvis enim in ſanguinem immediatè agat V. S. eum imminuendo, agit tamen mediatè in ſpiritus animales itidem V. S. Nempe ſanguis non tantum pabulum præbet ſpiritibus, ſed & impetum & efficaciam. Ergo propriè loquendo ſpirituum motum nimium compeſcunt, primariò anodyna, hypnotica, narcotica, adeoque de illis egimus in ſuperioribus: ſecundariò illud facit V. S. uti dictum eſt. Quamvis autem ſecundariò ſpirituum motum compeſcat V. S. non eſt tamen exiſtimandum, primò debere ſpiritus compeſci, tum demum reſpectu ſanguinis inſtitui V. S. Venæ ſectio eſt inter remedia univerſalia collocanda, quæ rectiſſimè auctores animadverterunt ſpecialibus eſſe præmittenda. Id ſi negligatur vera medendi methodus invertitur. Quid? quod *Opii* uſus ante V. S. celebratam ſæpius in magnas conjiciat anguſtias ægrotantem?

In Febribus igitur continuis & ardentibus, ægroto exiſtente plethorico, ſanguis V. S. neceſſario educendus eſt. Etenim ſi vaſa in preſſione ordinaria omnino repleta ſint, non poteſt non preſſio præternaturalis & nimia, ſanguinis expanſione comitata, inſignem univerſo corpori & imprimis cerebro ejuſque vaſis creare moleſtiam. Huic cauſæ & ſymptomatibus exinde originem ducentibus medetur citiſſimè ac tutiſſimè V. S. Quanto enim magis moleſta hæc preſſio imminuitur, tanto magis inteſtinus ſanguinis motus, tanto magis æſtus, tanto magis expanſio vaſorum moleſta, imo tanto magis febrilia imminuuntur & præcaventur ſymptomata. Non quod in V. S. ipſa, hoc eſt, tam diu quam ſanguis è vena aperta effluit, circulationis celeritas imminuatur; ea enim tum videtur aliquomodo augeri, ut ſcilicet vas exhauſtum iterum repleatur; verum cum parte ſanguinis evacuata, reliquo majus concedatur ſpatium, revera preſſio & æſtus imminuuntur, & pulſus ægrotantis antea frequentior poſtmodum evadit moderatior & minus frequens. Hujus rei indicium manifeſtiſſimum occurrit in Pleuritide; etenim eo ipſo momento quo ſanguis educitur, dolorem & anxietates imminui ægroti & ſentiunt & fatentur. Inſigne autem levamen, quod V. S. præſtat, eſt liberior reſpiratio, non tantum ab imminuta inflammatione, quæ tar- Ea locum habet in febribus.

 dius

dius contingit, ſed præcipue à depletione vaſorum pulmonalium ortum habens. Hæc enim ſanguine nimium repleta, veſiculas pulmonis, imo ipſam tracheam arteriam nimium comprimunt, adeoque reſpirationem difficiliorem reddunt. Hæc eſt vera ratio anxietatum ſummarum, quæ perverſè ab halitibus & vaporibus deducuntur, id quod velim juniores diligenter animadvertere. *Riverius l.* 1. *Obſer.* 47. habet hiſtoriam Epiſcopi *Nemauſenſis* quinquagenarii, febre continuâ & maligna laborantis, cum vigiliis perpetuis ad ſeptimum uſque diem, huic quinquies fuit ſecta vena, & ſanguis ſatis copioſè eductus, bis à duobus aliis medicis, ter poſtquam ipſe eſſet advocatus. Feliciter priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt æger.

Purgantia quoque proſunt

Quamvis promptiſſimè ſanguinis copiam. V. S. minuat, minuit tamen quoque eandem purgatio, imprimis repetita. Requiritur illa ſæpius in vigiliis nimiis, niſi obſtet diſpoſitio, vel morbus inflammatorius. Hac ratione exhauriuntur impuritates primarum viarum, quæ alias facilè moleſtias pariunt. Memini me in vigiliis protractis quoque præſcripſiſſe Enema cum ſummo ſucceſſu. Horum formulas capite ſequente proponam.

V. S. in ſanguinis copia.

Ut ad vigilias nimias revertar, in hiſce aliquando ſanguinis copia crebro moleſta imminuenda eſt, licet illa non niſi diligenti facto examine manifeſta fiat. Hujus rei recens habeo exemplum in matrona Rotterodamenſi, quam medicus ordinarius adeo non judicabat abundare ſanguine, ut putaret ipſam melius habituram, & robuſtiorem futuram, ſi menſtrua omnino ceſſarent, adeoque ejus fluxus ſupprimendi mentionem fecerat apud ægrotam, quæ tamen prudens annuere noluit. Ratio quæ illum in hanc impulerat ſententiam, erat debilitas, & deliquium animi ſæpius recurrens. Cum autem ego diligenter animadvertiſſem ægrotam eſſe vertiginoſam, cordis palpitationibus obnoxiam, atque venas admodum tumidas: deinde menſtrua diu parcius fluxiſſe fœminæ in vigore ætatis conſtitutæ, facile intellexi non inopiam ſed copiam ſanguinis eſſe moleſtam, nec leipothymiam à defectu ſanguinis in corde, ſed à vertigine & repletione vaſorum deducendam, nec dubitavi V. S. in pede imperare, quæ etiam tanto cum ſucceſſu eſt celebrata, ut ab hoc uno remedio cuncta ſymptoma-

ta

ta fuerint mitigata, & somnus (vexaverant enim quoque vigiliæ) provocatus.

Impetus sanguinis non tantum ab ejus copia, & febribus, sed & ab animi pathematibus dependet, adeoque ad hæc quoque curam dirigere oportet. In genere ad animi pathemata vehementia & repentina V. S. valere usus docuit. Itaque hæc, si nihil est quod impediat, in usum vocari potest. Cum autem in hoc casu non tantum sanguinis impetus sit major, sed & spirituum animalium, simul in usum vocanda sunt quæ spiritus animales nimium agitatos delinire in superioribus diximus. Nihil animum reddit magis tranquillum, nihil spirituum motum nimium blandius compescit, quam somnus placidus. Exhibeatur itaque pilula è *Laudano opiato*, vel *Laudanum liquidum Cydoniatum*, vel etiam *Laudanum Tartarisatum*. En adhuc aliam formulam Quæ cura conveniat animi pathematibus in genere?

℞. *Cochenilìæ*, *Nitri anodyn. aa.* ℈ß
Laud. op. gr. j. *syr. Diacod.* ʒj
Aq. Meliss. q. s.
M. F. Haustus.

Quicumque his vestigiis insistere volet, is inveniet ab exigua dosi, in non assuetis Opio, effectum consequi non contemnendum.

Quemadmodum repentina commotio eandem generalem curam exigit, ita respectu specialium pathematum animi, curandi ratio multum discrepat. Aliter tractandus est, cui tumida bile turget hepar: aliter qui est animo tristi & abjecto. Non est hujus loci de affectibus in specie agere. Oportet observare, an animi pathemata habeant adjunctam orificiorum cordis, ut & vasorum pulmonalium explicationem, an vero contractionem. Explicatio & dilatatio cordis, adeoque gaudium moderatum & tranquillum corpori nostro est utilissimum; in id igitur, quantum pote, medico incumbendum, ut ad illum statum ægrotus & commotus reducatur. Fit illud prudenti colloquio, vel etiam medicamentis, utraque debent esse opposita illi excessui ad quem vergere laborantem animadvertimus. Si ergo nimia cordis adsit dilatatio & sanguinis orgasmus, *opiata* & *hypnotica* jungantur medicamentis nimium mo- In specie.

tum compescentibus. Prosunt in hoc casu *Plantago*, *sempervivum majus*, *portulaca*, *millefolium*, *rosæ rubræ*. *Lapis. prunellæ alumen febrifugum*, *nitrum Corallatum*, *Spir. Vitrioli*, *Salis*, *Nitri*. *Pulvis Pannonicus rubeus*. Composita varia ex his & similibus præparari possunt.

℞. *Rad. & fol. Plantag. m.* iij
Herb. Portulac. m. ij.
Flor. Rosar. rubr. p. j.
Capit. Papav. alb. ʒjß
Coq. s. a. ex aq. pura colat. ℥xx *Add.*
Syr. Diacod. ℥j
Sp. Vitriol. q. 1. *ad gratam aciditatem.*

Cui formula haustus magis arridet, is sequenti uti potest.

℞. *Succi Plantag. depurat.* ℥ijß
Lapid. prunell. ℈ß
Syr. Diacod. ℥ß
M. F. Haustus.

qui potentior fieri potest, si id necessitas postulet, additis aliquot guttis *Tincturæ Opii.*

Si vero animus abjectus & constrictio cordis animi pathemati jungatur, medicamentis opiatis misceri debent spirituosa. Ex gr.

℞. *Aq. Meliss.* ℥ij
Theriacal. min. ℥j
Tinctur. Croci. ʒj
Opii. gt. x.
Sal. Volat. C. C. gr. vj
Syr. Rubi idæi ℥ß.
M.

Sumat æger hujus mixturæ partem dimidiam, postmodum cochleatim continuando. Huc pertinent ea quæ superius laudavi, ubi affectioni hypochondriacæ junguntur vigiliæ.

Quomodo sanguis ad depressionem cerebri reddatur magis aptus?

Sequitur ut videamus quo pacto sanguis ad depressionem cerebri possit reddi aptior. Id fit exhibendo cibaria quæ facilis sunt digestionis, & somnum blandè alliciendi vi prædita. Talia sunt ea quæ ex *hordeo*, ejusque *farina*, *alicâ avenaceâ* & similibus præparantur. Hæc satis sunt manifesta ex iis quæ superius de

de caufis vigiliarum diximus. Si enim inedia in fanis vigiliarum fit caufa,non eft mirum fi ægroti, appetitu proftrato laborantes, & ab omni ciborum ufu abftinentes in fomnum fint minus proclives. Non tamen omnibus vigilantibus indifferenter funt exhibendi cibi. In morbis acutis, quo corpora plus nutriveris, eo magis læferis. Idcirco *Hippocrates* fcripfit de victu acutorum. Diæta commoda igitur potiffimum commendanda eft iis, qui à morbo chronico languent. Si abufus potus aquei *Tincturæ Thee*, *potus Coffe* fanguinem aquofiorem, & ad depreffionem cerebri reddiderit ineptiorem, is paulatim fubtrahendus eft. Quod fi appetitus langueat, is *fpirituofis*, *Vinis medicatis*, *Elixir. proprietatis*, *Extracto Abfinthii*, *Spiritu cochleariæ*, exercitio moderato eft excitandus. Utilia quoque funt in hunc finem acida varia, & condimenta ex acidis præparata. Imo aliquando appetitui aliquid eft indulgendum; videmus enim hoc pacto nonnumquam eundem proftratum excitari. Mihi aliquando *ova Sturionis condita* profuerunt.

Ultimum, cujus inter indicationes generales feci mentionem, eft parti laboranti fuccurrere. Itaque cum caput & cerebrum in hoc cafu malè mulctentur, iis etiam profpiciendum eft medicamentis topicis. *Folia lactucæ* capiti impofita & fæpe renovata in vigiliis fomnum conciliaffe dicuntur, ubi ne opiata quidem contulerant. Præparantur quoque *Emulfiones* externè capiti applicandæ. Sequens *Sennerti* non eft inconcinna. Medicamenta externa.

℞. *Sem. Lactucæ.* ʒij. *papav. alb.* ʒv
Nucleor. Perficor. ʒij
Aq. Lactucæ, Papav. alb. aa. ℥ijß *anethi.* ʒj
F. Emulfio pro Epithemate.

Gabelchoverus refert *Michaelem Kullenbachium* per tres feptimanas febre Ungarica laborantem cum dolore capitis graviffimo & vigiliis, fequenti remediorum ufu ad priftinam valetudinem rediiffe.

℞. *Syr. de Papav. fimpl.*
Aq. Lact. fem. anif. aa. ℥jß
M.

Capiti applicet fequens Epithema.

℞. *Aq. Verben. Lact. Fl. Lil. conv. aa.* ℥vj

Ab-

Absinth.
Acet. Rosac. aa. ℥j
Ol. Nymphææ. Camom. aa. ʒvj
M. pro Epithemate capitis.

Obs. 34. Cent. v. vid. quoque Obs. 22, 23, 46. &c.

Epithema hypnoticum Mynsichti hoc modo componitur.

℞. *Aq. Rosar. fragrantiss.*
Lactucæ. aa. ℥iv
Opii spagyr. ppt. ʒj
Croci orient. ʒß
Spong. in arbusto rosar. nat ℈j

Misce dissolvendo fideliter, postea mixtura imbuta lintea temporibus tepidè applicentur, naresque madefiant, unde protinus dormire incipiunt.

Lotichius l. 1. *obs.* 3. refert sese cum successu præscripsisse sequens *Oxyrrhodinum*

℞. *Ol. Rosar.* ℥j
Acet. ros. ℥ß.
Aq. Rosar. ℥vj
Camphoræ
Croci aa. ℈j
Opii aut. dissolut. ℈ß
M. F. Frontale.

In affectibus Hypochondriacis utile potest esse *Epithema Lotichii*, quo is feliciter in Hemicraniâ est usus. Est autem descriptum Lib. 2. Obs. 3. hoc modo

℞. *Aq. Vitæ compos. è spec. arom.* ℥jß
Simplic.
Salviæ. aa. ℥j
Opii Acet. sol
Camphor.
Croci aa. ℈j
M. diligenter ad vitrum.

Et quoniam hæmicraniæ facta est mentio, quæ etiam aliquando vigiliarum est causa, eam experimento muliebri sanatam vide apud *Zacutum Lusitanum* Histor. Med. Lib. 1. histor. 7.

Non incommodè quoquetem poribus applicari possunt *Emplastra*

plastra hypnotica. Talium descriptionem unam atque alteram habet *Sennertus l.* 1. *p.* 11. *c.* 1. Possunt quoque similia ex tempore præscribi, si nempe *Opium* alicui emplastro cephalico commisceatur. Qui plures medicamentorum externorum formulas desiderat is *Sennertum*, *Hartmannum*, *Riverium*, *Lotichium*, *Tillingium* consulere potest.

Quamvis parti affectæ non admoveantur, capiti tamen conferunt lotiones pedum, adeoquè hoc loco, ubi de medicamentis externis agimus, earum quoque meminisci oportet. Præparantur eæ ex *Foliis Lactuc. Violar. Solani*, *Nymphea*, *Capit. Papav. alb. Fl. Verbasc. Meliloti*, *rosar*, *hyoscyam.* Sequens formula est *Sennerti.* Lotiones pedum.

℞. *Fol. Lactuc. alkekeng. solani.*
Malv. Violar. aa. m. ij.
Flor. rosar. nymph. aa. m. j.
Melilot. m. ß.
Capit. Papav. alb. no. xij.
Summit. anethi m. j.
Cort. Mandrag. ℥j.
Coq. in aq. pro lotione pedum.

Ego in Vigiliis protractis, & affectu hystericæ passionis æmulo aliquando feliciter usus sum *Herb. Absinth. Abrotan. Puleg. Rutæ Sem. Levistic.* Pluribus nominibus hæ conducere possunt. Sive enim consideres hoc pacto lymphæ & sanguini fluiditatem majorem conciliari, sive etiam particulas aqueas sanguinis & spirituum animalium æstum compescere, sive etiam sudoris ope excretionem particularum acrium fieri utilissimam, sive etiam sanguinem ad depressionem moderatam cerebri reddi aptiorem, saltem illud constat experientia, hæc feliciter & cum successu in usum vocari.

Franciscus Hildesheim inter empyrica ex *Octavio Horatiano*, præscribit p. 413. Empyrica.

℞. *Opii gr.* iij
Myrrh.
Rutæ,
Thuris aa. q. s.

Effice cum *cera* pastillos scrupulares, & impone umbilico,

tam ſomnum præſtant, quam alvum movent. Habet is plures medicamentorum tum internorum tum externorum formulas, quæ apud eundem videri poſſunt. Vide quoque *Claudinum* in Empyricâ rationali *l.* III. *c.* 9.

Qua ratione ſpecilialibus indicationibus ſit ſatisfaciendum?

Reſtat ut videamus qua ratione ſit ſatisfaciendum ſpecialibus indicationibus. Si ergo diligenti facto examine nullum ſit dubium quin vitium aliquod in conformatione, atque partibus ſolidis lateat, quod curationem non admittit, ſcilicet vel tumor, vel tumores ſcirroſi, vel dilatatio nimia vaſorum, vel ſimile quid, æger incaſſum multis medicamentis non eſt fatigandus. Præcipuè diætæ exacta habenda eſt ratio, & ſymptomatibus occurrendum. Oportet meminiſci, hæc conformationis vitia non ideo obeſſe, quod ex. gr. parvula aliqua cerebri portio producendis ſpiritibus animalibus ſit ineptior, ſed præcipuè, quod hac ratione ſanguinis circulatio non ſine moleſtiâ poſſit abſolvi, id quod ad vitam & ſanitatem quam maximè eſt neceſſarium. In eo enim mihi videtur valdè elucere ſummi Creatoris & ſapientia & potentia, quod cum efficaciſſima preſſio circulationem abſolvat, uti alias fuſius demonſtravi, ea tamen peragatur abſque ullo moleſtiæ ſenſu in ſanis, imo cum quadam jucunditate. Qua ratione enim homo motui voluntario perficiendo eſſet aptus, niſi ſanguis validè premeretur? Qua ratione continuam effugeret moleſtiam, continuos dolores, niſi hæc abſolverentur blandiſſimè? In hoc ergo conſiſtit, ex hoc oritur moleſtia & prima labes mali, quod ex. gr. tumor comprimat vaſa arterioſa & tranſitum ſanguinis reddat difficilem, unde pulſatio moleſta & reliqua oriuntur ſymptomata. Si ergo nimia plethóra producat vel minetur graviora accidentia, ea eſt minuenda, non, quod hac ratione malum poſſit expugnari, ſed ſymptomata præcaveri. Si ſanguis nimium æſtuet aut expandatur, huic medicina eſt facienda, ſi ille idem ad motum, ſit ineptior, fluidus eſt reddendus. Quomodo ſingula hæc fieri debeant & in præcedentibus eſt dictum, & dicetur in ſequentibus. Sufficit hoc loco inculcaſſe id, in quo cardo totius hujus rei vertitur, cum hæc, quod ego quidem ſciam, ab auctoribus non annotentur, cum tamen ſint ſcitu utiliſſima. Experientiâ enim didici,

ci, homines posse laborare diu affectu aliquo in partibus solidis & tamen superstites esse si benè tractentur, posse itidem malè sedula curâ citius tolli. Exemplum hujus rei habeo recens in ægroto, noctem inquietam sæpe numero traducente, qui cum tuberculis pulmonum laboraret, à me tamen aliquandiu fuit conservatus. Postmodum extra urbem profectus à medico hæc ignorante, & mea salutaria & humanissima monita contemnente, perversè tractatus non diu superfuit. Me autem recte calculum posuisse ex eo erat manifestum, quod omnia juxta prognosin à me diu ante factam, præter spem autem vanam, qua ipsum lactaverat alter, evenerunt. Si serum in cerebro hæreat copiosum illius eductioni, si vulnera, illorum curationi est incumbendum.

Si febris producat vigilias, id quod est frequentissimum, in curatione magis febris ipsa, quam vigiliæ considerandæ sunt. Si febris tollatur, facile evanescent vigiliæ, febre neglecta vigiliis debitè occurri non potest. Sublata causa tollitur effectus. Nihil autem impedit & febris & vigiliarum curationi simul incumbere, id quod aliquando necessarium, imprimis quando vigiliæ sunt urgens symptoma. Febris tollenda.

Si malignitas conjungatur, huic est occurrendum. Fit illud præcipuè per sudorifera. Sudor si copiosè profluat, melius habere solent ægri, & citius à vigiliis molestis liberari. Verum qua ratione Febri & malignitati resistendum sit, postmodum erit dicendum, in doctrina de Febribus. Malignitati resistendum.

Si alii morbi Pleuritis, Peripneumonia, Dysenteria, Calculus producant vigilias protractas, illorum curationi imprimis est incumbendum. Possunt hæc videri per se nota, uti revera sunt, non tamen ideo à me prætereunda, quandoquidem in hæc obvia aliquando impingitur. Hujus rei unicum referam exemplum. Vocatus fui aliquando ad ægrotam vigiliis molestissimis, febre, & Peripneumoniâ leviori laborantem. Peripneumoniam medicus, qui ipsam tractaverat, non videbatur animadvertisse, & in usum vocasse medicamenta opiata satis efficacia. Tantum autem aberat ut ægrota in somnum incideret, ut è contrario sese expositam videret summis anxietatibus. Postquam ita noctem insomnem & molestissimam tra- Alii morbi expugnandi.

 duxisset,

duxiſſet, ego ſequenti die advocor, video neglectam eſſe Peripneumoniam, ad hujus curationem me ſtatim accingo, & ita brevi tempore placidè dormit, & reſtituitur ægrota.

Diæta. Aër. Reſtat ut paucis videamus, qualis diæta vigilantibus ſit præſcribenda. Aër ſit purus & temperatus, in febribus ad frigiditatem, in morbis hypochondriacis ad caliditatem vergens. Cubiculum, in quo decumbit æger, ſit obſcurum, & à ſtrepitu remotum, præcipuè in febribus, & morbis malignis; in hoc autem poſteriori caſu caminus ſit apertus, & ignis in foco luceat. Per pavimentum effundatur acetum, accendatur etiam pulvis pyrius. In morbis & anguſtiâ pectoris requiritur cubiculum ſpatioſum, minimè ſubterraneum.

Tegumenta. In tegumentis requiritur mediocritas. Nimia tegumentorum moles æſtum intendit, anxietates ſæpe adauget, adeoqui ſomnum excutit. Stragulorum penuria ſudoris eruptionem impedit, cum tamen ea criticè ſæpe morbum jugulet. Tempeſtatis anni, & conſuetudinis hic aliqua habenda eſt ratio.

Cibus & potus. Cibus & potus hic multum poſſunt. In omnibus morbis acutis, & vigiliis, inde ortum ducentibus, tenuiſſima convenit diæta. Abſtinendum ab aromaticis & ſpirituoſis. In morbis chronicis, convenienti & facilis digeſtionis nutrimento ſanguis ad cerebri moderatam depreſſionem reddendus eſt aptus, uti ſuperius quoque indicatum eſt. In morbis ſcorbuticis ſpirituoſa & vinum conveniunt. Nempe ubi ſanguinis vigor imminutus eſt, ubi ventriculus languet, niſi in uſum vocentur quæ viſceribus debilibus robur addere valeant, diu protrahetur malum pertinax. Exiſtimant quidam in vino ejuſque ſpiritu reperiri vim & particulas narcoticas, quod mihi videtur à veritate eſſe alienum. Effectus hic non particulis opiatis & narcoticis, verum preſſioni & dilatationi ſanguinis majori tribuendus eſt. Dilatationem ſanguinis ſequitur repletio major vaſorum minimè moleſta, & ſomnus. Accedit quod hi liquores non tantum curas abigant, ſed & particulæ eorundem ſpirituoſæ, non ſatis adhuc ſubactæ, admiſceantur ſpiritibus animalibus, unde in principio quidem major excitatur agitatio,

tio, poſtmodum autem torpor, ad motum & cerebri expanſionem ineptitudo.

In morbis acutis quies eſt neceſſaria, ita tamen ut ne ægroti ſtatim in principio nimium lecto mancipentur; illud enim ſæpe non parum nocet. Obſervavi enim homines, in re lauta conſtitutos, quum ſanitatem & vitam ament, ſtatim in principio lectum & decubitum amplecti, vix aut ne vix quidem ſedere, cum tamen repentina illa mutatio, abſque urgente neceſſitate, ſæpiſſimè noceat: adeo ut Scyllam vitantes in Charybdim incidant. Stoicorum erat præceptum *ſecundum naturam vivere*. Id quod *Seneca* ad Lucilium ſcribit, hic quoque locum habet. *Cum rerum natura delibera. illa dicet tibi ſe & diem feciſſe, & noctem* Ep. 3. Ego dico: in principio morbi, ubi vires conſtant, ſede: modica defatigatio ſomnum allicit, abigit continuus decubitus, decumbendi tum erit tempus ubi morbi ſtatus & vires debiles ſeſſioni reluctabuntur. In morbis hypochondriacis & chronicis exercitium, equitatio, vectio, navigatio, ambulatio ad modicam ſudoris eruptionem plurimum proſunt. Motus & quies.

De ſomno & vigilia non opus eſt ut diſputemus, cum jam in eo ſimus toti, ut ſomnum moderatum, poſt vigilias protractas, alliciamus. Somnus & vigilia.

Alvum liberam & potius laxam quam adſtrictam exigunt vigiliæ pleræque, niſi ortum ſuum debeant Dyſenteriæ, Diarrhææ aut ſimilibus morbis. Non raro contingit, poſt copioſiorem alvi depoſitionem, ægrotos in ſomnum placidum incidere, atque hinc magis juvari quam ab aſſumpto opio. Inter excreta ſudores quoque recenſentur, magni uſus in cauſone & febribus malignis. Sudoris excretioni affinis eſt, & aliquando jungitur urinæ copioſior evacuatio, in hoc caſu imprimis utilis. In affectibus hyſtericis ſemper menſes reſpiciendi: oleum & operam facile perdet medicus, ſi hoſce negligat. Excreta & retenta.

Quemadmodum vigiliæ, ita plurimi alii morbi, ad pathologiam cerebri pertinentes, à paſſionibus animi dependent. Itaque ut reſiſtant monendi ſunt ægroti. Facile quidem cum valemus recta conſilia ægrotis damus, ſed tamen niſi recta conſilia & ratio valeant, miſer eſt ægrotus, infelix medicus Animi pathemata.

qui ſuæ induſtriæ commendatum miſerum, à paſſionum impetu continuo tranſvorſum rapi & videt, & dolet, & tamen à moleſta hac commotione revocare non poteſt. Præter ea quæ ſuperius explicata ſunt, prudentes amici, ſapientia colloquia, lectio librorum non futilium, ſed utilium multum poſſunt.

CAPUT TERTIUM.

De Vertigine.

Vertiginis deſcriptio vulgaris.

DEſcribitur Vertigo quod ſit *falſa converſionis & circumgyrationis imaginatio*, *ab inordinato & circulari ſpirituum animalium*, *in cerebri parte anteriori*, *motu exorta.*

Examinatur.

Verum multi Vertigine correpti & metuentes ne cadant, probè norunt objecta externa non circumgyrari, ſed ſentiunt oculis veluti circumfuſam caliginem, & impotentiam quandam ſeſe erectos ſuſtinendi, adeo ut fulcimento egeant ne concidant. Hinc adeunt medicum, conqueruntur de ægritudine, & curationi incumbunt. Deinde, poſtquam accuratior cerebri anatomia docuit, ventriculos ejus non eſſe ſpirituum animalium promptuaria, ſed eoſdem in inane veluti ſpatium deſinere, conſtat, ſpiritus in tubulis cerebri medullaribus contineri, atque ex iiſdem in nervos derivari, hinc per univerſum corpus propelli. Cum autem hi ductus ſint admodum exigui, & motus ſpirituum animalium progreſſivus continuus, concipi non poteſt, quomodo circumgyratio ibi locum habere poſſit. Quæ de cerebri anteriori parte dicuntur, etiam innituntur præjudicio antiquorum, ſenſus internos certis quibuſdam cerebri partibus tribuentium. Verum è ſequentibus apparebit, nervos opticos, non cerebrum affici, cauſam autem efficientem eſſe ſanguinem arteriis carotidibus contentum. Non eſt ergo Vertigo falſa imaginatio, non producitur à ſpirituum animalium circumgyratione, neque etiam in cerebri parte anteriore.

Tractationis ordo.

Antequam autem de vera cauſa vertiginis agamus, prius conſiderandum eſt, certis quibuſdam ſenſationibus, determina-

minatum ſpirituum animalium in muſculos influxum, certis quibuſdam paſſionibus diverſam cordis agitationem & preſſionem, ut & in diverſas partes ſpirituum influxum comitari. Deinde quomodo ii qui ſeſe circulariter aliquandiu circumegerunt, vel cadant neceſſariò, vel ſaltem in caſum ſint proclives? Tum facile patebit, quomodo conſpectum ex alto, & animum timidum comitentur titubatio, vertigo & aliquando caſus. Hiſce præmiſſis cauſa vertiginis vera fiet manifeſta.

Certis quibuſdam ſenſationibus jungi certas ſpirituum determinationes.

Certis quibuſdam ſenſationibus jungi determinationem ſpirituum conſtantem, patet, ſi quis animadvertat nos palpebras immotas continere non poſſe, ſi aliquis ſubitò ingruat, tanquam colaphum inflicturus, quamvis probè noverimus illud tantum animi gratia fieri. Eodem modo repentinum motum manus, ante faciem alterius ſequitur nictatio oculorum.

Paſſionibus agitationem & determinationem diverſam.

Paſſiones animi comitari ſanguinis & ſpirituum agitationem & determinationem diverſam, patet ex irâ, ſanguinem & ſpiritus in oculos, faciem, vocis & reſpirationis organa, cum impetu inſolito, determinante. Eodem modo videmus pudibundorum faciem rubore ſuffundi, metuentium pallore. In metu ſpiritus verſus pedes determinantur, cum impetu & confuſo motu. Hæc omnia ita naturalia ſunt, & ordinaria, ut quamvis voluntas ſeſe opponat, non poſſit tamen ea pro libitu immutare: ex. gr. mallet aliquis faciem pudoris indicia minimè prodere, ne alius rem latentem detegat; tantum tamen abeſt ut poſſit ruborem ſupprimere, ut eo ipſo ſigna pudoris fiant manifeſtiora.

Spiritus & ſanguis ſolent retinere aliquamdiu eundem motum & determinationem eandem.

Hiſce ritè perpenſis, jam porro intelligimus, ſpiritus & ſanguinem, ſi ſæpe eodem modo impellantur, & verſus eaſdem partes, exinde facilitatem oriri per eoſdem ductus, & verſus eaſdem partes, commodè influendi: quemadmodum Philoſophi dicunt, habitum eſſe qualitatem adventitiam ad operandum cum facilitate, eumque acquiri crebris actionibus. Ubi autem in motus introductus & aliquandiu continuatus eſt, non eſt in noſtro arbitrio eum ſtatim ſupprimere, aut alium introducere. Hinc eſt, quod, ſi quis ſeſe aliquandiu in orbem circumegerit, & voluerit ſeſe repentè reprimere, neceſſe ha-

habeat vel titubare, vel cadere: nempe determinatio ſpirituum plane requiritur alia, ad muſculos ſucceſſivè inflandos & remittendos, quam ad eoſdem ſimul & æqualiter tendendos, hinc fit, quod ubi prior illa determinatio aliquamdiu continuata eſt, altera ſubitò introduci non poſſit, priori planè abolitâ: adeo ut in vacillante, ut ita dicam, ſpirituum determinatione, & ambiguâ muſculorum tenſione, atque flacciditate, homo neceſſariò vel titubet vel cadat.

De unione mentis cum corpore.

Non eſt hujus loci, ulterius hæc Philoſophicè & fuſè explicare, ſufficit ſi in memoriam revocemus, hæc ita ſeſe habere, atque illud oriri ex arctiſſimâ unione animæ & corporis. Nempe mens non cogitat, non vult, non ratiocinatur, niſi mediantibus ſpiritibus animalibus: corpus nihil patitur, objecta in ſenſuum externorum organis nullum excitant motum, quin mens illud percipiat, & ſpiritus determinet, prout impreſſiones ſenſuum illud requirunt. Cumque omnes noſtri conſervationem & utilitatem amemus, hinc perceptionibus, quæ noſtrum commodum aut incommodum reſpiciunt, ſtatim junguntur paſſiones cum majori vel minori ſanguinis & ſpirituum commotione. Cumque hæc ſæpe fiant, & ferè eodem modo, hinc oritur facilitas & conſuetudo influxus ſpirituum verſus has aut illas partes, prout perceptiones variæ illud requirere videntur. Ita videmus nos aliquando, per plateas obambulantes & de rebus ſeriis agentes, obvios ſalutantes iterum ſalutare, cum tamen paulo poſt neutrius ſimus memores, tanquam ſi ſpiritus ſpontè & automatice motus illos corporeos peragerent. Mens noſtra, motûs omnis expers, tantum agit cogitando & volendo, adeoque nullum motum excitare in corpore, nullum ſupprimere poteſt: omnis ejus poteſtas conſiſtit in voluntate, atque hujus tantum in determinatione ſpirituum verſus has aut illas partes, à qua ſanguinis motus ſemper, vel plerumque ſaltem, immutatur. Spiritus animales voluntati obediunt, ſi organa omnia ritè ſint diſpoſita, niſi adeo vehemens introductus ſit motus alius, ut is ſtatim immutari non poſſit.

Quomodo circumgyrationis ſenſus in nobis excitetur?

Circumgyrationis ſenſus in nobis excitatur naturaliter, ſi objecta externa in orbem circumgyrentur, ſi nos ipſi corpus no-

noſtrum celeriter circumagamus, vel ſi ſubitò caput circumducamus. In omnibus hiſce caſibus manifeſtum eſt, tunicæ retinæ, adeoque nervi optici, fibrillas ſucceſſivè ab aliis & aliis objectis moveri, unde tum in nobis excitatur circumgyrationis ſenſus.

Quomodo illud fiat, ubi è loco edito proſpicimus?

Ubi autem in loco edito, aut præcipitio, conſtituti, celeriter verſus inferiora reſpicimus, fibrillæ nervorum opticorum, à variis objectis, ſucceſſivè afficiuntur, tanquam à corporibus in orbem actis. Hujus rei ratio eſt, quia, quo altius ſumus elevati, tanto longius, tanto plura objecta proſpicimus & cernimus. Si itaque repentè & ferè perpendiculariter terram reſpiciamus, objecta illa omnia quæ in rectâ lineâ, ad horizontem uſque, occurrunt, ſucceſſivè, quaſi celerrimo gyro circumrotata, nobis repræſentantur, adeoque vertiginis ſenſum in nobis efficiunt. Cum autem illum ſenſum comitetur conſideratio altitudinis, in qua conſiſtimus, & periculi, in quo verſamur, & defectus fulcri, metus repentè ingruens determinat ſpiritus, ſpontè verſus muſculos crurum contendentes, confuſe in muſculos nunc hos, nunc autem alios. Turbulentus ille ſpirituum influxus, flacciditatem muſculorum antagoniſtarum comitem habet, nec rationis imperium, ſed paſſionis ſequitur impetum: unde neceſſariò & vacillatio & caſus. Ut enim erecti ſtemus, muſculorum æqualis & conſtans requiritur tenſio, quæ hic planè deſideratur.

De Vertigine morboſâ.

Vertiginis itaque morboſæ cauſæ erunt, quæcumque fibrillas nervorum opticorum ſucceſſivè ita movere poſſunt, ut circumgyrationis ſenſus in nobis excitetur, vel quæ impediunt ſpirituum æqualem & ſufficientem in muſculos influxum. In priori ſpecie ſpiritus patiuntur ſeu afficiuntur, in poſteriori non agunt debitè. Prioris ſpeciei cauſa ordinaria eſt ſanguis, extraordinaria partes ſolidæ, vel excrementa à ſanguine ſecreta, quorum tamen ἐνέργεια in eo potiſſimum videtur conſiſtere, quod ſanguinis circulationem aliquomodo immutando, preſſionis impetum aliquomodo invertant. Poſterioris cauſa ſunt ſpiritus vel motu turbulento, vel defectu peccantes. Singulas has cauſas breviter percurramus.

Ejus cauſæ

Sanguis vel copia ſuâ vertiginem producit vel repletione

vaſo-

funt fanguinis copia. vaforum nimiâ. Sanguinis nimiam copiam producere vertiginem apparet in iis, qui ob Plethoram vere foliti funt ad V. S. recurrere. Si hi V. S. differant, fentiunt, non tantum capitis gravitatem, fed & fcotomiam oculis obverfantem, aliquando gravem Vertiginem, quæ illos cogit ad V. S. confugere, qua inftituta ftatim fymptomata hæc imminuuntur. Quòd fi accedat calor aëris cito augmentum capiens, tum hi pejus habere folent, quandoquidem repletio vaforum major eft ubi à calore fanguis fubito dilatatur.

Repletio vaforum in febribus. Eadem illa caufa in febribus fæpe vertiginem producit, quando fcilicet fanguinis copia, ob dilatationem morbofam, arterias nimium replet. Nempe arteriarum carotidum rami interni non tantum adjacent proxime nervis opticis, fed eofdem quafi ambiunt, hi ergo nimium repleti, nimium expanfi, premunt nervos opticos à parte inferiori verfus fuperiorem in orbem, quandoquidem pulfatio cordis & arteriarum, à majoribus vafis verfus minora progrediens fucceffivè, fibrillas nerveas impellit, unde circumgyrationis excitatur fenfus.

In morbis Hypochondriacis, & Scorbuticis. Producit quoque fanguis, repletione nimia, vertiginem in Hypochondriacis & Scorbuticis. Quamvis enim fanguis, ob nimiam copiam & dilatationem, vafa etiam repleat, diftinguenda tamen eft repletio vaforum, de qua nunc agimus, à priori, quandoquidem planè aliam agnofcit caufam. Nempe in Hypochondriacis & Scorbuticis fanguis, ad motum ineptior, minimas arteriarum ramificationes non fatis celeriter permeat, unde rami majores, & quidem nervis opticis adjacentes, magis replentur, nervos proximos premunt, & ita vertiginem excitant. Preffio fanguinis continua eft, fi ergo fanguis non fit fatis aptus ad motum progreffivum fatis prompte abfolvendum, cor contractione iteratâ & validâ fanguinem verfus fuperiora impellens, caufa eft, cur nervorum opticorum fibrillæ exteriores fucceffive comprimantur. Concurrit in hoc cafu fæpe ventriculi debilitas. Vide *Foreftum l.* x. *obf.* 49. Solent hi homines effe meticulofi, unde fanguinis & fpirituum motus excitatur turbulentus, fymptomata hæc graviora efficiens, uti in fequentibus videbimus.

Confirma- Optime hæc cum experientia quadrant. Si quis enim plethori-

thoricus aliquandiu pronus corpus & præcipuè caput versus terram inclinet, elevatus percipiet sese vertigine correptum, manifesto argumento, à nimia repletione arteriarum cerebri, & per consequens, compressione nervorum opticorum, procedere hanc affectionem. Videmus etiam vertiginem sæpe præcedere Apoplexiam & Convulsiones: horum morborum signum esse oculos immotos & visum abolitum, postmodum ostendetur: unde patet, vertiginem, cum sit minor gradus graviorum symptomatum, exteriores tantum opticorum nervorum fibrillas afficere in orbem, Apoplexiam & convulsiones eosdem vehementius comprimere, adeoque eorum functiones ad tempus planè abolere. Patet etiam hinc quæ sit connexio inter Vertiginem & Apoplexiam, cum hæc sit omninò obscura, si vertigo tantum consideretur tanquam falsa imaginatio, à spirituum in orbem motu, producta. tio præcedentium, ab experientia.

E vocis Etymologiâ.

Consentiunt hæc etiam cum Etymologia vocabuli. Symptoma hoc Græci vocant σκότωμα & σκοτόδινον, indicantes in hoc casu visum obtenebrari, & ex illa obscuratione oriri vertiginis sensum. Quanto enim vividius fibrillæ nervorum opticorum à radiis luminis moventur, & quanto motus ille minus impeditè ad sensorium defertur commune, tanto clarior luminis sensus in nobis efficitur. Ubi autem aut nervi debilius afficiuntur, aut sensus ille non potest satis commodè ad interiora deferri, tanto minor est claritas, tanto major obscuritas. Cum autem ob compressionem nervorum motus debilius & perversè ad interiora deferatur, hic nascitur σκότωμα & σκοτόδινος. In Apoplexia totalis est obtenebratio, & sensuum omnium abolitio, ob omnimodam compressionem, aliqua & minor compressio, qualis in vertigine occurrit, gradus quidam est ad Apoplexiam.

Vitia solidarum partium.

Vidimus caussas compressionis ordinarias, examinandæ sunt extraordinariæ, nempe quæ aliquando, rarius tamen, occurrunt: eæ sunt vitia solidarum partium. Nempe si vasa cerebri sint nimium dilatata, facile comprimuntur nervi optici, & excitatur vertigo. Ita vesiculæ aqueo humore refertæ, adeoque progressivum sanguinis motum impedientes excitare vertiginem possunt. Quod si sanies aut serum effundatur in

cere-

cerebri ſubſtantiam, aut aqua limpida ventriculos cerebri repleat, facile excitari poteſt Vertigo. Horum omnium exempla in Anatomia practica *Boneti* videri poſſunt. Nullum eſt dubium, ſi copia daretur diſſecandorum cadaverum, ubi mortem præceſſit pertinax nec ullis remediis cedens vertigo, quin ſemper aliquod in partibus ſolidis vitium, vel ſaltem excrementa copioſius congeſta invenirentur in cerebro. Conjungimus enim vitia ſolidarum partium in uno eodemque paragrapho, quandoquidem non ſemper licet hæc vitia per ſigna minimè dubiâ à ſe mutuo diſtinguere.

Spiritus peccant turbulento motu.

Diximus cauſam vertiginis quoque eſſe ſpiritus, qui duplici ratione peccare poſſunt vel turbulento motu, vel inopia. Turbulento motu peccant in ebriis, qui etiam ſæpe redduntur vertiginoſi non tantum, ſed & rediguntur ad tantam motus impotentiam, ut nec pes nec manus officium faciant ſuum. Idem illud in paſſionibus animi obtinere poteſt. Novi in hiſce caſibus ſanguinem quoque affici, imo, ſine reſpectu ad ſanguinem, haſce vertiginis ſpecies intelligi non poſſe, ad cauſas tamen vertiginis diſtinguendas utile judicavi in hiſce caſibus ſpiritus reſpicere, quandoquidem eorum motus turbulentus manifeſtus eſt. Altera ratio eſt, quandoquidem titubationis & lapſûs cauſa non tam in ſanguine, quam in ſpiritibus latet: ſanguis enim ſatis aptus eſſet ad muſculos tendendos, ſi ſpiritus ordinatè & debitè in fibrillas nerveas muſculorum determinarentur, quandoquidem autem turbulento motu, & veluti deſultoriè moventur ſpiritus, ob æqualis muſculorum tenſionis defectum, cadunt.

Et inopiâ.

Peccant quoque ſpiritus inopiâ & debilitate. Hujus debilitatis & inopiæ manifeſta occurrunt exempla in iis, qui, poſt morbum gravem, convaleſcunt. Hi enim ubi oculi à radiis luminis vividius afficiuntur, ubi per plateas primum incedunt, ubi hominum turbæ inſolitæ occurrunt, ubi fulcimento aut fulciente deſtituuntur, ſtatim aut vertiginoſi redduntur, aut titubant, aut cadunt. Cauſa eſt quod lumen, aut objecta externa inſolita, ſpiritus magis commoveant, qui cum ſint debiles non poſſunt æqualiter fibras muſculorum tendere, quod ad erectionem, aut ſucceſſive & ordinatè in eaſdem in-

influere, id quod ad progreſſum requiritur. Similis eſt ratio vertiginis ab inediâ.

Cauſæ plures concurrunt.

Quamvis autem cauſas ſingulas in ſpecie explicâſſe ſit utiliſſimum, obſervandum tamen eſt plures ad vertiginem cauſas plerumque concurrere. Simulac vertiginis principia aliquis ſentit, incipit timere ne paroxyſmus ille fiat gravior, incipit timere ne cadat; metus, animi pathema, & ſanguinem commovet & ſpiritus turbulentè verſus pedes determinat, turbulentus hic motus nunc hos nunc illos muſculos inflat, adeo ut hinc vacillatio ſequatur, aut caſus. Quod ſi æger ſit hypochondriacus, aut aliquando ceciderit, commotio hæc ſanguinis & ſpirituum eſt major. Hypochondriaci enim ſolent eſſe meticuloſi; illi autem qui aliquando ceciderunt, ſibi illud idem impendere facile ſunt perſuaſi, ergo à minori ſpirituum robore & turbulento motu eorum, ſymptomata ingraveſcunt. Qui ſæpe vertigine corripiuntur animum facile deſpondent, unde ſanguinis & ſpirituum ſequitur debilitas. In animi pathematibus & ebrietate, non tantum ſpiritus, ſed & ſanguis commoventur. Adeo ut apertiſſimum ſit omnes has ſpecies ſibi mutuo varie copulari, in omnibus caſibus ſpiritus non determinari conſtanter verſus illos muſculos, qui ad æqualiter corpus ſuſtinendum ſunt deſtinati, aut ad progreſſum ordinatum & firmum requiruntur. Videmus inſuper quomodo vertigo è veris ac minime fictitiis cauſis explicari poſſit, omiſſis quæſtionibus inutilibus. Quæſtionum inutilium, & diſſentientium opinionum ſylvam videre licet apud *Schneiderum* de Vertigine, adeo ut non malè affirmet, *c. 5. Jamdudum* Franciſcus Sanches *pronunciavit nihil ſciri, veriſſimè ſi hic & ea expenderet, quæ ab auctoribus vertiginis naturam interpretantibus prolata in lucem fuerunt, quibus nox caliginoſa huic Scotomati objicitur. Hæc veterum juniorumque ſcientia eſt ſimilis illi picturæ, quæ amat obſcurum, nec unquam* volet hæc ſub luce videri.

Vertiginis deſcriptio vera.

Reſtat ut ſubjungamus deſcriptionem vertiginis noſtris principiis accommodatam. Eſt ergo *Vertigo preſſio ſucceſſiva fibrillarum nervorum opticorum, circumgyrationis ſenſuum in mente excitans, & ſpiritus debiliter, aut confuſe verſus muſculos determinans*. Hæc deſcriptio ex antedictis cum ſit clariſſima, ad differentias progrediemur.

Differentiæ.

Vertigo alia eſt per Idiopathiam alia per Sympathiam. In priori cenſu imprimis recenſeri meretur Vertigo, quæ à vitio ſolidarum partium habet originem; tum enim cerebrum primario afficitur, ſanguis & viſcera poſſunt ſatis bene ſeſe habere. Ad eandem claſſem pertinet vertigo quæ ab humoribus ſeroſis, &c. in cerebro congeſtis habet originem. Hujus inſigne exemplum refert *Platerus* in obſervationibus, *p.* 101 & 102. Referenda ad hanc eandem claſſem eſt vertigo, quæ à ſanguinis nimia quantitate originem ducit. Quamvis enim ſanguis toti corpori proſpiciat, quamvis aſſiduâ viciſſitudine locum mutet, cum tamen copiæ ipſius noxam luat cerebrum, cum ſigna abundantiæ nimiæ per vertiginem ſeſe prodant, hæc ſpecies recte etiam ad idiopathicam vertiginem refertur. Vertiginis reliquæ ſpecies ad ſymptomaticas ſunt ablegandæ: quippe ea quæ affectionem hypochondriacam aut ſcorbuticam aut etiam ventriculum debilem ſequitur, tanquam ſymptoma prioris affectionis conſiderari, hæc etiam eodem modo curari debet. Ad ſymptomaticam vertiginem etiam referri debet ea, quæ ſæpenumero in febrium continuarum principio obſervari ſolet. Nempe non rarò contingit, ægrotos, in febribus conqueri de vertigine & capitis dolore moleſto, quorum præludia etiam ſani ſenſerunt, verum neglexerunt. Hujus natura ex antedictis facile percipietur, ſi in mentem revocemus, ſanguinem in febribus majori impetu premi in arterias univerſi corporis, adeoque etiam in arterias carotides: eundem ſanguinem magis expandi, atque ita diſtendere eaſdem arterias, unde tum neceſſariò ſequitur circularis preſſio filamentorum nerveorum optici nervi, adeoque vertiginis ſenſus. Symptoma hoc gravius affligere ſolet, ſi concurrat nimia repletio, & minatur Epilepſiam aut motus convulſivos niſi ipſi tempeſtivè V. S. occurratur. Hoc velim juniores medicos diligenter conſiderare, quandoquidem talia ab auctoribus non ſatis inculcantur, cum tamen ſint veriſſima, & in praxi utiliſſima. Ad ſymptomaticam vertiginem quoque pertinet ea, quæ ſæpe in declinatione morbi vexat. Difficile poſſet videri quomodo id contingat, verum res evadet manifeſta, ſi præter ea, quæ ſuperius jam adduximus conſideremus,

mus, id ſæpe accidere iis, quibus, quantumvis plethoricis, in principio non fuit ſecta vena. Hinc ſerum ſanguineum evehitur in conſiſtentiam gelatinæ ſpiſſiſſimæ, ſanguis evadit ad circulandum ineptior. Conſiderandum etiam eſt, ob ſpirituum paucitatem nervos eſſe flaccidiores: itaque ſi ab exercitio ſanguis in majorem concitetur motum, ob difficiliorem per arteriarum cerebri filamenta tranſitum, facile replebit majores, & nervis opticis adjacentes arteriæ carotidis ramos: hi facile nervos opticos in circulum prement, cumque etiam muſculi ob ſpirituum inopiam ſint flaccidiores, & vertigo & titubatio, & aliquando lapſus facile ſequentur. Dixi ab exercitio ſanguinem in majorem motum concitari, id quod cum experientiâ mirè quadrat; ſi enim quis pulſum talium debilium examinet ante motum, ubi quieti ſedent, & ubi tantum ſemel atque iterum per cubiculum obambularunt, is ſummam inveniet in pulſu & reſpiratione differentiam, manifeſto argumento ſanguinem premi vehementius per minimas arteriarum propagines, præcipuè autem noxa ſentitur in cerebro, ob conſtitutionem eam quam explicuimus. Differentia alia ſumitur à ſymptomatis hujus gravitate: adeoque tres vertiginis gradus, potius quam ſpecies, ab auctoribus deſcribuntur. Horum primus δῖνος & ἴλιγγος dicitur, quum omnia, quæ ſeſe oculis offerunt, circumagi videntur. Secundus σκότωμα & σκοτόδινος ſeu vertigo tenebricoſa appellatur, quando oculi ſimul, velut offuſa caligine, obſcurantur. Tertius gradus nomine proprio caret, verum eſt graviſſimus, ubi ſc. laborantes concidunt & prolabuntur, niſi ipſis protinus ſubveniatur. Hi gradus revera diſtingui poſſunt, verum obſervandum vocabula ſæpe promiſcuè uſurpari, ne quis ſibi imaginetur majorem, quam quæ revera datur, apud auctores antiquos ἀκρίβειαν.

Non omittenda eſt alia differentia ab auctoribus, quod ego quidem ſciam, non ſatis animadverſa, in praxi tamen non contemnendæ utilitatis, ea eſt, quòd vertigo aliquando cum nauſea continuâ & ſymptomaticâ, aliquando abſque inſigni nauſea vexat. Nempe ubi vomitus aut nullus, aut criticus adeſt, tum medicamenta efficaciora ad ſaburram ventriculi & in-

inteſtinorum exhauriendam in uſum vocari poſſunt, ubi autem vomitus hic moleſtus vexat, tum blandius & per epicraſin potius evacuandum.

Plures poſſent addi à variis circumſtantiis petitæ differentiæ, quod alia vertigo ſit recens alia inveterata, alia hæreditaria, alia adſcititia, alia in vigore ætatis conſtitutorum, alia ſenum, alia conſueta, alia minus conſueta, verum ubi medicus ad ægrotum vocatur, hæ ſtatim primo intuitu evadunt manifeſtæ, adeo ut illis immorari non ſit neceſſe.

Signa vertiginis.

Signa è relatu ægrotorum patent, vel ſi quis hominem, abſque cauſâ manifeſtâ, titubantem videat aut cadentem, is facile judicabit talem vertigine eſſe correptum.

Cauſarum.

Difficilius eſt judicium, quæ cauſa vertiginem producat? itaque ſtatim inquirendum an Plethora adſit? Hæc ſeſe ſignis ab auctoribus propoſitis manifeſtam reddit: ego è praxi didici duo aliquando comitari & Plethoram & Vertiginem, quæ ſicco pede tranſmittenda non ſunt. Alterum eſt vaſa oculorum admodum tumida, adeo ut ramificationes, quæ in ſtatu ſano oculis non ſubjiciuntur, ſtatim ſeſe offerant, tanquam ſi quis leviori Ophthalmia ſit correptus: alterum anxietates & oppreſſiones pectoris inſignes, quibus aliquando aut tremor aut palpitatio cordis jungitur. Poſtquam hæc obſervaſſem, inveni eadem à *Frambeſario* in canonibus medicis, & aliis non eſſe omninò neglecta; verum cum ad hæc vulgò non attendatur, ea hic eſſe proponenda omnino judicavi; confirmant etiam ſuperius à me propoſitam ſententiam. Si enim vaſa minima oculum perreptantia ita repleantur, ut tumida reddantur & admodum manifeſta, nonne exinde rectiſſimè concludemus, vaſa meninges & cerebrum irrigantia eodem modo tumere, & tumore ſuo nervorum compreſſionem, ac leviorem aut graviorem producere vertiginem? Si ſanguis vaſa pulmonis ita diſtendat, ut arteriæ aſperæ propagines, per eundem diſperſæ, comprimantur, atque adeo ſequatur inſignis oppreſſio, quid mirum, ſi arteriæ cerebrum perreptantes nimia ſua repletione nervis vicinis ſint moleſtæ? Si ſanguis pulmonem difficilius permeet, ubi aer & reſpiratio ejuſdem motum progreſſivum adjuvant, quid mirum, ſi

vaſa

vaſa cerebri copioſiſſima nimiæ repletioni & ſymptomatibus, ab eadem repletione oriundis, ſint expoſita? Si nimia vaſorum pulmonalium repletio anſam det palpitationi & tremori cordis, quid mirum, ſi vertigo gravior aliquando præcedat convulſionem vel morbos convulſivos?

Ubi affectio hypochondriaca, hyſterica aut ſcorbutica vexat, admodum veriſimile eſt vertiginem, tanquam ſymptoma, ab hiſce morbis dependere. *Williſius* recte vertiginem inter ſymptomata Scorbuti enumerat, quod miror *Eugalenum* omiſiſſe. Horum autem morborum ſigna è propriis, locis petenda ſunt.

Quandoquidem morbi ſolidarum partium non, niſi diligenti adhibito examine, innoteſcunt, prudentem oportet eſſe medicum, ne quicquam pronuntiet, niſi ex indiciis manifeſtis de veritate omnino ſit perſuaſus. Examinandum eſt, an ſymptoma hoc poſſit produci à morbo, cujus cenſetur ſequela? Datur ſemper reſpectu gravitatis & diuturnitatis aliqua proportio inter morbum ejuſdemque accidentia. Non mirum eſt ex. gr. ſi dolor, & ardor, & tumor adſint, ubi adeſt inflammatio; verum ubi inflammatio imminuitur minora ſenſim evadunt hæc ſymptomata. Non eſt mirum, ſi poſt uſum Cantharidum quis conqueratur de ardore, dolore & inſigni mejendi difficultate, ubi autem aſſumptæ aut impoſitæ non ſunt cantharides, & tamen vexant eadem ſymptomata, neceſſe eſt ut cauſæ alii ſatis gravi hæc adſcribantur. Itaque ſi morbus & cauſæ, à quibus deducebatur vertigo, evaneſcant, vertigo autem æque gravis perſeveret, & abſque cauſâ manifeſtâ exacerbetur, admodum veriſimile eſt, cauſas hujus mali in partium organicarum malâ diſpoſitione latere. Alterum ſignum eſt ſi medicamenta contra vertiginem efficacia, nullum vel exiguum afferant juvamen. Si enim medicamenta, vitia fluidarum partium emendantia, contra hanc vertiginis ſpeciem, nullius ſint utilitatis, admodum credibile eſt vitium ſolidarum partium latitare. Et hæc quidem mihi videntur ſigna maximè demonſtrativa vertiginis à partium ſolidarum vitio, quibus poſſent addi duo minus quidem demonſtrativa, probabilitate tamen omni non deſtituta, quorum alterum eſt,

Vitii partium ſolidarum.

si medicamenta opiata non ferant, alterum si vomitu sæpius absque vitio ventriculi recurrente miserè torqueantur ægroti. Verum, uti dixi, probabilitate hæc non carent, possunt tamen etiam hæc alias agnoscere causas. Non inutile tamen videbatur hæc in transitu monuisse.

Seri in capite collecti. Serum in capite collectum esse nemo facile deprehendet, nisi ad omnia symptomata accuratè attendat; etenim obscurum hujus rei est indicium. Itaque signa serosi humoris sub cranio delitescentis hæc non sunt negligenda. Dolor capitis gravativus, aut acutus, aut pertinax, nulla vel exigua febre comite: somnus profundus, motus convulsivi, stupor. Contigit aliquando fœminam conquestam esse de vesica aqua plena, eo vergente, quocumque inclinaret caput. *Vid. Boneti Anat. pract. c.* 1. *s.* 1. *obs.* 18. *append.* 1. signum etiam non contemnendum præbet, siquis de languore conqueratur absque aliâ manifesta causâ, & caput frigoris sit impatiens: adest enim in hisce casibus capitis debilitas. *Vid. Bonet. l. c. obs.* 32. *&* 34. Suspicionem quoque præbet, si quis catharrali per nares profluvio obnoxius, eo privetur, subsequente capitis dolore, vel gravitate, vel vigiliis, vel somnolentia aut simili affectu. Contingit etiam aliquando ægrotum de fluctuatione in capite conqueri. *Bonet. l.* 1. *s.* XI. *obs.* 1.

Turbulenti spirituum motus. Turbulentus spirituum motus pulsu sese prodit: simulac enim aliquis gravius commovetur, statim spiritus in cor, præcordia, pulmonem influunt, adeoque pulsum variè immutant, quæ immutatio tactu explorari potest. Deinde quando commotio non ita gravis est ut usum loquelæ adimat, ægri ipsi aut adstantes ea quæ evenerunt narrare solent. Ebrietas variis signis sese prodit, quæ enumerare non est necesse.

Languoris. Languoris & vertiginis post morbum diuturnum indicia sunt admodum manifesta; præterquam enim quod ægri & adstantes de debilitate insigni conquerantur, medicus ipse è pulsu, dispositione corporis, voce, sermone, incessu, &c. facile animadvertit vires esse attritas, & inde vertiginem habere ortum.

Expansionis sanguinis nimiæ. Expansio nimia sanguinis, vertiginem in febrium principio producens, tum è signis febrem adesse testantibus, tum è calo-

caloris & æstus indiciis, è lingua, pulsu, urina cognoscitur, quæ in pyretologia docentur.

Prognosis ita institui potest. Vertigo à sola plethora originem ducens, si ei tempestivè occurratur, periculo vacat, & brevi sanatur: ea quæ hystericis aut hypochondriacis accidit difficilioris est curationis, atque magis vel minus periculosa, pro natura morbi à quo dependet. Vertigo à partium solidarum vitio, & organicarum mala conformatione nunquam omnino tollitur; serosa colluvies cerebro molesta, quamvis aliquando difficulter, tolli tamen potest. Vertigo febrilis sequitur naturam febris à qua dependet. Vertigo ea quæ tantum circumgyrationis sensum producit, facilior est curatu eâ quæ visum etiam obtenebrat, & hæc adhuc facilior eâ quæ ægrotum ad casum impellit. Vertigo ab *Hippocrate* inter morbos seniles & hyemales recensetur in Aphorismis. Prognosis.

Indicationes generales in Vertigine sunt: Plethoram imminuere, repletionem nimiam vasorum hypochondriacam curare, in affectu partium solidarum prudenter procedere, turbulentum motum spirituum sedare, debilitatem corrigere. Differunt quidem hæ indicationes ab iis quæ apud auctores occurrunt, verum si quis indicationum naturam diligenter perpendat, & ea quæ à medicis traduntur examinet, is facile judicabit, quæ in praxi majoris sint ûtilitatis. Memini me alicubi in *Plateri* praxi legisse, facultatem læsam nullam suppeditare indicationem practicam, ita etiam hic affirmare liceat; si vertigo sit læsa imaginatio, nullam hinc depromi indicationem medicam, nisi ut ille melius sibi rem imaginetur. Spirituum in orbem agitatio indicaret ejusdem sedationem, sedatio medicamenta hypnotica & narcotica postulat, atqui tantum abest ut hæc conveniant, ut in plerisque speciebus etiam noceant, imo spiritus potius sunt excitandi, uti in sequentibus videbimus. Indicationes.

Cura vertiginis à nimiâ sanguinis copiâ V. S. perficitur, eâque solâ sæpe hic affectus tollitur. Oportet autem ut hæc pro ratione plenitudinis instituatur satis larga. Quærunt auctores quo tempore, an in paroxysmo, an extra paroxysmum debeat secari vena? Alexander Massarias putat, *in accessione* Cura. V. S.

ne vertiginis, ſive ea brevis ſive longa fuerit, nullo modo ſectionem venæ convenire, præterquam in declinatione, quia ſc. ægroti eo tempore vires habeant debiliores. Verum ſi rem ipſam conſideremus facile patebit in paroxyſmis levioribus omni tempore poſſe inſtitui V. S. in paroxyſmis gravioribus nullam eſſe interponendam moram. Si enim Vertigo ſæpe Epilepſiam aut Apoplexiam minetur, quanto gravior erit vertigo, tanto majus Epilepſiæ aut Apoplexiæ imminet periculum, ſecabitur ergo vena ſtatim, ne differendo æger in majus periculum, in gravius incidat ſymptoma. Deinde ſi neceſſitas cogat ſæpe in morbis convulſivis, & Apoplexia ſecare venam, multo magis licebit in vertigine ubi tot ſymptomata gravia non urgent ſimul. Quod ſi autem vertigo ſit febrium ſymptoma, præſtat intermiſſionis vel remiſſionis tempus exſpectare, niſi inſigne immineat periculum.

In qua vertiginis ſpecie conveniat? Majoris utilitatis videtur ſi examinemus in qua vertiginis ſpecie conveniat V. S. in qua autem minime? 1. Convenit ergo V.S. in vertigine à Plethorâ & compreſſione nervorum opticorum originem ducens; ita enim promptiſſimè cauſa hujus mali tollitur. Ubi ergo nullus alius eſt morbus à quo producatur vertigo, nulla alia prava diſpoſitio unde deduci poſſit vertigo, ubi ſigna plethoræ adſunt manifeſta ſtatim in uſum vocetur V. S. larga. 2. Convenit etiam V. S. in commotione graviori, præcipuè ſi ab ea majus impendeat periculum. 3. Convenit tandem V. S. ubi vertigo admodum gravis Epilepſiam aut Apoplexiam minatur, licet ſuſpicio ſit non puram Plethoram, ſeu ſanguinem laudabilem, ſed & tenaciorem & ſcorbuticum replere vaſa. 4. Convenit ubi conſuetæ evacuationes ſunt ſuppreſſæ. 5. Convenit etiam in principio febrium cum vertigine graviori. 1. Non requiritur V. S. in vertigine quæ ab affectu ſcorbutico aut hypochondriaco habet ortum. In hoc enim caſu repletio non ducit originem à copiâ, ſed à prava ſanguinis diſpoſitione, ab ejuſdem minori vigore. Quod ſi ſanguinis acceſſerit copia, aut evacuationes ſint ſuppreſſæ: tum ſecanda quidem eſt vena non autem ob diſpoſitionem hypochondriacam, ſed ob rationes jam ſuperius enumeratas. 2. Non eſt ſecanda vena ob partium

ſoli-

ſolidarum vitium, quandoquidem V. S. id curare non poteſt. Contingit tamen non raro in hoc caſu ſecandam eſſe venam, quando ſc. metus eſt ne preſſio ſanguinis à tergo vi ſua vaſa nimium diſtendat, aut graviora inducat ſymptomata. Poteſt enim ſanguinis abeſſe copia nimia, ſi ea conſideretur proportionaliter ad univerſum corpus: poteſt tamen eadem eſſe nimia reſpectu particularis illius diſpoſitionis, & reſpectu ſymptomatum inde oriundorum. Quemadmodum ergo ſymptomata gravia ſuppeditant indicans quod dicitur urgens, ita etiam in hoc caſu vis illata partibus illi ferendo minimè aptis aliquando V. S. requirit, licet illa conformationis vitium corrigere minime valeat. 3. Non requiritur in vertigine ab ebrietate, niſi ea ſit ita gravis ut convulſionem inducat, aut alia graviora ſymptomata. 4. Non requiritur in debilibus aut à morbo gravi emergentibus. Quamvis enim revera neglecta V. S. in principio potuerit eſſe cauſa gravioris morbi, & hujus ſymptomatis, non tamen ideo ea intempeſtivè in uſum eſt vocanda. Ego ſaltem non libenter ad V. S. recurro in morbi declinatione, aut viribus valdè attritis; tum enim ea mortem acceleráſſe non ſemel eſt viſa.

Quæritur etiam quæ vena ſit incidenda? Reſpondeo, diverſo reſpectu & diverſarum circumſtantiarum ratione aliam atque aliam poſſe ſecari venam. Si tantum intendatur evacuatio generalis, vena brachii qualiſcumque ſecari poteſt. Si menſes ſubſtiterint ſaphæna ſecetur: eadem illa vena etiam maribus ſecari poteſt, ſi rationes nonnullæ id exigere videantur. Si particularis quoque expetatur evacuatio, quamvis ea propriè loquendo, non detur, poteſt ſecari vena frontis, aut ſimilis. Quæ vena ſit ſecanda?

Diſputat de Arteriotomiâ poſt aures è *Galeno* *Alexander Maſſarias*, verum rectè concludit eam non ſemper convenire. Ego exiſtimo eam numquam ob ſolam vertiginem eſſe inſtituendam. Omitto jam arteriotomiam difficiliorem eſſe quam Phlebotomiam, illud putem ego eſſe manifeſtiſſimum, præjudicio & ignoratione circulationis ſanguinis inniti hoc remedii genus. Putabant nempe per arterias aliquando calidum vaporoſumque ſpiritum ferri, ideoque credebant ſe diſſecando De Arteriotomiâ.

arterias hasce multum juvare ægrotos. Verum non spiritus sed sanguis defertur per arterias, & si exteriores secentur rami, sanguis tanto majori copia versus interiores feretur, adeoque causam mali adaugebit. Arteriotomia ergo tantum juvat quatenus massam sanguineam imminuit, dissectio ramorum exteriorum sanguinem versus interiores cogit, sectio & curatio arteriarum difficilius peragitur, ergo arteriotomia ad vertiginem postponenda est venæ sectioni, quæ non minus quam illa sanguinis copiam imminuit, & quidem longe tutius.

De revulsione.

Venæ sectio in hoc casu dicebatur institui revulsionis ratione. Verum si proprie loqui velimus, sanguini fluenti motus contrarius tribui non potest, nec eundem à parte, ad quam vergit, in contrariam movere licet. V.S. ergo prodest, quia morbum ejusque causam tollit. Morbus à quo vertigo dependet, est compressio nervorum opticorum, causa nimia sanguinis abundantia, quando sanguinis nimia copia imminuitur, compressio nervorum opticorum tollitur, quia expansio vasorum imminuitur. Sanguinis circulatio è corde in arterias, ab arteriis iterum in venas, repetitis continuo contractionibus absolvitur, neque hic motus in contrarium mutari potest. In deperditi autem sanguinis locum statim succedit alius, quandoquidem evacuatio vasorum pressionem sanguinis versus illam partem reddit faciliorem. Aliqua ergo circulationis sanguinis introducitur immutatio, quia majori impetu versus vasa exhausta propulsus, minoribus pollet viribus ad compressionem illam molestam in basi cerebri continuandam. Sanguinis enim vis copiæ ejusdem aliquomodo proportionata est, unde sequitur, sanguinis quantitate imminutâ, non posse eundem ita valide replere vasa, quam ante institutam venæ sectionem.

De repletione vasorum hypochondriacâ.

Alterum, quod ad curam vertiginis requiritur, est, ut repletio vasorum hypochondriaca tollatur. Fit illud sanguini majorem conciliando vigorem, & morbum hypochondriacum tollendo, quod qua ratione faciendum sit postea docendum erit.

Spiritus excitantia in paroxysmo.

Interim tam in hac quam in omnibus aliis vertiginis speciebus in usum vocanda sunt spiritus excitantia & adversus vertiginem specifica remedia. Conveniunt ea tam in paroxysmo

quam

quam extra paroxyſmum. In paroxyſmo ſalia volatilia, olea ſtillatitia, fœtida, acria naribus admoveantur, cauſarum & circumſtantiarum habita ratione. Namque ubi hyſterica affectio ſimul vexat, tum *Oleum ſuccini*, *Sp. Sal. Armon. Aſſa fœtida*, *Caſtoreum ejuſque Tinctura* conveniunt. Si autem nimia ſanguinis dilatatio & febris vertiginem producat, *acetum*, ejuſque excitatus vapor convenit. Danda eſt opera ut æger à caſu ſit immunis quod fiet illum ſuſtentando, vel in ſedili collocando. Præcipiunt quidem auctores ut æger ad quietem componatur, ut nempe motus inordinatus ſpirituum ſedetur; verum cum in ſuperioribus oſtenſum ſit ſpirituum motum in gyrum fictitium eſſe, ea quæ ad hunc motum ſedandum præſcribuntur cum grano ſalis accipienda ſunt. Etenim ſi ſanguinis nimia copia arterias carotides nimium impleat, præſtat ut æger capite erecto ſedeat, non autem declivi, ne ſcilicet ſanguis ob ſitum hunc magis eaſdem repleat arterias. Et hæc cum praxi optimè conveniunt; non ſemel enim conqueruntur vertiginoſi, ſeſe decubitum non ferre. Ægri ad quietem componendi ubi ſpirituum inordinatus motus vertiginem produxit. Itaque qui è vini largiori hauſtu, aut ab animi commotione, aut febre, aut æſtu, aut à motu corporis viribus valdè attritis in vertiginem incidunt, ii ad quietem diſponantur: ubi autem plethora, aut partium organicarum vitium vertiginem produxit, ægri erecto potius aliquandiu ſedeant corpore.

Quod ſi paroxyſmus diutius perſeveret, ad ſpiritus excitandos ligaturæ & frictiones extremitatum præcipuè inferiorum inſtituendæ. Eidem uſui inſerviunt glandes & clyſteres acres. Excitant quoque ſpiritus cucurbitulæ ſive ſiccæ ſive cum ſcarificatione; poſteriores hæ conveniunt imprimis ubi ſanguis ſufficienter detractus non fuit. Utiliter quoque cervici applicantur veſicatoria. *Ligaturæ, frictiones, cucurbitulæ, veſicatoria.*

Præter ea quæ dixi commendantur etiam ſpecifica extra paroxyſmum uſurpanda: talia ſunt *Radices Valerianæ*, *Calami aromatici*, *Doronici*: has in Alpibus contra vertiginem comedere eos qui Damas perſequuntur refert *Sennertus*: verum cum de viribus Doronici ambigatur, certiora & tutiora remedia malim. Commendatur etiam *ſtercus Pavonis* in pulvere *Extra paroxyſmum.*

ad

ad ʒß per noctem in vino albo maceratum & colatum ad ʒj. *Auricula ursi*, *Margaritæ*, *succinum*, *corallium*, *Cinnabaris nativa*, *Cubebæ* tam masticatæ, quam assumptæ. Semen *Carui*, *Pastinacæ*, *Aquilegiæ*. Inter Chymica sunt *Oleum succini*, *cumini*, *caryophyl. lavendulæ*, *anisi*, *fæniculi*, *nucis muscatæ Tinctura succini*, *Castorei*, *&c. Hartmannus Cinnabarim nativam commendat. Oleum Buxi.* Succum *Chærefolii* cum jusculo assumptum tanquam specificum prædicat *Dolæus* in Encyclopedia. Prædicatur quoque *Conserva Fl. Calend. Sennertus* hunc pulverem laudat.

℞. *Nucis moscatæ.* ℥ß.
Euphrasiæ. ℥ij.
F. Pulvis, magnæ in vertigine efficaciæ qui detur mane ad ʒj. *& ultra.*

℞. *Cinnabar. mineral. ver.* ℥ß.
Margarit. Corallor. aa. ℈ij.
Croci. ℈j.
Fol. Auri. no. x.
F. Pulvis subtilissimus, qui detur cum aqua lilior. convall. ad ℈ß *ad* ℈ij.

Walsmidius in praxi hæc habet.

℞. *Liquor. C. C. succinat.* ℈ij.
Sp. C. C. compos. ℈j.
Cephalic. ʒß.
Ess. Castor. ℈j.
M. Dosis gutt. xv *& plures.*

℞. *Sp. Lilior. convall.* ʒij.
Aq. Anhaltin. ʒj ß.
Sp. C. C. compos. ʒß.
M. ut ante.

Willisius vertiginosi cujusdam importuni querelis assiduè defatigatus, post alia multa remedia incassum renovata, tandem præscripsit hunc pulverem bis in die sumendum per mensem ad quantitatem cochlearis.

℞. *Pulv. Rad. Poen. maris.* ℥ij.
Flor. ejusd. contus. & sole exsiccat. ℥j.
Stercor. Pavon. albiss. ℔ß.
Sacchar. albiss. ℥ij.
F. Pulvis, à quo convaluit.

Do-

Dolæus in Encyclopædia hanc præscribit mixturam

℞. *Aq. Lilior. conv. C. vino* ℥j.
Sp. ejusdem. ʒjß.
Chærefol. spirituosæ ℥ij.
Stercor. Pavon. ℥j.
Essent. Chærefol. ʒj.
Syr. de Betonic. ℥j.
M.

Interim meminisse oportet ubi vertigo fovetur ab affectu alio, utrumque in medicamentorum præscriptione respiciendum esse, ex. gr. ubi hysterica etiam vertigini est subjecta, tum medicamentis specificis contra vertiginem possunt miscere ea quæ sunt antihysterica. Ex. gr.

℞. *Aq. Puleg.*
Meliss. & vino. aa. ℥jß.
Sp. Lilior. conv. ʒiij.
Tinctur. Castor. ʒj.
Sal. Volat. Fulig. gr. iv.
M.

Ubi autem ventriculi debilitas jungitur vertigini, talis vel similis præscribatur pulvis.

℞. *Rad. Calami arom.* ʒj.
Valerian.
Succin. albiss. ppt.
Cubebar. aa. ʒß.
F. Pulvis. Dosis a ℈j. *ad* ʒß.

Theodorus Majerne in praxi post V.S. per vomitum everrendum esse ventriculum censet, si nempe nausea adsit, cui ego facile adstipulor; verum in memoriam sunt revocanda quæ superius de vomitu symptomatico diximus, & diligenter perpendendum, ubi in usum vocari possit, ubi autem eum omittere expediat. Potest emeticum exhiberi. 1. Ubi ventriculus ob ingluviem & crapulam nimiâ humorum saburrâ repleta est: saltem ubi dolores ventriculi, vel anxietates circa præcordia vexant. 2. Ubi in hypochondriacis & hystericis post assumptum cibum cardialgia vexat; ita enim brevissime causa nauseæ, ut & vertiginis tollitur. 3. Ubi ægroti facilè vomunt, De vomitoriis.

& sunt satis robusti. Omittendum est emeticum. 1. Ubi vomitus symptomaticus & molestus vexat; etenim tum à vomitu vertigo exasperari solet. 2. Ubi dilatatio nimia vasorum cerebri, aut similis affectus organicus causa est vertiginis. Etenim cum in hoc casu vertigo sit affectus idiopathicus, cumque vitium partium fluidarum non producat vertiginem, frustra, nulla cogente necessitate, fatigatur æger, frustra in majoris dilatationis conjicitur periculum. 3. Ubi in plethoricis necdum instituta est V. S. Facile enim intelligimus è valida illa concussione corporis, varia impendere discrimina, nisi plenitudo nimia aliquomodo fuerit imminuta. Ideoque rectissime *Theodorus Majerne* vomitum venæ sectioni subjungit. Non erit inutile hic formulas modo laudati Viri subjungere.

℞. *Oxymell. simpl. & Julianizantis aa.* ℥j.
M.

pro duabus dosibus sumendis bis in die è cochleari sensim deglutiendo, longè à pastu pridie Emetici.

℞. *Infus. Croci Metall.* ℥ij.
Oxymell. simpl. ℥ß.
Aq. Card. bened. ℥j.
M. F. Haustus. exhibendus cum debito regimine.

Die ipso Vomitorii sumatur bolus sequens horâ somni.

℞. *Mithrid. Dam.*
Confect. Alkermes aa. ℈j.
Pulv. subtiliss. menth. ℈ß.
Lapid. Bezoar. or. gr. viij.
M. F. Bolus.

Infanti *Walsmidius* præscripsit

℞. *Tartar. Emet. gr.* j. *vel.* ij.
Pulv. rad. Jalapp. gr. v.
F. Pulvis.

Tartarus Emeticus etiam adultis optimè convenit.

℞. *Tartar. Emet. gr.* v.
F. Pulvis. sumendus cum cerevisia dulci tepida.

Ejusdem cum *Th. Majerne* opinionis est *Cardalucius*, cujus verba

ba adjicere non pigebit. *Evacuatio in junioribus robustis convenientissimè fit per Aquam benedictam Rulandi, vel aliud insigne vomitorium, quo causa morbi, plerumque in ventriculo hærens, feliciter exturbatur*, *juxta mentem* Hippocratis, & Helmontium, *propriam vertiginem haustu salis vitrioli eliminare solitum. Willisius* vix aliud in hoc morbo dari emetico præstantius remedium affirmat, & præscribit.

℞. *Sulphur. Antimon. gr.* v.
Cremor. Tart. ℈ß.
Castor. gr. ij.
F. Pulvis

capiatur cum regimine exspectando vomitionem. Non differt ab hac sententia *Walsmidius in praxi. p. m.* 241. *Vide quoque Car. Pisonem. p. m.* 94. de morbis à colluviè serosâ ortis.

Ubi ergo per vomitum curationem vertiginis peragere non licet, blandius & repetitis vicibus per epicrasin evacuatio tentanda est. Formulæ variæ hic concinnari possunt, sit exempli loco sequens. Purgationis formulæ.

℞. *Aloës rosat.* ʒß.
Castor. opt.
Myrrhæ elect.
Croci Britannic.
Vitriol. Martis. aa. ℈ß.
Cum Elix. Prop.
F. Pilulæ no. xviij.

Harum pilularuim duæ mane, duæ meridie, duæ itidem vesperi sumantur.

Quæ de Epicrasi dixi tum locum habent, ubi omnino æger blandè est tractandus, alias purgantia majoris efficaciæ sunt utilissima: non contemnendæ sunt pilulæ *Willisii*.

℞. *Pil. de Succin. gr.* xxv.
Resin. Jalapiæ gr. vj.
Tartar. vitriolat. gr. vij.
Balsam. Peruv. q. s.
F. Pilulæ iv.

sumendæ horâ somni vel primo mane.

Non est flocci faciendum præceptum *Majerne*, cujus hæc sunt Purgationes repetendæ.

ſunt verba: *Purga bis in ſeptimana cum pilulis Macri: & diebus intermediis alvus ſit ſemper laxa clyſteribus injectis, vel lenitivis per os exhibitis. Vel* ℞. *pil. de chamæpit. (quas deſcriptas habes p. 5.)* ʒj. *Extract. calam. aromat.* ℈ß. *Diagrid. gr.* v. *Ol. thym. g.* ij. *F. Pilulæ* v. Verum non poſſum non monere in juniorum gratiam; ſimilia enim apud ſcriptores medicos occurrunt, numerum pilularum harum eſſe nimis exiguum reſpectu quantitatis ingredientium. Quotusquiſque enim eſt qui fauces habeat adeo patulas ut pilulam granorum quindecim facile deglutiat? Ex hac maſſa ad minimum deberent formari pilulæ quindecim.

Chalybeata. *Williſius* in hoc affectu commendat etiam *chalybeata*, quæ inſigne juvamen multis attulerunt. Horum uſus præcipuè eſt in Vertigine hypochondriacâ & ſcorbuticâ, præmiſſis univerſalibus, in quantum illa requiruntur. Præſcribit ergo hæc.

℞. *Syrupi noſtri de Chalybe* ℥vj.

Sume cochlear manè & hora 5 veſp. cum aquæ deſtillatæ modo deſcriptæ aut alterius cephalicæ ℥iij. vel ſume *Tincturæ noſtr. Chalybis* g. xv. ad xx. cum hauſtu ejuſdem aquæ deſtillatæ, bis in die. Et revera chalybis uſus egregius eſt; ſive enim in ſubſtantia abſque ulla præparatione ſive etiam variè præparatum uſurpetur, plerumque in hoc caſu convenit, additis roborantibus ventriculum aut menſes moventibus ubi id requiritur.

Tractatio vertiginis a vitio partium ſolidarum. Diximus etiam in affectu ſolidarum partium prudenter procedendum. Prudentia medici requirit ut ne multa incaſſum moveamus, nec ægroto moleſti, nec nobis ipſis inutiles ſimus fruſtra medicamenta nihil profutura exhibentes. Ergo ubi nullum eſt dubium vitium aliquot partium organicarum continuam fovere vertiginem, amici de affectus difficultate moneantur; ægroto ipſi indicetur prudenter medicamentis diæteticis plus, in hoc caſu, poſſe profici quam potentioribus, denique ſymptomatum habeatur ratio. Oportet ut medicamenta omnia aſſumpta ventriculum ſubeant primum, tum ope venarum lactearum & ductûs chyliferi deferantur ad ſanguinem, atque ubique vires ſuas exerant, antequam deferantur ad cerebrum, cujus labem nequaquam corrigere poſſunt. Cur autem concoctionem ventriculi turbabimus, ubi ea vacat culpa? Cur chy-

chylum, cur ſanguinem immutabimus, quando ii ſatis bene ſunt diſpoſiti? Eſt enim ea medicamentorum natura ut corpus noſtrum immutent; ſin autem in melius immutare non poſſint, neceſſe eſt, ut in pejus mutent. Diætæ ergo potius & ſymptomatum, in hoc caſu, habebimus rationem.

Si autem ſeroſâ colluvie inundetur cerebrum dabimus operam ut ea medicamentis tum univerſalibus tum particularibus exhauriatur. A colluvie ſeroſâ.

Medicamenta univerſalia ſunt vel purgantia hydragoga dicta, vel vomitoria vel ſudorifera, vel diuretica de quibus hic agendi non eſt locus. Medicamentis univerſalibus.

Quamvis evacuationes particulares, ob continuam ſanguinis circulationem, etiam poſſint cenſeri univerſales, tamen hoc loco per evacuantia particularia ea intelligimus, quæ per loca magis propinqua humorem ſeroſum educentia, in ſpecie capiti magis proſpicere videntur. Talia ſunt medicamenta *errhina* dicta, quorum formulam ſequentem præſcribit *Platerus*. Particularibus.

℞. *Succorum Anagallidis flor. purpureo.*
Rad. Betæ vel Mercurialis, Majoran. aa ℥j.
Fœnic. Ruthæ aa. ℥j.
Vini albi ℥ß.
M.

Si ſuccus Cyclaminis haberi poſſet & adderetur, efficacius eſſet.

Huc refer *Gargariſmos*, *Maſticatoria* & ſimilia quæ apud *Mercatum*, *Platerum* & alios deſcribuntur. Poteſt quoque utiliter fontanella in brachio aut crure, vel etiam ſetaceum in nucha excitari. Veſicatoria etiam poſt aures inſignem ſeri copiam exhauriunt.

Videndum jam quomodo ſpirituum turbulentus motus poſſit ſedari. Id in ebriis habet locum, atque ordinariè ſponte contingit ſi cubitum eant, & crapulam edormiant, ſin autem graviora ebrietatem comitentur ſymptomata, ita agendum, prout circumſtantiæ illud exegerint. Non eſt facile accedendum ad uſum opii, quandoquidem ejus uſus in vertigine ſuſpectus eſt: quod ſi id videatur requiri, malim electuaria opiata in uſum vocare antiqua, in quibus opii vis aliquantulum infracta eſt. Hac de re in ſuperioribus quoque egimus. Præter ea, quæ de animi affe- Spirituum motus ſedandus.

ctibus sedandis alibi diximus, in vertigine amovenda sunt objecta metum & spirituum inordinatum motum excitantia, talia sunt adspectus rerum aut hominum in gyrum actorum, præcipitia, ubi deest fulcrum, & similia.

Iidem roborandi.

Spiritus debiles roborantur post morbos graves, si reliquiæ morborum expugnentur, & si æger convenienti diæta restauretur. In specie si gelatinosa illa sanguinis dispositio emendetur. Id in hoc casu optimè efficietur roborando ventriculum, adeo ut cibos oblatos optimè digerat, & cavendo ne ille ciborum copia obruatur. Capiat potius partitis vicibus aliquid nutrimenti, quam ut una vice largius prandeat; ventriculus enim ab ingestorum copiâ nimis oneratur. Ad roborandum ventriculum, ad cibum probè digerendum, ad spiritus excitandos, nec non ad gelatinosam illam constitutionem sanguinis emendandam nihil ego existimem *Vino Rhenano* aut *Mosellano* puro, antiquo & generoso præstantius. Sive enim salivam respicias viscidiorem, sive viscera debilitata, sive etiam ipsius vini saporem & odorem gratissimos, sive vim incidendi & attenuandi egregiam, deprehendes non uno nomine hoc convenire. In vertigine ab inediâ cibi multum nutrientes ut panis, caro cocta aut assata, generosioris cerevisiæ aut vini potus, modicâ tamen quantitate, conveniunt.

De curatione vertiginis Idiopathicæ, & Sympathicæ.

Non videtur necessarium, ut Vertiginis specierum specialem subjungamus curationem, quandoquidem de Idiopathica, ut & sympathica jam actum est, quantum hic locus postulabat; etenim de scorbuto, affectione hypochondriaca & similibus non est hic tractandi locus.

De gradibus vertiginis diversis.

Quantum ad vertiginis gradus attinet, manifestum est, in leviori vertigine non statim ægrotum medicamentorum multa farragine esse obruendum. Oportet ut proportio sit inter morbum ejusque remedia. Itaque in leviori specie *Sal. Volat. C. C.* aut *oleosum*, *liquor C. C. succinatus*, *Sal. Volat. fuliginis*, *spir. Sal. Armoniaci*, *masticatio Cubebarum* aut similia ad affectum minus gravem superandum sufficiunt, adjunctâ convenienti diætâ. In speciebus gravioribus ita procedendum, uti superius explicatum est.

De Vertigine cum vomitu

De differentia illa quæ ab adjuncto vomitu de sumitur, hic esset

esset pluribus agendum, nisi utile judicassemus in superioribus, ubi de vomitu fuit actum, etiam de hac specie tractare. Etenim ne quis in usu emeticorum, quæ hic maxime prosunt, deciperetur, commodum visum fuit, eodem loco subjungere quando emetica essent vitanda. Itaque hic tantum addendum, me hactenus observâsse præcipuè vomitum vexare, quando aut suspicio est affectus solidarum partium, vel quando febris simul vexat, vel quando pituitosa materia ventriculi nauseam efficit. In omnibus autem hisce casibus blandius agendum. Idiopathicus enim affectus à validâ corporis concussione non emolumentum, sed damnum perpeti solet. In febribus commotio & expansio sanguinis morbum hunc exasperat, itaque in hoc casu febris imprimis respicienda, nec vomitus imperandus, nisi febris natura eundem requirat. Diligenter quoque examinandum qualia medicamenta æger optimè ferat? Utile ego in hoc casu expertus sum *Sal. Absinthii*, cui aliquid adversus vertiginem adjungi potest. ex. gr.

℞. *Sal. Absinth.* ℈j.
Castor. opt. gr. v.
F. Pulvis, qui aliquoties repetatur.

Quando autem materia pituitosa circa ventriculum hærens continuam nauseam & vomitum efficit, sufficit ut ea per epicrasin exhauriatur. Ratio est, quia medicamenta satis blanda sponte aliquando sequitur vomitus satis importunus. Et quod potest fieri per commodiora quid opus est ut fiat per molestiora? Quamvis ergo talis materia sæpe indicet emeticum, in hoc tamen casu, ubi vomitus symptomaticus & molestus vexat, sufficit ut exhibeatur medicamentum blandius, idque aliquoties repetatur. Itaque exhibeantur tales aut similes pilulæ.

℞. *Mass. Pilul. Mastich.* ʒß.
Vitrioli Martis. ℈ß.
Cum Elix. prop. vel Tinctur. Castor.
F. Pilulæ. No. x. *exhibeantur mane & vesperi duæ vel tres.*

Utiles quoque sunt *Pilulæ* Majerne, *Cachecticæ Leovardiensium*, vel nostræ superius descriptæ.

Si ratione febris vel alquarum circumstantiariim vitanda sit aloë,

aloë, *Electriarium Choragogum, vel Hydragogum* Sylvii in usum vocetur, vel hic pulvis.

℞. *Fol. senn. mund. gr.* xv.
Sal. Tartar. gr. v.
Diagrid. gr. I.
F. Pulvis.

Diæta. Absolutâ curatione, de diætâ restat agendum. Itaque aër sit purus, vitetur nimium lumen, turba hominum, prospectus ab alto, aspectus circumgyrationis. Vitetur repentinum frigus, gravedo, coryza, ne excrementa serosa in cerebro accumulentur. Cibi sint boni succi; verum imprimis cavenda ingluvies, tum quandoquidem nimiam, tum quia pravam sanguinis gignit copiam. Quid, quod ingluvies ad morbum Hypochondriacum viam sternat? Vitetur quoque crapula. Vinum Rhenanum, Mosellanum, Gallicum modicâ quantitate, sed generosum juvat. Si per quadrantem horæ *Pimpinella viridis* maceretur in vino, vinum evadit gratius, & magis juvat. Cibi condiantur stomachicis & cephalicis dictis, *Thymo, Rorismarino, Serpillo, Salvia, Betonica, Mentha, Fœniculo.* &c. Motus & exercitium in hoc casu conveniunt, nisi adsit febris, aut debilitas insignis, in quibus casibus motus & quies morbo & viribus ægri proportionatus imperandus est. Interim vitetur motus in orbem, aut celeris capitis circumgyratio. Somnus sit moderatus, ut & vigiliæ. Alvus vel sponte vel arte sit libera, vitetur venus præcipue intempestiva & immoderata, ne sanguis nimium commoveatur aut spiritus exhauriantur. Id quod de Venere hic dico, in omnibus ferè capitis affectibus locum habet. In mulieribus danda opera, ut menses debitè fluant, vel si id non fiat, cura eo erit dirigenda. Eorum enim suppressio, aut fluxus parcior, & sanguinem magis copiosum, & sæpè pravis qualitatibus imbutum producit. Vitentur omnis generis Pathemata vehementia, præcipue animus meticulosus. Hilaritas & gaudium moderatum optimè convenit.

CAPUT QUARTUM.

De Phrenitide.

ANtequam Phrenitidis explicationem aggrediamur, ambiguitas vocabuli tollenda est. Aliquando enim in lata admodum significatione vox hæc accipitur, adeo ut plures generis mentis alienationes suo ambitu complectatur, cujus rei exempla ex *Hippocrate* afferri possent. Aliquando eam quæ febrem habet comitem, sive illa à primario affecto cerebro, sive etiam per consensum oriatur, sive mitius sive etiam gravius infestet. Aliquando ita stricte sumitur hæc vox, ut etiam à Paraphrenitide distinguatur. Nos Phrenitidem in latâ, non autem latissimâ accipimus significatione, ita ut Paraphrenitidem quidem sub se complectatur, ab aliis autem παραφροσύνης speciebus distinguatur. Nominis significatio determinatur.

Phrenitis dicitur esse *perpetuum delirium ab inflammatione membranorum cerebri exortum, cum febre continua affligens.* Descriptio Phrenitides vulgaris.

Verum, propriè loquendo, febris continua non est symptoma Phrenitidis, sed Phrenitis est symptoma febrium ardentium, continuarum, malignarum. Adeo ut *Celsus* rem acu tetigisse censendus sit, qui hoc symptoma vocat *insaniam febricitantium. Lib.* 2. *cap.* 1. Ejusdem sententiæ quoque videtur fuisse *Hoeferus* in *Hercule medico*, qui de Phrenitide non agit inter capitis affectiones, sed de Phrenetico delirio inter symptomata febrium, manifestò argumento, ipsum non existimâsse febrim esse symptoma Phrenitidis, sed è contrario, Phrenitidem esse sequelam febrium. Ea examinatur.

Ut hæc melius intelligantur in memoriam revocandum est, qua ratione & quando Phrenitis soleat invadere ægros. Quamvis enim aliqui ea sint corporis constitutione, ut statim in principio febrium delirent, plerumque tamen Phrenitis non invadit, nisi in augmento morbi, vel eodem ferè ad statum accedente. Præcesserunt sæpe vigiliæ protractæ, capitis dolor, coma vigil, & arteriarum in temporibus molesta pulsatio. In levioribus speciebus, ægroti in somnum proclives, multa non Qua ratione Phrenitis soleat invadere.

cohærentia ſubmiſſa voce & celeriter garriunt, aut cum majori impetu loquuntur. Non dormiunt omnino, nec plane quidem vigilant, interim loquaces ſunt, aut, ſubmiſſâ voce, multa inconcinna effutiunt. Si autem aliquis accedat auctoritate pollens, quem ægrotus ſuſpicit ex. gr. Concionator, aut Medicus, ægrotum compellans, ad interrogata reſpondet, & videtur mentis compos; verum ubi attentio illa refrixit, ad loquelam ſuam concitatam & non cohærentem recurrunt. Aliquando Phrenitidi junguntur vigiliæ protractæ: ægri non dormiunt, ſtragula abjiciunt, multa loquuntur, cantant, mente ſunt omnino alienata, nonnumquam ferociunt, & vix ſe regi ab adſtantibus patiuntur, ſalubria monita contemnentes. Prout autem morbus eſt vehementior vel remiſſior, pro diverſa ægri conſtitutione contingit illud vel citius vel etiam tardius.

Non ſemper adeſt inflammatio.

Inflammationem membranarum cerebri ſemper adeſſe, ubi adeſt Phrenitis à veritate alienum mihi videtur. Nempe antequam circulatio ſanguinis eſſet detecta ſupponebant in partibus ſolidis morbos, qui revera partibus fluidis accepta ferenda erant. Sæpenumero in inteſtinis tenuibus poſt mortem obſervatur inflammatio, inflammatio meningum rarius occurrit, ſaltem quantum mihi videre licuit. Deinde inflammatio excitatur, quando vehementer calefacto corpore, repentinum frigus occupat. Si quis, ab exercitatione calefactus, frigidam avidius hauriat, in Pleuritidem facilè incidit. Eodem modo concipimus ab ingeſta frigida poſſe inteſtina vel phlogoſi leviori, vel inflammatione vehementiori corripi. Ventriculus ſcilicet accumbit & incumbit inteſtinis, adeo ut frigus liquoris, avidius hauſti, facilè afficiat inteſtina membranoſa & copioſiſſimis vaſis ſanguineis ditata. Meninges autem cerebri cranio, tanquam aggere, tutæ ſunt, nec potulentorum aut eſculentorum frigus eo pertingit. Deinde humiditas cerebri continuo meninges veluti fovens, eaſdem videtur ab inflammatione magis tutas reddere. Demum ſi eſſentiam hujus affectus diſtinctè concipiamus, prout ab aliis ſymptomatibus diſtinguitur, ea proprie conſiſtit in nimiâ & depravatâ ſpirituum agitatione, à febris vehementiâ, æſtu aut malignitate producta.

cta. Crediderim itaque rarius ab inflammatione membranarum cerebri, frequentius ab inflammatoriâ dispositione, leviori phlogosi, aut nimià repletione, expansione, vel etiam malignitate sanguinis fervidi oriri Phrenitidem: posteriores has species sæpius curari, priorem sæpe ægrotos interimere.

Ex iis quæ ego de inflammatione, & superius de Cephalalgiâ febrili disputavi, apparet, gradibus tantum differre pulsationes temporum, difficilem per arterias minimas transitum, inflammationem, somnum: adeoque hæc paucis tantum tangenda sunt. Quomodo inflammatio differat à reliquis febrilibus symptomatibus?

In hominibus sanis semper membranæ cerebri, nec non ejusdem corticalis substantia sanguine arterioso sunt repletæ, tubuli cerebri medullares itidem spiritibus animalibus copiosis gaudent, adeo ut somnus ex eo oriatur, quod, spiritibus animalibus, à vigilia prægressâ, exhaustis & fatigatis, sanguis substantiam cerebri exteriorem deprimat, debilem resistentiam spirituum superet, atque adeo medullarem substantiam ita comprimat, ut influxus spirituum in sensoria externa aliquomodo impediatur. Percipitur in initio quidem aliqua cerebri depressio, vasorum repletio & somnolentia, verum cum transitus absque magna difficultate peragatur, gravitas quidem aliqua capitis, pulsatio autem molesta in temporibus observari non solet, ita ut spiritus torpidi sese pressioni cerebri non opponant, nec somnum impediant. Quomodo circulatio sanguinis per cerebrum ordinare peragatur?

Ubi autem dolor, & in temporibus pulsatio adsunt, jam vitium sanguinis adjunctum est, sive nimia copia, sive nimia agitatio, sive minor attenuatio, sive seri nimia tenacitas, sive malignitas; talis enim sanguis validius propulsus, nimiam efficit distensionem, pulsationem, dolorem, aliquando inflammationem. Omnia hæc spiritus animales exagitant, efficiunt ut depressioni reluctentur, adeoque somnum excutiunt. Agitatio hæc celerior multa objecta, brevissimo temporis spatio, menti repræsentans, defatigatio spirituum, attentionis defectus ob ægritudinis molestias, faciunt, ut prava sequatur ratiocinatio & phrenitis. Quomodo in febribus?

Inflammatio, cujus ultimo loco facta est mentio, non contingit nisi à plurimis arteriolarum ramificationibus vehementer expansis, adeoque tumorem, pulsationem, ruborem, calo- Inflammationis ratio.

rem, dolorem excitantibus. In inflammatione quippe eſt difficilior ſanguinis per arteriarum minimas fibrillas tranſitus, non proportionatus cordis iteratæ contractioni, adeoque ſanguinis è corde expulſioni. Inflammatio habet comitem febrem & ſanguinis diſpoſitionem inflammatoriam. Inflammatoria diſpoſito manifeſta eſt in ſanguine Pleuriticorum V. S. educto. Ibi cernitur in ſuperficie cruſta admodum glutinoſa, tenax & craſſa, adeo ut cultri ope vix diſſecetur. Oritur hæc à ſero inſpiſſato & in gelatinæ conſiſtentiam evecto, uti illud videri poteſt ſi ſerum ſanguinis V. S. educti imponatur igni. Simulac ebullierit ſerum refrigeretur, & apparebit, illud conſiſtentiam acquiſiviſſe gelatinæ. Verum obſervandum eſt, non ſemper adeſſe inflammationem, ubi ſanguis ita incipit immutari. Si cauſa externa febrem inducens abſit, poſſunt hi videri ſibi valere, quamvis circulatio ſanguinis jam aliquomodo à ſtatu ſano deflectat. Ubi autem ab æſtu & frigore ſibi mutuo ſuccedentibus, excitata fuit febris, tum febris illa ſanguinem commovens, & celerius per univerſum corpus propellens facile inflammationem, & inflammationis ſymptomata, ſuperius enumerata, producit. Frigus illud externum non tantum ad febris, ſed & inflammationis, productionem facit, quia nempe frigus externum vaſa conſtringit, adeo ut ſanguis tam promptè minimas arteriolas permeare non poſſit, quemadmodum preſſio ſanguinis febrilis illud requirit.

Somnus morboſus.

Ubi autem inflammatio, & inflammatoria diſpoſitio gravior abeſt, & ſanguis tamen expanditur, atque mole & impetu cerebrum deprimit, oriri poteſt diſpoſitio ad ſomnum, vel etiam morbi ſoporoſi, uti in ſequentibus videbimus; etenim circumſtantiarum quædam varietas, & diverſum ægri temperamentum, miram efficit ſymptomatum differentiam.

Phrenitidis cauſa proxima.

Hiſce prælibatis jam Phrenitidis cauſæ ſunt examinandæ. Cauſa proxima eſt ſpirituum major, celerior & inordinata agitatio. Majorem adeſſe ſpirituum agitationem patet ex inquietudine. Celeriorem adeſſe ſpirituum agitationem apparet, quandoquidem loquela eſt concitatior, tum etiam quia fere ægrotis multo plus temporis videtur effluxiſſe, quam revera effluxit. Sæpe enim videas eos, quando per breve tempus

pus in ſomnum inciderunt, rogare, quota ſit hora? & quando ea indicatur, mirantur non plus effluxiſſe temporis, meridie putant noctem debere inſtare, veſperi tempus matutinum: non aliam ob cauſam quam quod tempus dimetiantur juxta miram varietatem objectorum, quam ſibi repræſentarunt; cum autem id multo celerius contingat quam in ſanis, exiſtimant multo plus temporis effluxiſſe. Inordinata etiam adeſt ſpirituum agitatio, nempe abſque debita attentione, deſultoria, vaga, hinc delirium phreneticum. Hæc eadem modo deſcripta ſpirituum agitatio eſſentiam Phrenitidis conſtituit, ſi ea conſideretur tanquam morbus, quia id quod reſpectu ſymptomatis eſt cauſa, revera abſolutè conſiderando eſt morbus, quia nempe omne ſymptoma eſt effectum morbi corpori inconveniens. Hæc ſi ſemel rectè percipiantur, non hærebimus in quæſtionibus inutilibus, quæ ſæpe apud practicos occurrunt.

Oritur hæc nimia agitatio ſpirituum à febre, æſtu, dolore, inflammatione. Oritur à febre quandoquidem ſpirituum animalium ſequeſtratio, & impetus à ſanguinis preſſione dependent, adeo ut hæc ſibi mutuo ſint aliquomodo proportionata. Si ergo ſanguis ſit magis agitatus, ſpiritus etiam magis erunt agitati. Aeſtus ſanguinis, à motu ejus inteſtino dependens, non tantum partes fluidas, ſed & ſolidas afficit, adeo ut totum caput ejuſque partes cranium, membranæ, ipſum cerebrum ſolito magis incaleſcant: calor hic ſpiritibus animalibus communicatur, adeoque eorum motum intendit. Dolor non tantum capitis, tanquam partis proximæ, ſed & aliarum partium ſpiritus exagitat, quandoquidem vis illata partibus, ad cerebrum delata, ſpiritus commovet, adeoque iiſdem majorem agitationem imprimit. Ad dolorem quoque pertinent, omnis generis moleſta febrilia ſymptomata, itaque moleſta temporum pulſatio, dolores lumborum, pulſationes eorundem, ut & artuum, ad dolores in lato ſenſu referuntur. Revera autem dolores multum huc facere, patet, quandoquidem ordinariè ante invaſionem phrenitidis ægroti conqueruntur de doloribus. Jam autem non eſt exiſtimandum dolores illos à phrenitidis invaſione ſtatim eſſe ſublatos, ſed ægroti illos non amplius exactè percipiunt, quemadmodum nec re-

Magis remota.

liqua ſymptomata: hinc phrenetici ferè à querelis abſtinent, imo ſeſe perbellè habere teſtari ſolent. Si ad has cauſas accedat inflammatio, tanto facilius gravior exorietur phrenitis. Etenim inflammatio & tumorem, & dolorem, & æſtum habet comites. Inflammatio & febrem & febrilia ſymptomata intendit. Inflammatio ſolidis partibus vim infert, ſolidis partibus majorem æſtum impartit. Inflammatio ſive cerebri membranas, ſive etiam diaphragma aut alias partes invadat ſemper ſpiritus animales vehementer exagitat, vigilias & Phrenitidem producit.

Cauſæ hæ phænomenis phrenitidis pulchrè reſpondent.

Ex hiſce principiis cuncta phænomena, quæ ante diximus in phreneticis obſervari, facilè explicantur. Phrenitis non tam in principio, quam in augmento morbi, invadit, quia in principio omnia ſymptomata febrilia ſunt mitiora, dolor, æſtus, vigiliæ, agitatio ſpirituum animalium. In augmento hæc omnia invaleſcunt, & quod palmarium eſt, ſanguis magis magiſque à naturali craſi deſciſcit, aut diſpoſitionem inflammatoriam nanciſcitur. In ſomnum ſunt proclives, quandoquidem expanſio ſanguinis cerebrum aliquomodo deprimit, atque ita ſomnolentos reddit; citò autem expergiſcuntur, quandoquidem motus ſpirituum validus, & dolores aut anxietates continuò ſomnum excutiunt. In ſomnum ſunt proclives quandoquidem ſæpe vigiliæ protractæ præceſſerunt, & ſpiritus fuerunt exhauſti. Illæ ipſæ vigiliæ autem non parvum momentum attulerunt ad ratiocinationem pervertendam. Sani nimium vigilantes, nimium ſtudiis incumbentes aliquando in delirium incidunt. Non oportet arcum ſemper eſſe tenſum. Videntur continuâ illa agitatione cerebro imprimi veſtigia magis ſuperficialia, ut ita dicam: cumque tandem maximus illorum coacervetur numerus, non mirum ſi nimia copia confuſionem pariat, & delirio præbeat anſam. In Febribus ubi major eſt ſanguinis preſſio, comminutio quarumdam particularum ſequitur major, aliarum major viſciditas, agitatio & calor majores, unde vis quædam cerebri membranis infertur: eodem tempore ſpiritus animales magis agitati ſecernuntur, qui depreſſioni cerebri & in ſomnum propenſioni reſiſtentes, aliquando vigilias producunt ſatis protractas, viam phrenitidi ſter-

sternentes. Mentionem feci caloris, cujus consideratio hic utilis est. Calor sanguinem & spiritus exagitat, atque vigilias producit, quemadmodum experimur valdè sanos, præ defatigatione & æstu, aliquando vigilare, aliquando inquietè dormire. Expansio & pressio à calore productæ deberent allicere somnum, verum quandoquidem fibrillæ nerveæ per universum corpus ab æstu molesto nimium vellicantur, subsequuntur vigiliæ, somnus abigitur, vel interturbatur. Loquaces sunt, quia spiritus nimium agitati in nervos & musculos copiosius influunt, præcipuè autem versus linguam, quia cogitationes nostræ & loquela arctissimo nexu cohærent, adeo ut de rebus vix cogitemus quin verborum etiam subeat memoria, de loquelâ itidem vix, quin spiritus determinentur versus linguam & labia. Ita videmus illos, qui attentius, vel cum animi aliquâ passione de re quapiam cogitant, eodem tempore loqui submissè, etiamsi de loquela ne cogitent quidem. In hoc casu autem omnia cum impetu fiunt, quandoquidem non tantum spiritus, sed & sanguis â febre sunt nimium agitati. Si accedat aliquis auctoritate pollens, atque eos compellet, mentis videntur compotes, quia tum depressio & compressio illa cerebri, vestigia confusa menti repræsentans à subitâ spirituum excitatione, & explicatione cerebri tollitur; verum ubi attentio illa evanuit, & cerebrum iterum concidit, inconcinna effutiunt. Dilucida illa intervalla citius aut tardius cessant, prout expansio sanguinis, & cerebri depressio vel major est vel minor, prout febrilis paroxysmus vel intenditur vel etiam remittit, prout itidem magis vel minus confusa est spirituum agitatio. Phrenitidi junguntur aliquando vigiliæ protractæ, quando scilicet expansio & repletio tanta vasorum non adest, ut somnum excitare possint, cum interim spiritus ita agitentur, ut illi multa vestigia cerebri, tum antiqua tum etiam recenter in affectione hac malè formata, celeriter percurrentes, judicia forment non cohærentia: atque juxta animi passiones, à rationis dictamine alienas, actiones suas dirigant. Si quis sese eorum inclinationi opponat aliquando ferociunt, quandoquidem & spiritus & sanguis à febre exagitati, levi momento furorem brevem concipiunt, juxta quem tum membro-

rum

rum motus dirigitur. Mens non paret, ſed imperat, quandoquidem rectæ rationis dictamine excuſſo, ſalutaria monita flocci fiunt, tanquam ſi ſurdo narretur fabula. Omnia autem hæc ſymptomata in diverſis ægrotis variant; variant enim morbi magnitudo, ægri conſtitutio, partium ſolidarum configuratio, nec non aliæ circumſtantiæ: cumque inter varios capitis morbos magna ſit affinitas, non mirum ſi aliter atque aliter ſeſe exhibeant.

Phrenitidis deſcriptio vera.

Poſtquam Phrenitidis deſcriptionem vulgarem ad examen revocavimus, poſtquam itidem phrenitidis invadendi modum, & ſymptomatum rationem tradidimus & explicuimus, ſupereſt ut cum veritate magis convenientem ſubjungamus deſcriptionem. Ea poteſt duplici ratione proponi, nempe ut Phrenitidem conſideremus tanquam morbum à morbo ortum, vel tanquam ſymptoma. Si Phrenitidem conſideremus tanquam morbum, Phrenitis eſt *agitatio nimia & perturbata ſpirituum animalium à febre producta ratiocinationem pervertens.* Vel ſi tanquam ſymptomata: Phrenitis eſt *delirium à febrili & nimia ſpirituum animalium agitatione productum.*

Ea explicatur & confirmatur.

Quomodocunque Phrenitis deſcribatur, res ferè eodem redit. Eſſentia Phrenitidis conſiſtit in nimia, h. e. nimis diu continuata, nimis celeri & perturbatâ ſpirituum animalium agitatione, ea ſumitur tanquam genus in priori deſcriptione, & à melancholicâ aut maniacâ agitatione nimiâ diſtinguitur, quod hæc à febre producatur. In altera, delirium ſymptoma evidens conſtituit genus, cujus cauſa ſtatuitur eadem illa agitatio ſpirituum febrilis. Cauſa autem ſymptomatis proxima morbi eſſentiam conſtituit. Nimiam autem ſpirituum agitationem hic adeſſe, ex eo manifeſtum eſt, quod ægroti in ſomnum interruptum ſæpe incidant, iterum excitentur abſque manifeſtâ cauſa, expergefacti rogant, quota ſit hora? cumque intelligunt ſe non diu dormiviſſe ex. gr. eſſe horam primam pomeridianam, mirantur noctem necdum inſtare, ſi illud circa veſperam contingat, mirantur noctem necdum præteriiſſe uti in ſuperioribus explicatum eſt. Si ægroti omninò non dormiant, tum è garritu, cantilenis, imo ex ipſis vigiliis manifeſtum eſt, nimiam ſpirituam agitationem ſomnum excutere. Illa agitatio

tio ſpirituum in hoc caſu à febre habet ortum, quondoquidem Phrenitis non producit febrem, ſed febris Phrenitidem. Geminæ autem hujus deſcriptionis prior præferenda videtur, quandoquidem genus melius ſtatuitur id quod in corpore habet locum, quam id quod ad mentem pertinet, quandoquidem medicus omnes morbos conſiderat relativè ad curationem: & quamvis in priori addatur *ratiocinationem pervertens*, tamen non eſt rejicienda, quoniam illud affectum determinat, & magnitudinem morbi oſtendit. Alteram tamen addere placuit, ut me conſuetudini accommodarem; talia enim in noſtra arte ob arctiſſimam mentis cum corpore unionem, vix vitari poſſunt.

Progrediendum jam eſt ad explicationem differentiarum Phrenitidis. Phrenitis in latâ ſignificatione complectitur, Phrenitidem in ſpecie ita dictam, & Paraphrenitidem. Phrenitis in hac ſignificatione eſt gravior ſpecies, quæque ut plurimum oritur ab inflammatione membranarum cerebri, vel ſaltem à diſpoſitione inflammatoriâ. Paraphrenitis non oritur à tali inflammatione partium capite contentarum, eſtque ergo vel levior ſpecies à minori agitatione ſpirituum & ſanguinis producta, vel ab inflammatione aliarum partium Phrenitidem per conſenſum ſeu Paraphrenitidem efficiente originem ducit. Solet in hoc caſu conſiderari inflammatio Diaphragmatis; verum qualiſcumque inflammatio, ſi vigilias continuatas, febrem & delirium febrile habeat adjunctum, Paraphrenitidis vocabulo mihi optimè videtur indigitari. Exiſtimat *Williſius* Paraphrenitidem malè ſtatui originem ducere ab inflammatione diaphragmatis, opinionem autem inde ortam, quod in hoc caſu diaphragmatis motus impediatur aut pervertatur, hinc antiquos diaphragma φρένας appellâſſe: ego judico, quandoquidem φρενῶν vocabulo gaudebat diaphragma, hinc Phrenitidis aut Paraphrenitidis cauſam diaphragmatis inflammationi eſſe tributam, ne ſcilicet explicatio ſymptômatis à vocis etymologiâ abluderet. Differentiæ Phrenitidis.

Diſtinguenda etiam Phrenitis quod vel propenſionem ad ſomnum habeat adjunctam, vel quod vigiliæ pertinaces ægrotum exerceant.

Diſtingui etiam poteſt Phrenitis quod convulſionibus ſit

ſtipata, vel ſaltem motibus convulſivis, vel quod ab iis ſit immunis.

Phrenitis etiam invadit ægros vel adhuc ſatis robuſtos, & quibus Phrenitis eſt familiaris, vel eos quibus è morbo protracto, vires ſunt jam ſatis attritæ, ac quibus hoc ſymptoma minus eſt familiare. Tandem differt Phrenitis pro naturâ febris, cujus eſt ſymptoma; comitatur enim vel febres malignas, vel ardentes, vel etiam mitiores & aliquando intermittentes: & hac ratione tum prognoſis tum curatio aliter atque aliter eſt inſtituenda.

Signa. Signa Phrenitidis ex antedictis ſunt manifeſta, ægri febricitant & delirant; cum antea de variis conquererentur ſymptomatibus, ſubitò, febre nequaquam ceſſante, ſed potius invaleſcente, ſeſe perbellè habere affirmant. An inflammatio vel diſpoſitio inflammatoria adſit, è ſymptomatum vehementia colligitur, è dolore, è ſignis inflammationis. Inflammatio etiam ex urinarum inſpectione manifeſta fit, urina intenſè rubet, craſſa eſt, cum, vel ſine ſedimento ad rubedinem vergente. Interim non ſemper colligere licet ubi tales urinæ non adſunt, abeſſe Phrenitidem; contingit enim aliquando adeſſe Phrenitidem & urinam non admodum intenſè rubere. Dico aliquando adeſſe Phrenitidem, ne quis decipiatur Aphoriſmo *Hippocratis* 72. ſect. IV. ubi legitur Ὁκόσοισι οὖρα διαφανέα, λευκὰ, πονηρά. μάλιστα ἢν ἐν τοῖσι φρενετικοῖσιν ἐπιφαίνεται. Hic enim Aphoriſmus obſcurus redditur vel falſus per adjectionem verbi ultimi ἐπιφαίνεται. An urinæ pellucidæ, & albæ maximè in Phreneticis obſervantur? Numquid in conſtitutione frigidâ ventriculi? Numquid in Nephritide? Numquid in conſtitutione diabeticâ ſæpiſſimè redduntur tales urinæ? Itaque hic aphoriſmus aut ſpecialius eſt dèterminandus, quod & *Galenus* vidit, aut dicendum τὸ ἐπιφαίνεται, redundare, & forte ſcioli alicujus manu fuiſſe adjectum. Veriſſimum eſt urinas albas & pellucidas eſſe malas in phreneticis: veriſſimum itidem eſt, tales in pluribus aliis caſibus excerni. An vero Phrenitis à cerebro malè affecto, an Paraphrenitis ab aliarum partium inflammatione originem ducens infeſtet, ex ſignis ſpecialibus determinandum eſt. Cujus naturæ ſit febris phrenitidem

nitidem producens, è ſignis febrium, poſtmodum explicandis, dijudicandum eſt. Illud tamen non eſt uſquequaque verum, in Phrenitide reſpirationem eſſe raram & magnam, propter oblivionem quod reſpirandum ſit, in Paraphrenitide citam & parvam, ob inflammationem diaphragmatis. Præſtat experientiam conſulere, quam præjudiciis nimium tribuere. Proportio quædam intercedit inter pulſum, cordis contractionem, & reſpirationem. Quomodo ergo, ubi pulſus frequentior, cordis contractio eſt celerior, reſpiratio exiſtet rarior? Aliquando bonus dormitat *Homerus*.

Prognoſis phrenitidis ita inſtitui poteſt, quod, generaliter loquendo, ſit ſymptoma ſatis periculoſum: interim periculum majus vel minus imminet, pro naturâ febris aut morbi, qui phrenitidem produxit. Phrenitis ordinariè paraphrenitide eſt periculoſior, niſi quando paraphrenitis oritur à viſcere vel parte nobili ita læſo, ut nulla curationis ſpes amplius affulgeat. Phrenitis convulſiones excitans periculoſior eſt eâ, quæ convulſionibus non eſt ſtipata. Phrenitis vel Paraphrenitis, ſtatim in principio febrem comitari ſolita in aſſuetis, non eſt ita periculoſa, quam ea, quæ poſtmodum, viribus attritis invadit. Phreneticus manum faciei admovens, ad venandum quid inde, aut feſtucas, floccos aut paleas carpens eſt morti vicinus, juxta *Hippocratem* lib. 1. præſag. 16. Phrenitis morbus acutus eſt, & brevi in ſalutem ægri vel mortem terminatur. Si phreneticus in ſomnum incidit, poſtmodum expergefactus magis deliret, periculoſè decumbit. Stridor dentium cum inſania maximè pernicioſum, Aph. 17. ſ. 1. Prognoſis.

Indicationes in Phrenitide ſunt ſpiritibus nimium agitatis ſubtrahere pabulum, Febrem tollere, inflammationem vel diſpoſitionem inflammatoriam curare, denique ſpirituum motum compeſcere. Indicationes.

Cur medici induſtria in eo debeat occupari, ut ſpiritibus nimium agitatis ſubtrahatur pabulum, facilè attendenti apparebit. Nempe medicamenta quæ ſpirituum motum compeſcunt, ſi exhibeantur antequam alia præmiſſa fuerint, ſæpe multum nocent. Deinde medicamenta & inſtrumenta medicinæ maximè efficacia, in ſpiritus immediatè agere non Cur ſpiritibus nimium agitatis ſubtrahi debeat pabulum?

possunt. Nullus est Chirurgus quantumvis dexter, quantumvis peritus, qui, instrumentorum ope, ad spiritus usque animales pertingere possit. Nullus Chirurgus spirituum copiam nimiam imminuere potest. Cum ergo hac viâ curatio spirituum tentari non possit, aliâ illud viâ aggrediendum est. Sanguis est respiciendus, quicum spiritibus maxima intercedit necessitudo. A sanguine, & spirituum copiâ, & spirituum motus dependent, ergo in spiritus agit medicus, quando in sanguinem agit, quando imminuendo sanguinem spiritibus subtrahit pabulum. Hinc ergo fit manifestum, maximè naturalem & primam indicationem in hoc morbo esse eam, quam primo loco proposui.

Venæ sectio, spiritibus pabulum subtrahit.

Venæ sectio igitur est insigne remedium in phrenitide, quando sangnis nimium copiosus, nimium agitatus simile pabulum subministrat, similes producit spiritus. V. S. spiritibus nimium agitatis subtrahit pabulum. Tanto majoris autem facienda est V. S. in hoc affectu, quandoquidem ea & ratione febris, & ratione inflammationis, & ratione dispositionis inflammatoriæ sæpenumero requiritur. Hæc cum per se sint manifesta, cautiones tantum quædam proponendæ sunt, è quibus colligere licet quando ea in usum sit vocanda, quando autem omittenda. Instituenda est V. S. antequam vires nimium atterantur. Instituenda est in hominibus plethoricis, robustis, in flore ætatis constitutis. Instituenda est ubi in urina inflammationis signa apparent. Instituenda est tempestivè ubi natura febris V. S. postulat. Non est instituenda in statu morbi, ubi nempe Phrenitis vigilias protractas excipit, & non ingruit nisi ubi vires attritæ mortem non longè abesse significant. Hoc pacto insigni remedio ab imprudentibus infamiæ nota inuritur. Non est instituenda in hominibus emaciatis, exsuccis, decrepitis. Non est instituenda, quando alia ratione natura crisim salutarem molitur. Non inutile existimo *Hartmanni* verba hic adscribere: *Initium fit curationis, ut in morbo acutissimo rectissimè à venæ sectione (habita nulla ratione temporis, & horæ & ventriculi pleni) ad revellendum & evacuandum: Plethora si magna sit, V. S. sequente die reiteranda: quæ ob urgentem necessitatem protinus & quidem copiosa si vires ferant, sanguisque redundet, admini-*

ministranda est. Si vero ætas & virium lapsus obstent, cucurbitulæ homoplatis & cervici cum scarificatione applicentur. Exemplum Phrenitidis V. S. ad animi deliquium curatæ, vide sis apud *Zacutum Lusitan.* H. M. P. Lib. 1. Hist. 9.

Spiritibus nimium agitatis etiam subtrahitur pabulum, evacuatione primarum viarum. Ego nequaquam existimo bilem ad cerebrum rapi, aut sanguinem biliosum ibidem putrescere, sed primarum viarum evacuatio duplici nomine multum juvat, tum quia saburra illa, in intestinis hærens, potulentis permista sanguinis motum auget, & eundem disponit ad spiritus magis agitatos producendos: tum etiam quia repletio & fervor intestinorum, æstum sanguini majorem imprimit, pressionem ejus difficiliorem reddit & vehementiorem, unde spirituum animalium agitatio sequitur major. Quandoquidem autem hic morbus invadit, ubi vires sunt attritæ, ubi inflammatio adest, ubi morbus ad statum vergit prudenter agendum & sæpe ad enemata confugiendum est, quæ repetita non parum profuerunt. Ex. gr. Ut & evacuatio primarum viarum. Per enemata.

℞. *Rad. Lilior. alb.* ℥j.
Fol. Violar.
Malvæ
Mercurialis.
Lactucæ aa m. i.
Flor. Rosar. pallid. p. i.
Coq. s. a. ex aq. pura colat. ℥x. *Add.*
Elect. Diaprun. solut.
Mellis Mercurialis. aa ℥j.
Sal commun. ʒj.
M. F. Enema.

Julius Cæsar Claudinus vitat usum enematum acriorum, *Hollerius* calidorum, vitat *Hieram* & *Benedictam*, atque hoc modo præscribit.

℞. *Decoct. Furfurum* ℔j *in qua dissolve.*
Sacchar. rubri. Mellis Rosac. aa ℥j.
Ol. Violati. ℥iij. *Sal. com.* ʒij.
M. F. Clyster.

Sennertus sequens præscribit Enema.

℞. *Malvæ. Viol.*
Lactuc. Parietar. aa m. i.
Summ. Anethi. m. ß.
Coq. in aq. s. q. *Colat.* ℞. ℔j.
Ol. Viol. ℥iij. *Sacchar. alb.* ℥j.
F. Clyster.

Rolfincius etiam laudat usum Clysterum, & præscribit formulam quæ Consilio quarto videri potest. *Riverius* non vult olea admisceri in Phrenitide Enematibus.

Per laxantia. Quod si Phrenitis citius invadat, vires sint robustæ, nec inflammatio impediat, catharticum medicamentum potest præscribi, ex. gr. infusio laxans

℞. *Fol. Senn. mund.* ʒj.
Rhei elect.
Tamarind. Ind. aa ʒß.
Sem. fœnic. dulc. ℈ß.
Bulliant leviter, colat. ℥iij. *Add.*
Syr. Rosar. solut. cum senn. ʒij.
F. Haustus.

Dolæus rectè monet in morbis acutis fortiora purgantia nocere, quatenus motum sanguinis & spirituum adaugent, itaque mitiora lenientia eligenda esse suadet, nempe hæc, decoctum *Tamarindorum*, *hordei* cum *passulis & radicibus Acetosæ*, addito saporis gratiâ vel *Syrupo Papaveris erratici*, vel *Berberum*, vel *Acetosellæ* &c. Non possum laudare *Rolfincium* qui plura coacervat absque necessitate, cum paucioribus ægroto melius consulere potuisset. Ne frustra hoc affirmâsse videar subjungam ejus formulam.

℞. *Flor. Violar. Primul. veris, Rosar. rubr. aa p.* i.
Rad. Scorzoner. Rhabarb. Alexandrin. aa ʒij.
Gialap. nigr. resinosi. ʒv. *Pulp. Tamarind.* ʒiij.
Spicæ, Cinnamom. aa. ʒj.
Coq. in s. q. aq. fontanæ Colat. ℥iv. *Add.*
Syr. de Cichor. cum Rhabarb. ℥ß.
Elect. Rosar. Mesue. ʒiij.
Aq. Apoplect. Amar. ʒj.
M. F. Haustus

Rectius

Rectius *Platerus Rhabarbari* ℈iv. infundit in *aqua Rosarum & Violar.* expressioni add. *Syr. Rosar. solutiv.* ℥j. & ita exhiberi jubet. Claudinus *Tamarind.* ℥j. in sero decoquit & colaturam exhibet.

Quamvis autem plerumque Phrenitis febrium sit symptoma, & in indicationibus monuerim ego febrem esse tollendam, non est tamen hujus loci tradere quomodo illud fieri debeat. Febres phrenitidem producentes variæ sunt, itaque præstat de hac materiâ silere quàm pauca dicere. Febrium curatio exacta eousque omittenda, donec tractationis ordo nos eo deduxerit. Quomodo Febris tollatur non est hic dicendi locus.

Inflammatio & inflammatoria dispositio tollitur V. S. diluentibus. sudoriferis. De V. S. jam in superioribus egimus. Quandoquidem autem in Phrenitide caput afficitur, commendatur in hoc casu apertio venæ frontis, cui sententiæ ego non repugno, verum judico sectionem venæ vel brachii vel pedis præmittendam sectioni venæ frontis: ratio est, quod copiosa requiratur evacuatio sanguinis in inflammationibus, vena frontis autem ordinariè non suppeditat sufficientem sanguinis copiam, ne itaque tempus minus utiliter teratur V. S. statim instituenda est, ubi eductio sanguinis sufficiens, potest exspectari; si autem postmodum sit repetenda V. S. tum non malè incidi potest frontis vena. Idem illud quod de sectione venæ frontis dixi, locum etiam habet in cucurbitulis: nempe hæ etiam minus promptè sanguinem evacuant, ideòque V. Sectioni sunt postponendæ, quod si circumstantiæ quædam venæ sectionem impediant, tum non malè recurritur ad cucurbitulas, quæ vel scapulis, vel manibus, vel cruribus, vel etiam lumbis, aut natibus applicentur. Verum id quod superius monui hic iterum inculcandum est, oportet ut V. S. tempestivè instituatur, antequam inflammatio nimium invaluerit, antequam vires sint attritæ. Itaque quod in Pleuritide lippis & tonsoribus notum est, V. S. non esse differendam, illud in hoc inflammationis genere etiam locum habet. Oportet medicum esse lynceum, non tantum præsentia expendere, sed & e certis signis futura prævidere, totum curationis ordinem mente complecti, & singula remedia juxta exactam medendi methodum Inflammatio tollitur V. S.

in

in uſum vocare. Itaque ſi æger plethoricus in febrem incidat, ſi diſpoſitionis inflammatoriæ indicia ſeſe prodant, ſi urina, ſi pulſus, ſi lingua eadem promant indicia, non oportet expectare ut æger evadat planè phreneticus, oportet venienti morbo occurrere. Oportet diligenter conſiderare V. S. in hoc caſu pluribus indicationibus ſatisfacere. Sanguinis eductione tempeſtivâ non tantum ejus copia minuitur, non tantum nimiæ vaſorum repletioni ſuccurritur, verum etiam æſtus compeſcitur, ſeri in conſiſtentiam gelatinæ ſimilem immutationi occurritur, ſpirituum animalium copia & agitatio imminuitur, adeoque præcavetur & curatur phrenitis.

Quid agendum Medico tardius advocato?

Quod ſi autem medicus tardius ſit advocatus, ſi jam deliret æger, meminiſſe oportet egregium remedium eſſe V. S.; ſed eam non ſemper eſſe tutam. In hoc caſu judicium & prudentia medici imprimis requiruntur, quandoquidem circumſtantiæ vel permittere, vel prohibere poſſunt generoſum hoc auxilium. Si Aphthæ appareant criticæ, aut ſi natura alia ratione criſim moliatur, ſi vires valdè ſint attritæ, ſi æger ſit decrepitus, ſi oculorum vigor ſit fere extinctus, ſi pulſus intermittat, ſi æger floccos carpat, ſi nulla videatur reliqua ſalutis ſpes, præſtat à V. S. abſtinere. Sin autem vires conſtent, ſi morbus necdum videatur ad ſtatum perveniſſe, ſi hæmorragia aut evacuatio conſueta ſit ſuppreſſa, ſi diu intermiſſa fuerit V. S. quamvis præſtitiſſet citius illam in uſum vocâſſe, præſtat tamen ſerius inſtitutum, imo anceps remedium quam nullum.

Objectioni ſatisfit.

Nec eſt quod mihi quiſpiam objiciat, etiam à nimis copioſâ ſanguinis evacuatione poſſe oriri febres, ex. gr. à nimio lochiorum & menſtruorum fluxu. Non nego illud ſæpius accidere, imo addo ſanguinis evacuationem copioſam plerumque pulſum frequentiorem habere comitem. Non nego à minori arteriarum & venarum repletione adeoque preſſione, vires admodum proſterni, lypothymias excitari, ſæpe oriri flatus, diſtenſiones inteſtinorum, anxietates circa præcordia, ventriculi debilitatem: verum addo in tali caſu ægros raro mori Phreneticos, mens ordinariè conſtat ad extremum uſque. Ita memini me aliquando vocatum fuiſſe ad puerperam per tres circiter

citer hebdomadas nimio lochiorum fluxu laborantem, debilem quidem, verum rationis omnino compotem. Tractaverat eam pharmacopœus valdè ſuffenus, qui perperam medicinam feciſſe videbatur exhibendo lochia promoventia medicamenta. Pallebat admodum tanquam exanguis, & conquerebatur ſe nocte præcedenti vehementi fuiſſe correptam febre, & anxietatibus admodum moleſtis. Ego impero quietem ſummam, præſcribo diætam & medicamenta lochiorum nimio fluxui reſiſtentia, quæ etiam cum aliquo ſucceſſu fuerunt aſſumpta, adeo ut circa veſperam videretur habere melius. Horâ nonâ circiter petit matulam, ſeſe ipſam erigit, matulæ inſidens in ſyncopen incidit & ſtatim expiravit. Talia obſervâſſe non eſt inutile, quandoquidem in hiſce non ſemel peccatur. Concludo, cum copioſam evacuationem non ſoleat excipere phrenitis, imo cum ea à Phrenitide, ſaltem vehementiori, præſervet, quamvis ægrotantes febri & aliis infeſtentur ſymptomatibus, imo quamvis ſuccumbant morbo, objectio contra V. S. in Phrenitide inſtituendam nullius eſt ponderis. Nolo enim ſanguinem nimia, ſed mediocri, educi quantitate, nolo ſanguinem educi niſi ubi copiæ ſigna adſunt, nolo V. S. vires exhauriri, nolo intempeſtivè venam ſecari. Tempeſtivâ eductione ſuperflui, & inflammationem producentis vel producturi ſanguinis, ſymptomata à nimia preſſione oriunda vel vitare vel curare mihi eſt animus. Habeo conſentientes mecum non tantum *Hartmannum*, quem ſuperius laudavi, ſed omnes fere medicos etiam neotericos *Timæum*, *Walſmidium*, *Dolæum*, *Williſium*, cujus hæc ſunt verba, *de anima brutorum* p. II. c. 10. *Phlebotomia raro aut nunquam omittenda, ſtatim adhibeatur. Nihil enim æque ac hoc remedium ſanguinis flammam immodicam deprimit, ac diminuit, nihilque incendium ejus a regimine animali magis avertit aut revocat: Quapropter, ſi res exigat, vena modo in brachio, aut manu, modo in crure aut pede, modo in cervice aut fronte aperiatur: quandoque forſan expediat arteriam temporalem pertundi: quin etiam ex aliis locis per hirudines nonnunquam aut cucurbitulus ſanguinis detrahi: hoc enim potiſſimum auxilium, & juxta* Galenum ὡς πρῶτον ὑπὲρ ἁπάντων ϗ μέγιστον ἐσόμενον βοήθημα *plurimas in Phreneſi indicationes explere ſolet.*

Diluentia. Alterum quod ad inflammationem præſcripſi ſunt diluentia, quæ nempe particulis aqueis & lubricis ſanguinis conſtitutionem tenaciorem diluunt, atque æſtum temperant, nec non progreſſum faciliorem efficiunt. Hic etiam locum habet illud Poetæ

Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

Aqua nimiam ſanguinis preſſionem & dilatationem compeſcit: aqua ardorem exſtinguit: aqua humores reddit fluidos: aqua ſitim ſedat: aqua omnem acrimoniam temperat. Itaque potus tenuis & aqueus, aqua cocta, cruda, acidulæ hic in uſum vocari poſſunt. Poſſunt quoque in aqua decoqui variæ herbæ refrigerantes aut temperatæ in hoc morbo ab auctoribus commendatæ qualia ſunt *Acetoſa*, *Lactuca*, *Bugloſſa*. Utilia quoque ſunt *Cichoracea*, quæ etiam amarore ſuo particulas tenaciores incidere valent, talia ſunt *Taraxacum*, *Sonchus*, *Cichoreum*, *Endivia*, &c. Ex his & ſimilibus pro varia circumſtantiarum ratione, pro appetitu ægri vario, variæ poſſunt concinnari formulæ. Ex. gr.

℞. *Rad. Acetoſæ.*
Scorzoner. aa. ℥j.
Fol. Lactucæ
Acetoſæ
Sonchi
Taraxac. aa. m. j.
Coq. ſ. a. ex aq. pura colat. ℥xx. Add.
Syr. Violac. ſ. ʒj.
Nitri anodin. ʒß.
M.

Williſius hoc modo præſcribit.

℞. *Rad. Graminis.*
Fol. Lujulæ.
Pimpinell. aa. m. j.
Hordei ℥ß.
Pomum incis.
Uvarum Corinthiacar. vel fragorum, vel Fructuum Rubi Idæi m. j.
Coq. in aq. fontis ℔ iv. *ad tertiæ partis conſumptionem colat. clarificatæ add.* *Syr.*

Syr. Violar. ℥j.
Sal. Prunell. ʒjß.
M.

Sequentes formulæ ſunt *Bierlingii.*

℞. *Aq. Nymphea.*
Portulac.
Anagallid. aa ℥iij.
Syr. de Nymphea.
Papav. Rhæad. aa. ℥j.
Tinctur. Violar.
Roſar.
Papav. Rhæad. aa. ʒjß.
M.

℞. *Seri lactis caprilli cum Spir. Vitriol. acidul.* ℔jß.
Flor. Borrag.
Roſar.
Papav. Rhæad. aa. p. iij.
Stent in loco calido poſtea filtrentur & addatur Syr. de Nymphea q. ſ. pro aliquali edulcoratione.

Tertium quod ad inflammationem præſcripſi ſunt ſudorifera. Quemadmodum enim in inflammatione ſuſpecta ſunt purgantia, ita egregii uſus ſunt diaphoretica. Oportet autem ut ea eligantur temperatiora, ne nimia ſpirituum agitatio, & æſtus adaugeantur. Quandoquidem autem in plurimis morbis hæc locum habent, agam tantum de iis quæ Phrenitidem potiſſimum reſpiciunt. Julapium tale præſcribit *Hartmannus.* Sudorifera.

℞. *Aq. Nymph.* ℥iij.
Roſar. Bugloſſ. aa. ℥vj.
Syr. de Ribibus vel Limonibus. ℥iij.
Sal. prunell. ʒj. *vel* ʒjß.
M.

Nec multum diſſimile eſt ſequens *Williſii*,

℞. *Aq. Pomor. Cerasor. nigr. Paralyſ. aa.* ℥iv.
Citri totius. ℥ij.
Margarit. pulv. ʒj.

Syr. è succo citri. ℥j.

M. F. Julapium. sumantur ℥iij. ter vel quater in die.

Forma pulveris præscripsit *Walsmidius*

℞. *Cinnabar. nativ. gr.* v.
Nitri alcalisati. gr. iv.
Pulv. Bezoard. vel Antim. diaph. gr. xij.
M: F. Pulvis.

℞. *Lapid. Bezoar.*
Cancror. aa. gr. v.
Camphoræ. gr. iv.
M. F. Pulvis.

Tinctura Bezoardica sæpius item detur, ac *nitrum* in potu ordinario copiosè propinetur.

Quamvis enim ille hæc commendet tanquam deobstruentia, cum tamen in inflammatione nulla sit obstructio, sed transitus per minima vasa difficultas, adeoque expansio & dolor & æstus, hæc ideo prosunt quandoquidem sudores movendo transitum per minima vasa faciliorem reddunt. *Rolfincius* hunc habet pulverem.

℞. *Antim. diaph. Bez. mineral. aa. gr.* vj. *Sol. Lun. aa. gr.* iij.
Magist. C. C. cum Sp. Nitr. parat. gr. viij.
Divide in ij. partes æquales pro duabus dosibus, exhibe cum *aqua fl. Sambuci.*

Quomodo Spirituum motus compescendus?

Ultimum inter indicationes generales relatum, fuit, compescere nimium spirituum motum. Fit illud per medicamenta interna & externa, per utraque blandius aut potentius. Observandum est prudenter initium fieri à mitioribus; hinc enim patet quid ægri ferant, & quæ utilitas inde in ipsos redundet. Blandius spirituum motus sedatur per *diluentia* & *hypnotica* minus potentia, potentius per medicamenta *narcotica.*

Medicamentis internis.

Prioris exempla præbent sequentes *Willisii* formulæ.

℞. *Aq. Fl. Paralyseos* ℥iv.
Syr. de Moeconio ℥ß.
Margarit. ℈j.
F. Haustus. sumendus serâ nocte.

℞. *Sem.*

℞. *Sem. Papav. alb.* ʒij. *Sacchar. cand.* ʒjß.
Simul contusis affund. aq. papav. alb. ℥vj.
F. Expressio. sumenda eodem modo.

De *opio*, *narcoticis* & eorum usu in superioribus fusius egi, itaque sufficiet hic ea addere quæ in hoc affectu præcipuè locum habent. *Walsmidii* monitum non est contemnendum. *Opiata quemadmodum in nulla inflammatione, ita nec hic conveniunt, nisi maritentur cum diaphoreticis.* Non multum abludunt ea quæ *Willisius* in hoc symptomate inculcat. *Narcotica cautè exhibeantur: quia nonnullis, quorum stomachi fibras valde teneras & sensiles habent, minus conveniunt. Sæpius observavi, hujusmodi hypnotica magnam in ventriculo oppressionem excitasse, dein statim inflationes ejus, & paulo postea spirituum in cerebro, imo in toto corpore distractiones, & inordinationes insecutas fuisse.* &c. Quibus addere licet: quandoquidem affectus cerebri veluti cognatione quadam inter se junguntur, facilè contingere ut è Phrenitide in Carum incidant ægroti; vidimus enim in superioribus Phrenitim sæpe invadere ubi vires sunt attritæ.

Sydenhamius refert se uti *Laudano Londinensi* ad gr. j.
vel ℞. *Flor. Paralyseos* m. j.
Coq. in s. q. aq. Cerasor. nigr. colat. ℥iij.
Dissolv. Syr. de Meconio ℥ß.
Succi Limon. g. viij. *vel* x.
M.

Rolfincius commendat usum *Laudani opiati solaris ad gr.* ij, iij, iv. forma pilularum deauratarum vel cum *conserva Rosarum* antiqua, vel *nymphea.* Sequentem pulverem mira præstâsse refert *Dolæus.*

℞. *Lapid. prunell. gr.* xv. *Camphor. gr.* iij.
Laud. op. gr. ß.
M. F. Pulvis.

Una fidelia duos dealbabimus parietes si *sudoriferis*, quorum superius facta est mentio, jungamus prudenter *opiata.* Exempli loco potest esse formula sequens.

℞. *Aq. Betonic. Flor. Tiliæ.*
Prophylact. aa. ℥jß.
Oc. Cancri ten. pulv.

Cremor. diaphoret.
Corall. rubr. ten. pulv. aa. ℈j.
Laud. op. gr. ij.
Syr. Papav. alb. ʒvj.
M.

Vel si quis opium non amet & simul æstum temperare gestiat, hoc vel simile Apozema conveniet.

℞. *Rad. Scorzoner.* ℥ij.
Liquerit. ʒj.
Fol. Acetosæ, Lactucæ.
Taraxac. cum toto. aa. m. j.
Capit. Papav. alb. ʒjß.
Passular. maj. exani. ℥j.
Coq. s. a. ex aq. pura colat. ℔ij. *Add.*
Nitri Anodin. ℈ij.
M.

Dolæus refert fœminam quandam Limburgensem, à sequenti mixtura, sæpius per intervalla ad tria cochlearia exhibita, pristinæ menti fuisse restitutam.

℞. *Aq. Betonic.*
Borrag. aa. ℥jß.
Tinctur. Rosar. ℥vj.
Laud. op. inc. gr. v.
Confect. Hyacinth. ʒj.
Syr. Acetos. Citri. ʒvj.
Sp. sal. Armon. gr. j.
M.

Externis. De medicamentis externis in genere affirmare licet ea tutius in usum vocari quam interna narcotica. Sunt ea vel minus potentia vel magis efficacia. Minus potentia sunt lotiones pedum, & insessiones per aliquod tempus continuatæ; ita enim sæpe somnus invitatur. Potentiora sunt ea quæ fronti & temporibus applicantur, quæ ipsa tamen non unius sunt generis. Sequens Cataplasma est *Timæi.*

℞. *Sem. papav. alb.* ℥ß. *Lactuc.* ʒij.
Contunde in mortario. add. aq. Rosar. ℥j

Aq.

Aq. flor. Rhœad. Nymph. Aneth. aa ℥ß.
Farin. Hord. q. ſ.
M. F. Cataplaſma.

Hartmannus hoc Epithema habet:

℞. *Aq. Solan.*
Lactuc. aa. ℥ij.
Acet. Roſac. ℥ß.
Laud. op. ℈j.
Caphuræ. gr. vj.
M.

Franciſcus Hildesheim in Specileg. p. 116.

℞. *Ol. Roſar. omphacin.* ℥jß.
Aceti ad penetrationem. ʒß.
Miſſ. pro Oxyrhodino commiſſuræ coronali applicando, & ſæpe repetendo.

Illud tamen monuiſſe non erit inutile, Frontalia & repellentia dicta medicamenta non debere actu frigida imponi aut fronti, aut capiti, ſed tepida. Quare autem frigida noceant, calida proſint, è ſuperius explicatis patet. Morbus ex eo habet originem, quod ſanguinis tranſitus per minima vaſcula cum difficultate peragatur, ſive revera meningum adſit inflammatio, ſive nimia tantum vaſorum repletio tanquam gradus quidam ad inflammationem. Si ergo frigus externum vaſa conſtringat, & ſanguinem ad motum progreſſivum ineptiorem reddat, neceſſe eſt ut major ſequatur repletio vaſorum, adeoque major inflammatio, quemadmodum videmus aliquem in pleuritidem incidere, ſi avidius frigidam bibat. Itaque danda eſt opera, ut remedia in uſum vocanda revera ſint remedia, non autem venena, quemadmodum illud non raro contingit: danda eſt opera, ne imprudenti Medicamentorum applicatione malum ingraveſcat. Id quod dixi ex eo confirmatur, quod Chirurgi cataplaſmata ad inflammationem non frigida ſed calida ſoleant applicare.

Non tantum frontalia, qualia propoſuimus, vocantur in uſum, ſed & agni aut vervecis pulmones calentes; egregrè quoque proſunt *columbæ*, vel *gallinæ* earumque pulli ſi medii diſſciſſi imponantur capiti. In ſtatu, is, quem modo laudavi, *Hildesheim* com-

commendat resolventia moderata, *omentum castrati* vel *vituli*, actu calidum, ex animali vivo extractum, & cum repetimus, calefiat in *Oleo Chamomelino vel Anethino*. In sexu fæminino autem, ut efficacia horum animalium tanto melius ad interiora penetret, capilli ante abscindendi sunt; verum in casibus gravioribus solummodo ad hoc remedium confugimus, ubi alia auxilia incassum fuerunt adhibita: quandoquidem capillos sibi demi ægrè ferunt mulierculæ. Ita memini me puerperæ phreneticæ, vigilanti & cantanti præscripsisse, post amputatos capillos, impositionem Gallinæ vivæ mediæ disscissæ, una cum sanguine & fæcibus cum insigni successu. Exemplum plane simile habet *Felix Platerus* in observationibus p. 23. Vid. quoque *Claudins*: Empyric rational. qui *Catellos* laudat. l. III. c. 2.

De Curatione Paraphrenitidis.

Adjicienda sunt pauca curam differentiarum Phrenitidis spectantia. In Phrenitide exquisita caute admodum procedendum, & non facile ad narcotica confugiendum est. Circa Paraphrenitidem lubet adscribere *Cardalucii* verba: *Febres acutæ omnes, malignæ & qualescunque morbi sunt, debellantur radicitus ut plurimum mox in eorum pullulatione, propinato insigni quodam vomitorio, quod innumeris vicibus experti sumus, verum non exspectamus, donec signis dignosci queat, qualis præcise morbus vel febris efflorescere velit, sed è vestigio, & quam primum quis se male habet. Exhibemus ipsi* Centaurium nostrum minerale, *cujus locum subire potest* aqua benedicta Rulandi: &c. In Paraphrenitide inflammationibus & doloribus aliarum partium præmissis universalibus tutius in usum licet vocare opiata. Pilulas quas *Mynsigtus* in Epilepsia & Vertigine præscribit, malim ego in *Paraphrenitide* in usum vocare.

℞. *Laud. op. g.* v.
Unicornu animal.
Margarit. Corall. aa. gr. iij.
M. & cum Ol. Cranii humani.
F. Pilulæ parvæ, pro una dosi:

Loco *Olei Cranii* humani potest sumi alius liquor appropiatus, ut *Liquor Nitri fixi* &c.

Ubi in Phrenitide propensio ad somnum adest, cautius exhibenda sunt hypnotica & narcotica, vel planè omittenda. In

In Phrenitide convulſionibus ſtipata periculum, in quo verſatur æger, adſtantibus & amicis ſignificandum eſt: à medicamentis potentioribus, ut plurimum, abſtinendum, quandoquidem vires ſolent eſſe debiles, externa in uſum vocanda. Itaque pedibus ſubjiciatur *fermentum* acidum, *piſces* varii generis, uti in ſuperioribus explicatum eſt. *Veſicatoria* etiam & *Cantharides* variis partibus applicentur, vel etiam *cucurbitulæ ſiccæ.* Si alvus non reſpondeat enemata crebro injicienda. Ad vires confortandas, aquæ cordiales, & medicamenta antispasmodica temperata conveniunt. Aquarum cordialium dictarum plures exſtant formulæ; ſequentes *Timæi* non ſunt inutiles, ſi Syruporum addita fuiſſet minor quantitas; quorſum enim tanta Syruporum copia, cum multi dulcia non ferant? De Convulſionibus.

℞. *Syr. Perlar. oriental.* ℥ijß.
Granator. ℥jß.
Flor. Rhead. ℥ij.
Aq. noſtr. Cordial. frigid. ℥iij.
Ceraſor. nigror. ℥ij.
Sp. Roſar.
Fl. Tiliæ. aa g. xv.
M.

Mihi unicus *Syrupus Granatorum* abunde ſufficeret.

℞. *Aq. Ceraſor. nigr.* ℥vj.
Borrag. ℥iijß.
Syr. Granator.
Fl. Tunicæ aa ℥ijß.
Fl. Rhead. ℥ij.
Sp. Vitriol. ad gratam aciditatem.

Si phrenitis invadat ægrum ſatis robuſtum V. S. liberalior vel repetita, aut ſimilia remedia potentiora in uſum vocentur: ſi autem vires ſunt fractæ, talia vel omittenda vel parca manu adminiſtranda ſunt.

Diæta.

Dum remedia *Chirurgica* & *Pharmaceutica* in uſum vocantur, non eſt negligenda *diæta*, non tantum, quod ea ad vires conſervandas ſit utilis, ſed & quod hæc faciat ad feliciorem medicamentorum ſucceſſum. Quomodo enim ſomnus provocabitur, niſi vitetur ſtrepitus? Quomodo ſudabit æger, niſi

exhibeantur potulenta, vehiculi loco medicamentis diaphoretícis futura?

Aer igitur ſit purus, cubiculum, in quo decumbit æger, ne ſit nimis anguſtum, nec nimis luminoſum, aut calidum: vitetur ſtrepitus & ſalutatio amicorum frequens: in genere, omnia quæ ſpirituum motum nimium excitare valent.

Victus ſit tenuis: quemadmodum illud in omnibus morbis acutis locum habet, ita etiam in Phrenitide. Vitentur cibi multum nutrientes, & aromatibus conditi, vitetur vinum. Hæc enim ſanguinis motum inteſtinum, hæc preſſionem, dilatationem ejuſdem, nec non ſpirituum animalium motum nimium intendere valent. Vinum ab *Aureliano* habetur quaſi venenum quoddam, & ſuâ natura Phreneticis adverſum. Potus ſit *ptiſana*, vel *cereviſia* tenuis, aut *acidulæ*.

Somnus placidus omni ratione alliciendus eſt. Itaque diætetica remedia, quæ illud aliquomodo præſtare valent, in uſum vocanda. Prodeſt *hordeum* ejuſque *farina*, prodeſt *alica avenacea*. Huc referri poſſunt *capita papaveris albi* in aliquo liquore decocta; ea enim inſtar remedii diætetici quibuſdam ſunt in uſu.

Quandoquidem agitatio ſpirituum animalium eſt compeſcenda, perſpicuum eſt, motum minimè, quietem optimè convenire. Illud tamen non impedit, quo minus ægri lectus ſternatur. Non tantum ſomnus allicitur, ſi ægrotus in lectum mollem & recenter ſtratum transferatur: ſed & æſtus, à diuturno decubitu excitatus, hoc pacto abigitur.

Alvus in hoc morbo ſit libera vel ſponte vel arte. Poſt egregiam depoſitionem alvi ægrum in ſomnum placidum incidere, non ſemel obſervatum eſt.

Animi pathemata cane & angue pejus fugienda. Illa enim & ſpiritus & ſanguinem nimium commovent, adeoque cauſam hujus mali augent.

CAPUT QUINTUM.

De Melancholia.

Melancholiæ deſcriptio vulgaris.

MElancholia dicitur eſſe *delirium à phantaſmate melancholico exortum, qua detentus uni cogitationi, abſque furore & febre, cum triſtitia & metu inhæret.*

Cum

Cum autem causa hujus mali statuatur humor vel vapor melancholicus, videndum quid de humore & vapore melancholico sit statuendum, deinde hæc descriptio examinanda & commodior substituenda est. Ut sciamus quid per humorem melancholicum debeamus intelligere, res ab ovo exordienda est. Nempe Medici vocem μελαγχολίας à communi usu desumptam morbo imposuerunt; Etymologiæ autem ac vocis significationi inhærentes, multa vana & falsa finxerunt. Ex *Homero*, cui cum *Hippocrate* magna est affinitas, patet, illum nigredinis facere mentionem, quando ipsi propositum est exprimere hominem dolore & ira percitum, qui animum non regit, qui æstuat, nec satis videt, quid expediat.

Humor melancholicus.

Il. 103. μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι
Πίμπλαντ᾽

Ira animum impedit ne verum cernere possit, quandoquidem ejus motus ratiocinationem pervertunt. *Omnes qui de rebus dubiis consultant, ab odio, ira, amore*, imo & tristitia *vacuos esse decet*. Mens dicitur circumfusa caligine, quemadmodum nox atra, aut nigra. Defectus luminis omnia velut atra caligine involvit, quandoquidem oculus coloris differentias non nisi mediante lumine dignoscit, nec homo in tenebris periculum evitare potest. Obtenebratio rationis, ab animi pathemate, facit, ut homo rerum pretium & pondus non dijudicet uti oportebat, & in magna pericula incidat. Lumen mentis est ratio: lumen mentis est hilaritas: quando illæ à dispositione corporis nostri, ob arctissimam utriusque unionem, obscurantur, tum homo evadit melancholicus. Tales itaque descriptiones, talia epitheta, non quid res ipsa sit, sed quam graphicè depingi possit, significant. Melancholia itaque simpliciter tristitiam significat, quemadmodum μελαγχολάω, tristis sum. Aristoph.

Μελαγχολῶντ᾽ ἀπέμεμψε μου τὸν δεσπότην.

Impropriè insanio. Medici morbosam dispositionem cum tristitiâ, & aliquando delirio, conjunctam itidem μελαγχολίας nomine donarunt. Cum autem χολὴ & animi affectionem, & bilem significet, bilis autem iræ, non itidem tristitiæ statuatur causa, finxerunt illi humorem nigrum, fœculentum & ex cre-

crementitium, ab eoque varios variarum partium morbos deduxerunt. Imprimis tamen illum in liene ſtabulari exiſtimabant, quod ideo facilius fidem videtur inveniſſe, quandoquidem hujus viſceris color eſt obſcurior. Opinioni huic pondus addidit forſan, quod non rarò homines nigricantia evomant, aut excernant. Verum ſi rem exactè perpendamus, non eſt ſimplex humor qui excernitur, quando nigredo illa oculis ſubjicitur, ſed variorum humorum corruptorum miſcella; nec illa ſemper à Melancholicis, aut in melancholiâ excernitur, ſed aliquando ab hominibus à melancholia longè remotis, aliquando poſt uſum medicamentorum chalybeatorum, aliquando in Ictero, Febribus &c. Itaque poſtquam præteriti ſeculi medicorum induſtria circulationem ſanguinis, & uſum lienis longe nobiliorem detexit, omnia hæc corruunt. Nulla alia eſt bilis, quam quæ folliculo fellis continetur, aut ab eodem, vel hepate naturaliter verſus inteſtina amandatur. Illa non eſt excrementitia, ſed ſumme utilis humor. Lien peculiari vaſe excretorio caret. Nullus humor ſimplex nigredine donatur.

Succus Pancreaticus. Fuerunt qui ſucco pancreatico optimè convenire exiſtimarent, ea quæ de melancholico humore antiqui tradidere. Cum enim apud veteres fieret mentio humoris admodum acris, & ſæpe per vomitum & ſeceſſum ejicerentur valdè acria & acida, putabant acredinem illam ſucco pancreatico acidiori & auſteriori eſſe tribuendam. Et revera nullum eſt dubium, quin humor pancreaticus in ſtatu morboſo, non minus quam alii humores, à naturali craſi multum deſciſcat. Verum iſte numquam eſt ater, & quando ille dominium, ut ita dicam, exercet, veluti in Ictero, fæces omnino albicant. Deinde non tantum ſuccus pancreaticus, ſed & ſaliva, & glandularum inteſtinalium liquores, & ipſa bilis multum immutant humores per vomitum vel ſeceſſum ejectos, Quid, quod ipſa ventriculi conſtitutio & ciborum fermentatio huc multum faciant? Quàmvis ergo in principio, non ſine plauſu, arrepta fuerit avidè hypotheſis, è ſucco pancreatico ejuſque vitiis & halitibus, ſive etiam ab humorum triumviratu, omnes ferè deducens morbos, poſtquam tamen amplius negotium examinatum eſt, atque opinio hæc novitatis gratiam exuit, pancreas facul-

cultate hac sua, non minus quam hepar sanguificationis munere, excidit.

Bilis atra.

Nigram autem bilem in cerebro posse colligi, aut hanc, vel etiam vapores tetros posse spiritus animales quasi fuligine inficere, absurdius est quam ut refutationem mereatur. Quando ergo dicitur, melancholiam produci à phantasmate aut humore melancholico, idem per idem explicatur, vel potius obscurum per magis obscurum. Nullus enim est, qui non melius sciat quid sit melancholia, juxta receptum loquendi modum, quam quid sit phantasma melancholicum, vel similis humor. Humor melancholicus est qui tristes efficit, quemadmodum nox dicitur cæca, amor cæcus, quod hominibus visum adimat, vel etiam rationem. Ad explicationem medicam non est necessaria circumscriptio tropica, sed res ipsa explicanda est.

Examinatur descriptio vulgaris.

Examinanda jam est descriptio vulgaris. Melancholia dicitur delirium, cui non multum repugno, dummodo observetur paucos melancholicos posse dici delirare, nisi delirium sumatur in significatione admodum generali & tenui. Verum cum in casibus gravioribus ratiocinatio & judicium circa objecta particularia pervertatur, esto dicatur delirium, & intelligatur de melancholia in gradu intensiori: ejusdem autem gradus remissiores tanquam viæ ad futurum delirium considerentur.

Velim autem scire quid sit phantasma melancholicum? Estne res externa tristitiam vel terrorem incutiens? Verum hæc est causa procatarctica & transiens, ideoque cessante illius objecti, actione videtur debere cessare effectus. Quid, quod phantasma melancholicum non videatur objectum externum, sed internum quid significare? An vero est valida illa commotio ab objecto in spiritus & sanguinem magna vi agente? Verum hæc est animi affectus, nec, nisi valde impropriè & obscure dici potest phantasma melancholicum. An vero est objectum phantasiæ? Sed objecta illa sunt species menti repræsentatæ, vel vestigia cerebro impressa, seu memoria rei præteritæ: quomodo autem illa dicuntur melancholica? Explicandum erat, in quo consistat tristitia horum phantasmatum. Explicandum erat, quam immutationem in cerebro, in spiritibus, in sangui-

guine, denique in reliquis visceribus hæc efficerent; in his etenim propriè dispositio ad tristitiam consistit. Vel denique an erunt nocturna spectra & larvæ, vanorum hominum mentes exagitantia, à perspicatioribus habita anilia terriculamenta & impostorum illusiones? sint sanè, si ita velint, tales chimæræ, quandoquidem hæc propria vocum est significatio, hasque teneant & arctè complectantur, qui illas amant, nobis cum larvis luctari non libet.

Quomodo producatur melancholia.

Antequam autem commodiorem descriptionem substituamus, operæ pretium est examinare, quis sit productionis melancholiæ modus? Melancholia aliquando repente ab animi affectione, vel segnius à corporis constitutione & pravâ diætâ producitur. In priori specie causa est manifestior, in altera obscurior, in utrâque autem sensim ad ἀκμὴν adscendit hoc malum. Non inutile est binas has causas singulatim rimari, ut originem hujus mali detegamus. Repentinus metus, tristitia, terror spiritus animales valdè commovet, profunda sui vestigia cerebro imprimit, cordis meatus seu orificia constringit, pulmonem ejusque vesiculas & vasa sanguifera coarctat, unde minor sanguinis expansio, ut & pressio debilior, ob repletionem & constrictionem vasorum. Primus quidem impetus sanguinem, non minus quam spiritus animales, validè commovet; verum, cessante illa commotione, tristitia coarctationem cordis & vasorum efficit. Hæc constrictio vasorum accuratè tenenda est, ob insignem mutationem, quæ hinc ad sanguinis constitutionem redundat. Quamvis enim omnem sanguinis fermentationem & effervescentiam negem, non nego tamen sanguinem magis aut minus dilatari, tum ab animi passionibus, ab aëris constitutione, à diversa esculentorum & potulentorum, imo & ipsius hominis temperie, pro climatum, anni, tempestatum & morborum varietate. Ab hac inæquali dilatatione & proportione quæ inter sanguinis dilatationem & vasorum explicationem atque capacitatem intercedit, & hominis constitutio & varia morborum symptomata dependent. Ab hac eâdem sanguinis dilatatione minore vel majore, dependet spirituum animalium productio major aut minor, eorundemque in partes inferiores influxus.

Ut

Ut ad negotium nostrum revertamur, quandoquidem hic agimus de iis passionibus, quæ constrictionem habent comitem, videndum quæ sint hujus sequelæ? Passionum sequelæ.

A minori sanguinis dilatatione dependet productio spirituum minori copiâ; iidem spiritus evadunt sensim minus agiles, atque ad viscera imi ventris, ventriculum, lienem, hepar, intestina minori abundantiâ & efficaciâ amandantur. Hinc sequitur ventriculi fermentatio minor, minor excrementorum secretio & excretio, si lotium crudum & salivam excipias, juxta vulgare verbum, melancholicos esse sputatores. Hinc oriuntur sanguinis minor perfectio & quasi cruditas, seu minor exaltatio, spiritus animales quoque segniores. Segnities spirituum causa est, quare sese non diffundant æqualiter per cerebri tubulos, sed per illos potius, quos inveniunt magis patentes, adeoque lentori suo magis accommodatos, qui non sunt alii, quam illi ipsi, qui ab animi pathemate sunt patefacti, quique in principio vigilias & dissipationem spirituum produxerunt, atque vestigia primi impetus satis profunda retinuerunt. Cum autem illa affectio tristitiam produxerit, hinc cogitationes circa objecta parum læta multum occupantur, & tandem libenter versantur. Spiritus in illa vestigia incidentes agitantur, facile somnum ex oculis excutiunt, vigilias protractas, spirituum ingentem dissipationem, functionum naturalium languorem producunt. Iidem illi spiritus in fibras pulmonis coarctatas influentes, sanguinis circulationem & expansionem minus promovent, unde anxietates non tam circa præcordia, uti perperam quondam statutum fuit, quam circa pectus, pulmonem &c. hinc etiam oriuntur suspiria crebra. A minori autem in ventriculum influxu spirituum, tardior ciborum dissolutio, fermentatio, concoctio dependent, præcipuè accedente saliva viscidiore. Hinc iterum chylus, sanguis, spiritus animales minus mobiles, circulatio tardior, pressio debilior, tandem totius corporis signities. Semper quidem cogitationes feruntur circa objecta, quæ profundiara sui vestigia in cerebro reliquerunt, prout autem vigiliæ magis vel minus urgent, prout spiritus magis vel minus attentè circa objecta aliqua versantur, prout aliqua vestigia antiqna delentur, vel etiam

etiam nova imprimuntur, hinc vel triſtitia, vel ratiocinatio perverſa, vel imaginationes abſurdæ ægrum exagitant.

Baglivi ſententia.

Ne cui mirum videatur me tantum tribuere, paſſim in hoc tractatu, animi paſſionibus, non inutile mihi viſum eſt hic adſcribere lectu digniſſima *Baglivi* verba: *omnes homines ſua cura vexat*, & *ſingulis incumbit amara neceſſitas per ancipites laborum eventus ætatem pene omnem traducendi: Quæ ſi vera ſunt, verum pariter & illud eſſe quis non videt, quod ſc. magna morborum pars ab eo quod ſingulorum cervicibus impendet jugo aut producatur aut foveatur, præſertim in iis qui fortuna utuntur lautiori; hi namque animi potius quam corporis morbis afficiuntur, eorundemque corporis morbi animi morbis frequenter augentur. Quamobrem cautos & diligentes eſſe velim medicos in interpellandis ægrotis de cauſa occaſionali, præſertim de animi paſſionibus; neque, abſque ullo facto examine, ſingulorum morborum originem a repletione & cacochymiæ fabula indiſcriminatim deducant*. &c. Vid. l. 1. *de praxi medica ad priſcam obſervandi rationem revocanda c.* 14. Exempla inferius adducuntur.

Melancholia à corporis diſpoſitione orta.

Vidimus hactenus priorem modum generationis melancholiæ ab animi pathemate, ſequitur altera à corporis diſpoſitione producta. Si quis ventriculum habeat debilem, ſi quis eundem oneret cibis difficilioris concoctionis, iiſque copioſis, ſi quis vitæ ſolitariæ & ſedentariæ ſit deditus, ſi quis meditando & vigilando ſpiritus non parum diſſipet, hic ſanguinem acquiret minus comminutum, minori, quam decebat, vi per univerſum corpus propulſum, unde neceſſum eſt ſpiritus animales gigni pauciores & minus agiles: imo facile eandem acquiret diſpoſitionem, quam dixi è paſſione gravi in corpus redundare, ſed longius requiritur tempus. Citius id continget, ſi privatio alicujus boni, ſi mœror accedat ex. gr. mors filii, filiæ, uxoris dilectæ, jactura bonorum, amiſſio dignitatis: tum enim ſpiritus animales, veſtigia illa magis patula in cerebro invenientes, ſæpe eadem illâ viâ tranſeunt. Bona autem illa tanquam abſentia, amiſſa, atque numquam reditura conſiderantes miſeri, ſe ipſos continuò torquent, ſolitudinem amant, exercitia & gaudium negligunt, ſpiritus animales per univerſum corpus minus diffundunt, niſi in quantum id requiritur ad commo-

motionem illam in ſanguine excitandam, quæ hujuſmodi paſſionem ordinariè comitatur. Quod ſi eadem illa commotio vigilias accerſat, ſpiritus animales magis diſſipantur, concoctiones omnes imperfectius peraguntur, liquores glandularum fiunt acriores, veſtigia cerebro imprimuntur prout moroſitati eorum conſentaneum eſt, antiqua obliterantur, adeo ut tandem ratiocinatio ipſa pervertatur. Ita refert *Foreſtus*, *Damianum Simonis*, virum quadragenarium ſine uxore in cœlibatu viventem, cum multa legeret, ac ſe plurimum torqueret, poſtea vigilem factum, metu ac mœſtitiâ in melancholiam, & varias imaginationes eſſe lapſum. *L.* x. *obſ.* ix. Similia exempla habet *Timæus*, quæ ille ad Hypochondriacam melancholiam refert. *Henricus ab Heers* in Obſervationibus Tractatui *de Fonte ſpadano* adjunctis *obſervat.* 27. varia melancholicorum exempla habet lectu ſatis digna, in quibus diætæ errores non paucos, & ſolitudinis amorem animadvertere non erit inutile.

Hæc omnia ita cum quotidiano uſu conveniunt, ut ſymptomata omnia Melancholicorum hinc facile deduci queant, nec neceſſe ſit comminiſci ſanguinis fæcem, nec vapores tetros cerebrum obnubilantes, nec ſpiritus animales à naturâ miti, benignâ & ſubtili, in acetoſum & corroſivum (cujuſmodi ſunt liquores ex *Aceto*, *Buxo* & *Vitriolo* proliciti) degeneràſſe. Neque enim alia eſt ſanguinis fæx, quam ſanguinis particulæ quæ debitam perfectionem necdum acquiſiverunt, vel etiam eædem, quando diu per univerſum corpus circumactæ, ob preſſionem debiliorem, non ſatis fuere depuratæ, unde tum conſiſtentia ejus & color immutati cernuntur. Quæ de ſanguine atro, in cadaveribus melancholicorum reperto, narrantur (Vid. *Bonet. Sepulchretum* l. 1. ſect. ix. obſ. 1, 2, 4, 6, 7. &c.) mirabitur nemo, qui attentè conſideraverit partes ſanguinis, ad quas aër & luminis radii non penetrant, ordinariè atro colore eſſe perfuſas, quæ tamen nigredo evaneſcit, ſi eadem illa ſanguinis pars aliquamdiu lumini objiciatur. Vapores tetri ad cerebrum non perveniunt, adeoque cerebrum non obnubilant. Spiritus animales deſtillando minimè proliciuntur, adeoque comparatio cum deſtillatione hic locum non habet. Spiritus animales nunquam tantam acredinem acquirunt, aut acquirere poſſunt, De ſanguinis fæce.

ut comparatio cum *Spiritu Vitrioli* in illos quadrare queat. Cur enim hi ſpiritus ratiocinationem perverſam, non autem cerebri & nervorum efficerent eroſionem?

De aciditate & acredine humorum.

Rogabit fortaſſe aliquis, qua ratione hi ægri acida vomant? è *Galeno* quippe conſtat, tantam humorum aliquando adeſſe acredinem, ut ejectus humor in terram decidens fermentationes & bullas excitarit. Reſpondeo, quemadmodum in ſanguine nulla datur fermentatio aut efferveſcentia, ita illæ ventriculo & inteſtinis adimi non poſſunt. Evincit hoc expanſio ventriculi major, poſt duas treſve horas à prandio & cœnâ, præcipuè liberaliori, manifeſta. Evincit hoc comminutio & attenuatio ciborum ſumma, quamvis abſque ſufficienti manducatione iidem ſint deglutiti. Evincunt hoc excrementa alvina naturalia, præcipuè comparata cum morboſis admodum compactis & tenacibus: quemadmodum enim hæc fermentationis & ſecretionis defectum, ita illa fermentationem debitam mole, poris, & colore manifeſtè demonſtrant. Non fit hæc ſemper ſufficienter, ideo culpant medici non raro cruditatem acidam, non parvam moleſtiam, vomitum acidum, aciditatem ingentem ſpirantia excrementa, producentem. A cruditate hâc ſumma oritur acredo, ita ut dentes ſtupeant, & hic eſt ille humor admodum acidus. Unde autem oritur is in hoc caſu? A minori ventriculi calore, minore ſpirituum influxu, tardiori ciborum concoctione (acida enim ſenſim redduntur acriora) à liquorum per glandulas ſecretorum aciditate, vita ſedentariâ, reliquiis ciborum in ventriculo hærentibus. Quemadmodum fructus ſolent obſervari crudi, acerbi & acidi, ob defectum caloris æſtivi, ita humores evadunt acidi ob ſanguinem & ſpiritus animales minus activos, & minori copiâ verſus ventriculum confluentes. Minus activus eſt ſanguis, quia debitâ deſtituitur perfectione; minus copioſè confluunt ſpiritus animales, quia circa cogitationes triſtes occupantur, & quia ſunt ſegniores. Omnia, ut ita dicam, ſunt immatura. Immaturus eſt ſanguis, immaturi ſpiritus animales, immaturus chylus, immaturi liquores per glandulas ſecreti, quid mirum ſi cruditas oriatur acida & humores reperiantur tales quales à medicis deſcribuntur? Horum humorum receptaculum

non

non eſt cerebrum, non lien, aut Pancreas: ſed iidem illi humores, qui in ſtatu naturali erant blandi & temperati, in hoc caſu ſunt minus maturi, minus elaborati, ſunt acres ac moleſti & tum dicuntur melancholici, præſertim ſi melancholiam habeant comitem. Male lienem ſæpe vitii accuſari in Melancholiâ, ante me ab aliis quoque obſervatum eſt. Vid. *Boneti ſepulchretum* l. 1. ſ. IX. ob. 21. &c.

Commodior mihi hæc videtur deſcriptio: Melancholia *eſt conſtans cerebri & ſpirituum animalium ad triſtitiam diſpoſitio, animum demiſſum, ſanguinis debiliorem motum & nonnunquam delirium habens comitem.* Deſcriptio commodior.

In omni Melancholia adeſt quidem triſtitia, verum in triſtitia non conſiſtit eſſentia melancholiæ, quatenus objectum eſt Medicinæ, hoc eſt quatenus medicamentis illam expugnare valet medicus. Non etiam propriè eſt genus melancholiæ, quandoquidem triſtitia eſt animi affectus, paſſio repentina & tranſiens: hic autem quærimus morbum, ſeu eam corporis diſpoſitionem, à qua ſymptomata omnia pendent. Ea explicatur.

Nullus eſt quin aliquando contriſtetur, non tamen ideo melancholicus dici poteſt. Itaque diſpoſitio conſtans, ſeu continuata eſt genus melancholiæ; tum enim ſolent homines dici melancholici, quando à pravâ corporis conſtitutione ſunt tetrici, triſtes, ſolitarii, nec ſeſe ab hoc ſtatu facilè dimoveri patiuntur. Vitium hoc ad mentem non pertinet, verum ad corpus, quamvis mens in conſenſum trahatur. Adeo arcta eſt horum conjunctio, ut animi mores ſequantur temperamentum corporis, præcipuè in iis qui animi imperio minus, corporis impetu magis utuntur.

Dixi cerebri & ſpirituum animalium: dubitari poſſet, an non potius deberet dici, ſpirituum animalium & cerebri, cum veſtigia cerebro imprimantur à ſpiritibus animalibus? Verum ego cenſeo talibus minutiis non eſſe nimis anxiè immorandum: quemadmodum cerebri veſtigia à ſpiritibus animalibus; ita horum generatio & motus à cerebro & veſtigiis cerebro impreſſis dependent. Deinde affectus non eſſet adeo pertinax niſi accederet cerebri diſpoſitio morboſa. Quamvis ergo exiſtimem me ordinem naturalem in deſcriptione obſervâſſe, non pu- De cerebri diſpoſitione.

putem tamen in talibus quæstiunculis esse hærendum. Praxin medicam conscribimus non Logicam, cujus etiam tricas riserunt perspicaciores. Si res ipsa intelligatur de ordine non multum laborandum est, meâ quidem opinione. Hæc ideo addo, ut constet me cuique suum permittere judicium. Quod si quis velit spirituum dispositionem, dispositioni cerebri esse anteponendam, per me id licet, dummodo rectè curetur æger. Hanc tamen adjicio rationem, unde apparet non temere visum esse mihi hunc ordinem potiorem. Solent medici distinguere inter Melancholiam quæ cerebri vitio, & eam quæ aliarum partium vitio contingit: ut ergo pateat me de priori specie hic agere, non autem de hypochondriacâ, (de qua in tomo tertio forsan disputabimus) quamvis magna inter ambas sit convenientia, imo quamvis sibi mutuo sæpius copulentur, dixi hanc esse affectionem seu dispositionem cerebri tum etiam spirituum animalium.

Ut autem intelligatur qua ratione cerebrum afficiatur in hoc morbo, utile est consideràsse duplicem cerebri dispositionem seu actionem. Altera est qua cerebrum sanorum sese expandit liberaliter, id quod ad generationem spirituum satis agitatorum imprimis requiritur. Altera qua secretio ipsa spirituum animalium peragitur. Utraque in hoc affectu non habet sese debito modo. Quamvis enim in principio cerebrum expandatur, ubi nempe ab animi pathemate somnus excutitur, tantum abest ut spirituum moderatè agitatorum generatio hinc promoveatur, ut potius dissipentur iidem. Deinde ubi somnus abest, adest expansio molesta, quæ multum differt à naturali & ad lætitiam, nec non perceptionem, judicium, & perspicaciam requisitâ. Requiritur vigiliarum & somni vicissitudo, cum somnus ad instaurationem spirituum non parum faciat. Si somnus sit parcus, si sit interruptus, non sequitur post somnum solita alacritas. Ubi autem prima illa commotio superata est, cerebri expansio naturalis impeditur, tum ob dissipationem, tum ob sanguinem ipsum minus mobilem, minus expansum uti in superioribus vidimus, tum etiam ob spiritus minus mobiles. Hinc oritur minor alacritas, adeo ut vigilantes animo sint minus præsenti, imo videantur vel dormire vel in somnum

esse proni. Multo magis hæc dispositio nocet, si sanguis simul sit copiosior, uti id non raro contingit; tum enim minor mobilitas cerebro magis molesta & gravis est, adeoque expansionem cerebri naturalem aliquomodo impedit. Secretio ipsa spirituum non fit debito modo, quoniam à sanguine minus exaltato, minus dilatato, non secernuntur spiritus satis agitati & subtiles, non secernuntur etiam satis copiosi. Dispositio cerebri ad tristitiam etiam in eo consistit, quod vestigia illa quæ passiones profundius eidem impresserunt, memoriam & imaginationem mœroris continuo veluti excitent. Deinde cum profundiores illi sulci attentionem ad objecta tristitiæ convertant, reliqua vestigia ante impressa veluti obliterantur, ægri uni cogitationi inhærent, & à ratiocinationis rectæ tramite aberrant. Cerebrum itaque & ratione expansionis, & generationis spirituum, & ratione vestigiorum nimis profundè impressorum, malè affectum est.

Quod si cui videatur cerebrum propriè non posse dici dispositum ad tristitiam, illi ego facile assentior, si nempe Philosophicè & abstractè hoc negotium explicare velit: verum Philosophiæ & Medicinæ diversa est ratio. Medicina occupatur circa sanitatem & morbum quatenus illa conservari, hic medicamentis expugnari potest, adeoque tota est relativa, unde sequitur, non malè explicationem huic scopo accommodari, quod commodius fit per notiones ad praxin relationem habentes quam per absolutas & abstractas. Novi tristitiam, quatenus perceptionem & conscientiam habet comitem, propriè ad mentem pertinere; verum hanc comitatur commotio spirituum, sanguinis & partium solidarum, aliquando tanta, ut vestigia commotionis non facile obliterentur, & sæpe mentem non solum in novas passiones conjiciant, sed & è suo statu dimoveant. Cum ergo unio mentis cum corpore sit tanta, ut mens affici non possit quin corpus simul afficiatur, nec corpus quin mens simul malè mulctetur, rectissimè, meo judicio, cerebrum dicitur dispositum ad melancholiam, quando ejus vestigia, dispositio &c. non possunt non in mente excitare cogitationes turbulentas, & ad tristitiam vergentes. Corpus mentem necessario in consensum trahit. Est itaque dispositio ad melan- Ulterior explicatio.

 cho-

choliam. In hanc medicum cogitationes suas dirigere, hanc medicamentis idoneis expugnare debet. In corpus propriè medicamenta agunt, verum corpore restituto, mens valet & viget: sublatâ causâ tollitur effectus.

De spirituum animalium dispositione.

Spirituum animalium dispositio ad tristitiam facilè intelligitur, si ea quæ de eorum dissipatione, minori alacritate, imò de segnitie, quæ à sanguinis simili constitutione dependet, ex superius explicatis in memoriam revocemus. Delirium non solet esse universale sed particulare, nec semper melancholiæ copulatur, uti vidimus. Vide quoque *Schenkii* obs.1.5.p.m.130.&c.

Melancholia ordinarie febris expers.

Melancholiam ordinarie carere febre, habere tristitiam conjunctam, vel quod idem est animum abjectum & demissum omnes statuunt. Quemadmodum in febre nimia adest sanguinis pressio & expansio, ita minor pressio & expansio, minor spirituum animalium copia, minor motus corpus ad languorem, mentem ad tristitiam disponit: & quanto altiores hæ causæ egerunt radices, tanto diutius tristitia hæc continuatur & sensim invalescit. Contingit tamen aliquando melancholicos in febrem incidere, atque tum ordinariè symptomata sunt talia, ut ex parte febri, ex parte melancholiæ adscribi debeant. Si delirium comitetur, illud potius melancholicum quam Phreneticum dici debet. Talem ego nuper tractavi ægrotam, quæ restituta obnubilationem mentis, & tristitiam confitebatur, cum antea adstantes meæ non omnino viderentur annuere sententiæ. Atque hæc sufficiant definitioni vel descriptioni nostræ explicandæ, quæ si quis cum aliorum placitis conferre dignetur, is dijudicabit, num in materiâ admodum difficili, veriora ac clariora proposuerim, nec ne?

Causæ. Plethora.

Vidimus melancholiæ generationis modum, quem explicare non potuimus, quin simul causas proximas explicaremus: superest ut videamus causas magis remotas. Hæ triplices mihi videntur, Plethora, solitarum evacuationum suppressio, & varii in diæta errores. Plethoram hic sumo in latâ significatione, pro abundantia humorum venis & arteriis contentorum, quamvis sanguis fortè ab exactâ crasi non parum descifcat. Possem etiam dixisse Cacochymiam; verum cacochymicos non solemus appellare, nisi eos, qui sunt pallidi, oedematosi, atque

in

in quibus pravæ constitutionis signa sese manifestè produnt. Quemadmodum hos non excludo, ita non puto necessarium, ut ad hanc ἀκμὴν sanguinis prava dispositio perveniat, adeoque existimavi me Plethoræ vocabulo in latâ significatione posse uti, ad causam antecedentem explicandam *Johannes Buscoducensis* Carthusianus, ex repletione in melancholiam incidit, teste *Foresto* l. x. obs. 16.

Cum plethorâ conjunguntur, illamque sæpe producunt solitæ evacuationes suppressæ, mensium, hæmorrhoidum, hæmorragiæ narium vel similes. Non est hoc sanguini menstruo tribuendum, quasi is sit admodum venenatus, quemadmodum multi malè creduli sibi persuaserunt, sed quod corpus universum, imprimis autem cerebrum, viscus molle & arteriis repletissimum, à nimiâ sanguinis mole valdè oneretur. Deinde frequenter à sanguine glutinosiori, minus moto & expanso oritur menstruorum suppressio. Si itaque huic causæ, à causâ melancholiæ non multum abludenti, conjungatur nimia vasorum repletio & sanguinis copia, non mirum si in melancholiam incidant ita affecti. Denique eadem illa sanguinis copia sanguinis rarefactioni obest. Cum enim arteriæ venis sint multo angustiores, sequitur, sanguine copiosiore existente in universo corpore, eundem in arteriis, ob angustius spatium, non posse sufficienter rarefieri, præcipuè causâ extraordinariâ rarefactionis, febre sc. deficiente. Hinc igitur oritur membrorum gravitas, minor agilitas, segnities, tristitia. Solitæ evacuationes suppressæ.

Hæmorrhoidum suppressio quoque non ideo obest quod hac viâ solita sit natura evacuare sanguinem melancholicum. Præjudicium illud ex eo fuit ortum, quod venæ hæmorrhoidales prope lienem orirentur, quem falso statuebant esse focum melancholici humoris. Itaque arbitrabantur ramum portæ sub recto intestino declivem, ac mesenterio suffultum, nonnunquam ad fæculenti sanguinis per anivenulas, sanguine interdum manantes, expugnationem plurimum conferre. Vide *Vesalium* l. III. c. 5. Verum jam constat, venas hasce sanguinem versus intestinum rectum non advehere, sed eundem, ab arteriæ ramo mesenterico vel hypogastrico huc delatum, revehere, atque adeo lienem, licet vera de eo narrassent antiqui, hac Hæmorrhoidum suppressio.

viâ

viâ fæculentias ſuas non poſſe expurgare. Itaque ſanguis per anum evacuatus, ejuſdem eſt naturæ, cum eo, qui reliquis vaſis continetur. Nocet itaque ſuppreſſio hujus evacuationis, quandoquidem natura non amplius nimiam copiam hac viâ exonerans, à nimio ſanguinis onere premitur, eodem modo quemadmodum ſi cui hæmorrhagia narium ſubſiſtat. Exemplum habet *Foreſtus* l. x. obſ. 14.

Errores in diætâ.

Varii in diætâ errores viam facilè ſternunt ad melancholiam, ex gr. aër craſſus & nebuloſus, ingluvies, ſomnus diuturnior, otium, vita ſedentaria, animi paſſiones. Non eſt omittenda mens ſibi malè conſcia, & diſpoſitio hæreditaria, quæ ad varios in diætâ errores animum flectunt. Deinde diſpoſitio ſcorbutica, humores tenaciores & concoctiones imperfectiores efficiens. Quamvis enim hæc ad diætam propriè non pertineant, cum ea tamen ita conjunguntur, ut haſce non malè coronidis loco huic annectere poſſe me arbitrarer.

Guerneri *Neuhauſen* Homo melancholicus.

Poſtquam cogitationes meas de melancholia in chartam conjeciſſem, incidit in manus meas libellus *Gnerneri* Neuhauſen Hammonenſis, quem donavit nomine hominis melancholici. Hunc ſtatim avidè, nec ſine inſigni jucunditate perlegi. Præterquam enim quod de ſenſorio communi ea habet, quæ à meo ſenſu longiſſimè abſunt, uti in capite de Epilepſia patebit, non admodum difficulter ſententia ejus, ſi rem ipſam ſpectemus, cum meâ conciliari poteſt. Pulchra ſunt & homine Philoſopho digna, quæ de mente, corpore, utriusque unione & affectibus pluribus perſequutus eſt. Quando vero melancholiam ait eſſe aut mentalem aut corporalem, hanc ſanguini inhærentem & turbantem animum, illam in mente radicatam & turbantem corpus, non obſcure confirmant ea quæ ſuperius explicui fuſius. Ille enim menti tribuit quæ ego paſſionibus, ille magis philoſophicè, quemadmodum diſſertationem ſuam dixit *Philoſophico Medicam*, ego, ut mihi quidem videor, magis medicè. Quamvis enim mentem in abſtracto concipere poſſimus, quamvis mens diſtincta ſit ſubſtantia à corpore, quamvis mens corpore exſtincto maneat ſuperſtes, hæc mens non eſt objectum medicinæ, hujus morbi ſunt peccata & vitia, hæc nullas præbent indicationes medicas, ob-

jectum

jectum medicinæ est corpus humanum, si mens ob vitium corporis laboret, restituendo illud vitium etiam restituitur; si corpus ob affectiones vel passiones animi laboret, medicus turbulentum illum motum spirituum sedando, non parum menti prospicit. Mentem propriè non curat medicus, illud est vel Christiani vel Philosophi. Rectè enim in eo differentiam Philosophiæ & Medicinæ collocat *Democritus*, quod Philosophia morbis animi, Medicina corporis morbis succurrat. Ἰστορίην σοφίης γὰρ δοκέω ἰητρικῆς ἀδελφὴν καὶ σύνοικον. σοφίη μὲν γὰρ ψυχὴν ἀναρύεται παθέων. Ἰητρικὴ δὲ νόσους σωμάτων ἀφαιρέεται. Ita scribit. *Democr. de Natura hominis* p. m. 281.

Historia juvenis, ab ipso fusius narrata, qui ob repulsam in melancholiam inciderat, non parum etiam confirmat ea quæ in superioribus disputavi. Unde enim illa melancholia nisi à duplici sibi mutuo succedente animi passione, amore & dolore? Unde tristitia, unde morositas, unde absurda nonnunquam responsio, nisi ob spiritus, aliis cogitationibus intentos, ob vestigia profundius à passionibus cerebro impressa? Scilicet animi affectus vehemens corpus malè mulctavit, donec tandem solitudinis amor eum impulit ad relinquendum patrias ædes, ad extruendum casulam è frondibus & cespitibus, ad sepulchrum effodiendum, in quo cadaver recumberet. Varias & memorabiles historias melancholiæ à passionibus variis ortæ vide apud *Platerum* in observationibus l. 1. *de Mentis alienatione* p. m. 77, 78, 79, 83, 85. &c. Hæc, nocte ingruente prope patibulum pernoctare coacta è metu: illa, videns carnificem cadaver, in profluentem abjiciendum, dolio includere, è terrore: alia, è tristitia & indignatione quod nubere cuidam esset coacta, quem non amabat, in melancholiam inciderunt. *Forestus* refert insignem concionatorem, diligenter studiis incumbentem, è verecundiâ, quod visus esset à duobus viris, dum ventris saburram exoneraret in pascuis, in melancholiam, & falsas imaginationes incidisse. Vid. l. x. obs. 12.

Melancholiæ celebris est differentia, in eam quæ potest dici primaria, de qua nunc egimus, & hypachondriacam, cujus in superioribus est facta mentio. Secundum gradus varios etiam potest distingui melancholia; alia enim tantum habet Differentiæ.

adjunctam tristitiam leviorem: alia graviorem: alia etiam absurdam imaginationem, à qua sese vix aut, ne vix quidem dimoveri sinunt ægroti. Interim, quantumvis absurdæ videantur hæ imaginationes, latet tamen aliquando causa non tantum tristitiæ, sed & imaginationis stupendæ in corpore. Hujus indicia cum patiendo animadvertat, non est mirum, si sese ab imaginatione falsâ, fundamentum tamen in corporis dispositione nactâ, avelli non patiatur æger. Ita in melancholici ventriculo, ranam vivam se in eo gestare rati, inventus est post mortem tumor scirrosus. Vid. *Boneti sepulchretum l.* I. *Sect.* IX. *obs.* XXXV. Melancholia etiam distinguitur, quod vel contingat, cerebri, vel aliarum partium vitio. Quod vigilias habeat comite, vel quod ægrotos reddat somnolentos.

Melancholiæ signa. Melancholiæ signa sunt satis obvia; præterquam enim quod vultus sit speculum animi, & tristitiam prodat, patientes ipsi aut adstantes de tristitia continuâ conqueruntur. Quamvis pulsus dicatur rarus, & aliquando validus, existimo tamen eum non esse semper ejusdem generis, cum varia ægroti ipsius dispositio, animi pathemata, morbi tempus, quod np. sit vel in initio, vel augmento, vel statu, vel declinatione magnam diversitatem pulsus efficere possint. Observatum quoque est eos noctu sudare, sputatores esse, lotium eorum varium esse, alvum ut plurimum segniorem, atque eos ante senium canescere. Dicuntur quidem esse paucissimi somni, sed ea quæ circa pulsum observata sunt, hic quoque locum habent: animi pathemata enim repentina & recentia somnum excutiunt, verum tristitia continuata, & humores in consensum trahens, potest etiam somnum producere satis profundum. Causas autem vel ex relatu, vel è propriis locis, vel accurato examine, aut diligenti observatione expiscatur Medicus.

Prognosis. Morbus ut plurimum est chronicus Melancholia; nec ægrum repentè jugulat, verum curatu est difficilis, præcipuè si sit inveteratus, aut hæreditarius. Seriosæ Melancholiæ periculosiores. Hæmorrhoides & varices *Hippocrati* Melancholiam solvere dicuntur.

Indicationes Indicationes generales sunt: passionis repentinæ impetum refrænare, lentos humores expurgare vel emendare, spiritum ex-

excitare, denique caufas, quantum pote, tollere.

Curatio impetus paffionum tribus potiffimum peragitur, V. S. mentem ad alia objecta abducendo, fpirituum motum fedando. V. S. in repentinis paffionibus, nifi quid impediat, fummi eft ufus. Sanguinis enim motum turbulentum, fæpe palpitationes cordis efficientem, compefcit: fpiritibus etiam animalibus ferocientibus fubftrahit pabulum. Ea imprimis locum habet in melancholiâ ubi plethora adeft, aut ubi folitæ evacuationes fuerunt fuppreffæ. Illud hic moneo ubi de V.S. erat agendum, in fequentibus tamen V. S. locum & modum determinabo. Cura per V. S.

Quamvis ille etiam V. S. poffit ftatui ufus, ut mens ad alia objecta abducatur (etenim ubi V. S. inftituitur ægri ad Chirurgum, ad vulnus infligendum &c. inflictum, ad fanguinem vi magna erumpentem attendere incipiunt: incipiunt fefe ipfos refpicere, & fanitati aliquod ftatuere pretium) remedium tamen hoc generofius eft, quam ut ob hunc folum fcopum in ufum vocari debeat. Refpicio igitur ad alia in vulgari quidem ufu pofita, non exigui tamen ufus: hujus generis eft, fi quis exterritus ftatim hauftu vini generofioris largiori animum ab objecto molefto avellat, & fimul contractionem cordis impediat. *Vina parant animos.* Quod fi *falia volatilia* potui cuicumque mifceantur majori dofi, promptius hic obtinetur fcopus. Utilis hic eft etiam *Cochenilia*, *Crocus ejufque Tinctura*, *Tinctura Bezoardica*, *Liquor C. C. fuccinatus* &c. Idem illud obtinetur, fi locum mutet, fefe ab objectis terrorem incutientibus abducat, fi latrinam adeat ventris aut veficæ onus deponat &c. fi falutaria confulentes audiat, fi animum regat. Mens ad alia objecta abducenda.

Tertium quod ad paffionum impetum refrænandum requiri dixi eft fpirituum motum fedare. Spirituum motum nimium fedandus.

Cum vero in fuperioribus de hac materia fufius fit actum non eft neceffe huic negotio ulterius immorari. Sufficiet mixturam adjungere huic & præcedenti indicationi fatisfacientem, ex gr.

℞. *Aq. Meliff. cum Vino* ℥iij.
Magnanimitat. ℥ß.
Sal. Volat. oleofi. g. xv.

Laud. opiat. gr. iij.
Syr. fl. Tunicæ. ℥ß.
M.

Hujus mixturæ ſumat ſubinde duo vel tria cochlearia æger, donec ſomnus obrepat, à quo non eſt excitandus, quandoquidem nihil magis mentem ab objecto triſti avocat, nec ſpirituum motum nimium compeſcit, quam ſomnus moderatus. Laudatur in melancholiâ etiam muſica; efficaciam ejus in curando hoc affectu obſervatione confirmatam, vide apud *Schenkium* l. 1. p. m. 136. Vide etiam Hoeferi H. M. l. 1. c. 7.

De humorum purgatione.

Dixi humores lentos expurgandos & emendandos eſſe, purgationem præparationi præmittens, ſecus quam à practicis vulgo fieri ſolet. An ſontica fuerit ratio, quare ita ſtatuerim, è ſequentibus fiet manifeſtum. Supponamus igitur medicum ad ægrotum melancholiâ laborantem vocari, neceſſum eſt illud fieri vel in principio, vel poſtquam æger jam aliquamdiu valetudinarius fuit, affulgente tamen ſpe aliqua reſtitutionis; ſi enim conclamatum ſit, ſi vires omnino attritæ, tum perſpicuum eſt medicum ſymptomatum urgentium debere habere rationem, nec poſſe rectâ ad ſalutem ægroti graſſari via. Quocumque autem tempore illum advocari ſtatuas, utrobique neceſſum eſt ſtatim humorum illorum tenacium ſaburram exhauriri. Si enim in principio advocetur, quidni ſtatim primas vias, corporis noſtri ſentinam exhauriet medicus, antequam humores viſcidi hic hærentes, medicamentorum ope fluidi redditi, ad ſanguinem deferantur? Quidni ſtatim illud tentabit in melancholia, ubi purgantium tantus eſt uſus, tanta neceſſitas, ut proverbium, aliquem *indigere Helleboro*, hiſce ortum ſuum debeat? Antiquorum fuit decretum minimè contemnendum, citò, tutò, jucundè curandum eſſe ægrum. Feſtinatio cæteris præmittitur. Feſtinatio ſemper habet locum, ſi modo ægri ſalus tuto repoſita ſit loco, niſi æger in magnas conjiciatur anguſtias. Cur in morbo hoc chronico fruſtra nectemus moras? Quid ni ſtatim liberabimus ægrotum ab hac ſaburrâ, cum id poſſit fieri & tutò & jucundè? Numquam tutius in uſum vocantur medicamenta purgantia, quam ubi vires conſtant. Conſtare autem hic vires è ſuppoſitione eſt manifeſtum; ſup-

ſupponimus enim in priori hoc caſu medicum ſtatim in principio fuiſſe advocatum. Nunquam tutius in uſum vocamus medicamenta purgantia, quam ubi talis morbi & humorum eſt natura, ut ii medicamenta requirant quammaximè efficacia. Dubitabimuſne an medicamenta requirantur efficacia, cum antiquos *Helleboro* in hoc affectu eſſe uſos conſtet? Numquid efficax eſt medicamentum *Helleborus* nec ne? Tutò ergo in uſum vocantur medicamenta purgantia, præcipuè cum idem illud ſuadeat jucunditas. Non infimum locum inter ſymptomata habet, quod melancholici ſint abjecto animo, & anxii. Quis autem in praxi tam leviter eſt verſatus, qui neſciat anxietates circa præcordia minui poſt aſſumptum purgans? Quid, quod ſomnus non ſemel obrepat placidus, ubi hoc faſce levatus eſt venter infimus? Itaque ſi in principio ad melancholicum vocetur medicus, ſtatim ante præparantium uſum præſcribet vel exhibebit purgantia, niſi fruſtra nectere moras, niſi antiquum monitum citò, tutò, jucundè curandum eſſe ægrum floccifacere velit. Non alia etiam inſiſtet viâ, ſi ægrotus aliquandiu hoc ſymptomate fuerit vexatus. Cum enim è ſuperioribus ſit manifeſtum, & ſalivam, & humores per glandulas ſecretos ſenſim fieri magis lentos, cur purgationem differet? Si cruditas acida vexat, illa autem ab humoribus in ventriculo diutius hærentibus oriatur, quidni fibræ ejuſdem ut & inteſtinorum excitabuntur ad validiorem contractionem, adeoque evacuationem materiæ peccantis ope medicamenti cathartici? Cum in hoc morbo diuturno & difficili cunctando non reſtituat, ſed potius evertat maximi pretii rem, ſanitatem nempe, medicus, quidni urgebit negotium? Atque hæc ſufficere arbitror, ut veritatis avidi aſſenſum extorqueant, etiam in poſteriori caſu non eſſe differendam purgationem in hoc morbo adeo neceſſariam.

Ne tamen alicui adhuc ſcrupulus hæreat circa doctrinam modo propoſitam, diluere aliquot objectiones, quæ adverſum hanc ſententiam moveri poſſent, non videtur eſſe inutile. Dicat ergo aliquis, humores acidos difficulter expurgari. Reſpondeo: illud non omninò eſſe verum, cum videamus infantes acidum ſpirantium humorum, & planè viridium copiam ſponte *Objectiones diluuntur.*

ejicere. Quid, quod etiam adultiores ſponte acida vomant aliquando, ſine ingenti difficultate, non ſine inſigni commodo? Hæc opinio imprimis invaluit poſtquam à ſucco pancreatico acidiori, auſteriori &c. plurima morborum cohors deducta fuit, & acidorum uſus omnino damnatus. Præjudicio igitur innititur hæc opinio acidos humores adeo difficulter expurgari. Quod ſi tamen hoc demus, verum aliquando eſſe, acidos humores difficilius moveri, cum tamen, ex ſuppoſitione, acidi humores hic abundent, & cauſam conſtituant morbi, omnino neceſſe eſt illos expurgari, quamvis illud non ita commodè fiat, niſi putemus non ſublatâ cauſâ morbum poſſe tolli. Inſtabit fortè quiſpiam, humores ante purgationem, ex antiquorum præcepto, eſſe præparandos. Verum dico: humores corporis noſtri ſponte ſunt fluidi, quandoquidem in continuo ſunt motù è lege circulationis & preſſionis ſanguinis, unde non tantum calor, motus, ſed & ſecretio humorum continua dependent. Quid, quod ſputatio melancholicorum evincat humores non tantum eſſe fluidos, ſed & copioſius, quam par eſt, per glandulas ſecerni? Præjudicium illud de humorum præparatione tum imprimis obtinuit, cum medici ex ignorantia circulationis ſanguinis, nec partium uſum, nec humorum naturam, nec œconomiam humanam ſatis haberent perſpectam. Itaque fruſtra occuparis in hoc morbo, in humoribus ad excretionem diſponendis, cum illi ſint fluidi, cum aliquando ad excretionem ſponte ferantur, cumque ultecior ſecretio purgantium imprimis uſu obtineatur. Fruſtra occuparis in emendandis humoribus glutinoſis, niſi prius copiam ſuperfluam eduxeris. Deinde nulla dantur medicamenta, quæ præciſè hunc vel illum humorem tantum educant, itaque fruſtra laboras in ſolius melancholici humoris præparatione (ſi illud fieri poſſet) cum illa ſola abſque bile & reliquorum humorum miſcella evacuari non poſſit. Præparatio optima in hoc morbo eſt, qua ſanguini ſuum reſtituitur robur, atque id rectiſſimè fit per medicamenta *chalybeata*; verum hæc, juxta receptam ſententiam, in uſum vocari non debent, niſi præmiſſis purgantibus, aut ſaltem laxativis medicamentis. Unde iterum deducitur, purgationem in hoc morbo præparationi deberi præmitti. Quod ſi alius medicus, vel ægri ipſi ſponte

te purgantia in uſum vocaverint, tum ad alia, in ſequentibus indicanda, poterit fieri tranſitus, non tamen à methodo in ſuperioribus propoſita diſceditur. Dixi purgationes debere præmitti, cum autem hoc ex ſuppoſitione ſit factum, nihil impedit quo minus ulterius curationi inſtes. Non quæritur quis eas præſcripſerit, ſufficit iis uſum eſſe melancholicum, ſufficit primas vias eſſe expurgatas, eædem poſtmodum repeti poſſunt. Ejuſdem mecum opinionis videtur fuiſſe *Foreſtus*; hic refert *l.* x. *obſ.* 16. ſeſe ad *Johannem Buſcoducenſem Carthuſianum* monachum (cujus ſuperius feci mentionem) vocatum, ſtatim ipſi exhibuiſſe leniens: altero die è venâ mediâ brachii dextri detraxiſſe ſanguinem: poſtmodum ad præparationem & concoctionem materiæ Apozemata præſcripſiſſe.

Videamus jam quibus medicamentis id fieri debeat in hoc morbo. In hunc finem veteribus in uſu fuit *Veratrum* ſeu *Helleborus* niger, medicamentum potens. Cum enim in ſuperioribus explicatum ſit humores in hoc morbo ſenſim fieri glutinoſos, neceſſum eſt talia in uſum vocari quæ tenacia incidere, eademque educere valeant. *Helleborus* ideo convenit, quod non tantum hiſce gaudeat facultatibus, ſed & aliquando nauſeam & vomitum moveat. Vomitus hoc nomine plurimum juvat, quod non tantum ventriculum exhauriat, ſed & ſalivam viſcidam, ut & lympham acidam è glandulis manantem copioſe educat. Vidit hoc *Hartmannus*, cujus hæc ſunt verba: *In ejuſmodi caſibus exhibeatur, cæteris paribus*, Aqua benedicta. *Rulandus* refert ſe exhibuiſſe *Aquæ terræ ſanctæ* ℥vj. frigide pro aqua fontana, ægrotam optime purgatam eſſe tam ore quam alvo, & ſtatim placidæ ac ſanæ mentis compotem factam. *Matthiolus* in *Dioſcoridem l.* v. *c.* 59. utilitatem *ſtibii* variis obſervationibus confirmat, inter eas eſt hæc memorabilis. Melancholico exhibitum fuit ſtibium granorum duodecim, quod paulo poſt atram bilem (ut ille loquitur) eduxit, cui erant admixta ramenta veluti carnis. Hoc medicamentum tantam opem tulit, ut poſterâ die videretur belle priſtinam mentis ſuæ ſanitatem recuperaviſſe. Fuit *Matthiolus* hujus curationis oculatus teſtis, tanquam ad miraculum vocatus. Melancholiam antiquam *radice Bryoniæ* curatam è *Rhaſe* refert *Zacutus Luſitanus*. M. P. H.

Medicamenta purgantia.

l. 1.

l. 1. *hist.* 38. Sive ergo ſumatur *Helleborus*, ſive medicamenta alia ſatis potentia, ea omnia in Melancholia proſunt. Talia ſunt *Colocynthiis*, *Gialappa*, *Gummi Gotte*, *pulvis Diaſennæ laxativus*, *Specificum purgans Paracelſi*, *Electuarium Hydragogum Sylvii*, *Extractum Melampodii* Pharm. Bat. *Pilulæ Melanogogæ* ejuſdem & Pavii. Vomitum movent *Crocus Metallorum*, *Aqua benedicta Rulandi*, *Tartarus Emeticus*, *Regulus Antimonii* aut *vinum* in poculo regulino infuſum. &c. *Henricus ab Heers* laudat pulverem à *Michaele Paſcalio* & *Pereda* deſcriptum *obſerv.* 27. Eſtque talis,

℞. *Summ. Epithymi.* ℥ß.
Lapid. Lazuli ppt.
Agaric. trocchiſcat. aa ʒij.
Scammonii. ʒij.

Forſan erravit Typographus & ſcribendum
Scammon. ʒj.
Garyophyll. no. xx.
F. Doſes quinque.

Quod ſi cui formula extemporalis placeat, ea ſit ſequens:

℞. *Rad. Gialapp.* ℈j.
Rhei elect. ℈ß.
Sal. Tartar. gr. v.
Trochiſc. Alhand. gr. ij.
F. Pulvis.

Vel hauſtus hic, nec ingratus nec inefficax.

℞. *Elect. Hydragog. Sylv.* ʒiij.
Sal. Tartar. gr. vj.
Aq. Meliſſ. q. ſ.
M. F. Hauſtus.

Si æger pilulas præferat.

℞. *Maſſ. Pilul. Ruffi.*
Mercur. dulc. aa ℈ß.
Trorhiſc. Alhand. gr. iv.
Cum Tinctur. Croci.
F. Pilulæ no. iv.

Williſius hoc modo præſcripſit.

℞. *Pil. Tartar. Quercetan.* vel

de Suc-

Succin. Craton. ʒß.
Resin. Scammon. vel *Jalapp. gr.* vj. vel viij.
Tartar. Vitriolat. ℈ß.
Ammoniac. solut. in aq. Mirabal. q. s.
F. Pil. sumat. IV horâ somni; & nisi operabuntur prius I manè seq.

Theod. majerne commendat *Syr. Helleboratum.*

Timæus extractum Hellebori nigri legitime præparatum, hanc subjungens formulam.

℞. *Extract. Hellebor. nigri.* ℈j.
Resin. Gialapp. gr. iv.
M. F. Pilulæ n. IX. deaurentur.

Ad vomitum concitandum præscribi potest,

℞. *Aq. Benedict. Ruland.* ʒx.
Oxymell. Scyllit. ʒij.
F. Haustus.

Theodorus Majerne narrat D. *Cademan* sibi retulisse, si *Hellebori albi radix* ad ʒij infundatur in ℥vi. v. gr. vini *muscatellini* atque hujus infusi detur cochleare unum, blande movere vomitum pituitæ viscidissimæ, & subducere alvum. Extat quoque descriptio *Electuarii Emetici* Heurnii, ex *Helleboro* albo præparati, cujus vires in vertigine, insaniâ, convulsione &c. prædicantur. Vid. *Atrium Medicinæ Helvetiorum p.* 143. *Dolæus* existimat in antimonio latere vim contra Melancholiam, & nil tam Melancholiam purgare quam *antimonium.* Convenit hoc pulchrè cum iis, quæ superius è *Matthiolo.* adduxi.

Willisii formulæ sunt sequentes.

℞. *Oxymell. Scyllit.* ℥jß.
Vini Scillit. ℥j.
Syr. de peto. ʒij.
M. F. Vomitorium: si minime, vel segnius operabitur, liquore possetico cum foliis *Card. bened.* copiose ebibito vomitio irritetur.

℞. *Decoct. Median. Sambuc.* ℥iiij.
Sal. Vitriol. ℈j. vel ℈ij.
Oxymell. simpl. ʒiij.
M. sumat eodem modo.

Interim in hoc morbo curando imprimis requiritur Medici prudentia, & diligens obſervatio juvantium & nocentium. Non enim omnes ferunt medicamenta efficacia, in quo caſu blandiora eligenda ſunt, & per epicraſin evacuantia, talis eſt *Ejuſdem formula*.

℞. *Rad. Polypod. qu.* ℥ß.
Epithymi. ʒiij. *Senn.* ℥ß.
Tamarind. ʒvj. *Sem. Coriandr.* ʒiij.
Santal. citrin. ʒij.
Coq. in *aq. fontan.* ℥xiv. ad ℥x. Add.
Agaric. ʒij. *Rhabarb.* ʒjß.
Colat. clarificat. add.
Syr. de pomis purgant. ℥ij. capiat.
℥vj. *repetendo intra 3. vel 4. dies.*

Dolæi ſententia eſt, magno cum effectu interponi *Clyſmata* varia è carminativis, aciditatem temperantibus, parata, quæ ſimul alvum lubricant, & mucum illam fluxilem reddunt.

Præparantia. Veteres in Melancholiâ moderatè calida & humida præſcribebant, & præparationem purgationi præmittebant. Hoc quamvis nec neceſſarium, nec utile ſit, uti in ſuperioribus demonſtravimus, tamen ſi ſanguinis craſis ſit emendanda, & ægrotis inter purgationes quies quædam ſit concedenda, non malè ea exhibentur, quæ in hoc morbo dicuntur ſpecifica, qualia quædam enumeravit in praxi *Theodorus de Majerne*. Nempe cum ſanguis hoc in caſu ſit tenacior, & ad circulationem facilem minus aptus, medicamenta valida, medicamenta incidentia & attenuantia calidiora eum nimis exagitant, nimis expandunt, adeoqui moleſtiam creant. Hæc vera eſt ratio quare medicamenta temperata, in hoc caſu, votis medici & ægroti magis ſatisfaciant. Neque enim puto aliquem, rationis & experientiæ trutina examinantem ea, quæ ab antiquis memoriæ prodita ſunt, adeo illorum placita exoſculaturum, ut putet humorem melancholicum eſſe humorem frigidum & ſiccum. Nempe cum quaternarium elementorum numerum in Phyſicam introduxiſſent Philoſophi, medici quatuor humores caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate harumque qualitatum combinationibus ſibi mutuo contrarios amplexi ſunt, ne ſc. microcoſmo

cosmo deesset aliquid, quod ad constitutionem macrocosmi necessarium visum erat Philosophis. Quomodo illud quod frigidum est & siccum erit humor? Cum partes maxime solidæ ex. gr. ossa humiditate sua non destituantur, quomodo partes fluidæ, tales sunt corporis nostri humores, poterunt haberi siccæ? Vapores & halitus è terra versus nubes elevati, fluiditatem suam amittunt, quando à frigore concrescentes, pruinæ, nivis, grandinis forma versus terram decidunt. Sicca, quantumvis minutissimè divisa, non fluunt, hoc est, non evadunt fluida. Quamvis enim triticum in tenuem farinam redactum effundi possit, & hoc pacto aliquam mentiri fluiditatem, non gaudet tamen motu intestino instar aquæ, vini aut olei, sed particulæ ejus juxta se invicem quiescunt. Adeo ut contradictio sit in adjecto, humorem aliquem frigidum esse & siccum. Ita apparet veteres, non minus quam recentiores, præjudiciis excæcatos, non semel malè calculum posuisse. Ratio autem vera ea est, quam statim proposui: ideo non ferunt melancholici medicamenta calidiora & particulis activis admodum imbuta, quia humores tenaces ab iis nimium exagitantur. Huic rationi & alia subjungi potest: acida sæpe contrariis non tam commodè quam subcontrariis & diluentibus expugnari: non ferunt semper salia lixiva, aut aromatica. Ita ego memini me ægrotum tractâsse cruditate acidâ laborantem, qui ne quidem *oculos cancri* in pulverem redactos ferebat, quia sc. in ventriculo, aciditate insigni impraegnato, molesta excitabatur lucta. Hæc eadem est ratio, quare purgantia sæpè non tantum prosint quam quidem vomitoria. Itaque attentum oportet esse medicum ad ea quæ in praxi occurrunt, & quæ è praxi petita diligenter à scriptoribus annotata sunt.

Dixi in indicationibus generalibus, lentos humores esse expurgandos & emendandos. Vidimus quomodo evacuatio in hoc morbo fieri possit, vidimus etiam quæ cautiones sint observandæ: pergendum jam ad emendationem humorum viscidorum seu melancholicorum. Fit illud duplici via, vel medicamentis incidentibus & attenuantibus, vel chalybeatis tanquam visceribus & sanguini suum restituentibus robur. Prioris generis medicamenta sunt vel minus potentia vel magis efficacia.

Quomodo humores lenti præparentur.

ficacia. Minus potentia conveniunt, quando ea eſt ægri conſtitutio, vel complicatio ſymptomatum, ut utile ſit ſanguinis particulas nimis cohærentes & tenaces diſſolvere, vel etiam diluere aciditatem humorum verſus primam regionem confluentium. Talia *ſunt* Radices; *Bugloſſæ*, *Polypodii*, 5 *aperientes*, *Liqueritiæ*; Folia: *Fumariæ*, *Borragin. Bugloſſ. Meliſſ. Thymi*, *Becabungæ. &c.* è quibus varii generis præparationes concinnari poſſunt. Ex. gr.

℞. *Rad. Polypod. qu.* ℥j.
Fol. Fumar. m. iij.
Bugloſſ.
Scolopendr. aa m. j.
Thymi.
Chamædr. aa m. ß.
Coq. ſ. a. ex *aq. pura* colat. ℥xx. Add.
Syr. Pomor. redolentium. ℥j.
Sal. Tartar. ℈j.
M.

Non admodum diſſimilis eſt *Williſii* præſcriptio.

℞. *Rad. Chæreſolii. Polypod. quer. aa* ℥jß.
Fol. Linguæ cerv. Aſplenii.
Ceterach. Chamædr. aa m. j.
Tamariſc. m. ß. *Cort. ejuſdem.* ℥ß.
Paſſular. exacin. ℥ij. *Pomum* I. *inciſum.*

Inciſa & contuſa Coq. in aq. fontis ℔. IV. ad tertiæ partis conſumptionem circa finem adde.

Fol. naſturtii aq. m. j.

F. Colatura clarificanda. Sumantur ℥vj. bis vel ter in die edulcoretur cum *ſyrupo de fumariâ.*

Huc refer *acidulas ferratas*, vel etiam *aquias minerales Tunbrigenſes*, quæ plurimis dicuntur profuiſſe. Nempe copioſa liquoris talis aſſumptio ſanguinem reddit fluidiorem, exercitium ſubſequens propellit & expandit ſanguinem, humores tenaces attenuat, viſcera roborat, adeoque ſubtilium & mobiliorum ſpirituum generationi inſervit. Rectiſſime *Joh. Georg. Steigerthal* in Programmate *de Aquarum mineralium præſtantia*: *Non ignoro tamen in quamplurimis caſibus animalia & vegetabilia ſuas utilitates*

tes ipsis mineralibus aquis nonnunquam præferendas possidere, verum in chronicis morbis majora semper fontibus medicatis deberi præconia hic potissimum ostendi, uti hoc etiam cuivis patebit, quisquis pertinacissimos quosvis morbos tot medicorum operas eludentes, & tot medicamentorum conatus frustraneos lassantes, ab hisce tandem aquis edomitos consideraverit. Laudatur quoque *serum lactis* si ventriculus id ferat, quod potentius reddi potest, si herbæ convenientes ipsi incoquantur, præcipuè antiscorbuticæ, admodum in hisce regionibus utiles, quandoquidem vix est affectus chronicus, cui scorbutus non jungatur.

℞. *Rad. Helenii.* ℥j.
Fol. Taraxac. cum toto
Cochlear.
Nasturti, aquat. aa m. ij.
Coq. s. a. *e sero lactis* ad ℔j.
Colaturæ calidæ dentur ℥vj. mane & vesperi.

Non inutile quoque est remedium, quod *Wierus* in Scorbuto præscripsit, ad melancholicos humores corrigendos, h. e. ad blandè incidendam pituitam, & temperandos humores acres: est autem ejusmodi.

℞. *Comæ Absinth. sicc.*
Granor. junip. contus. aa. m. j.
Lactis caprini ℔ iv.
Coquantur ad tertiæ partis consumptionem, exprimendo colentur, deinde admisse Croci in pulverem redacti ʒj. *denuo ebulliant fervore uno aut altero, secundo colentur.*
Decocti hujus datur ter in die haustus.

Non est flocci faciendum ejusdem præceptum, præstare decoctiones tales quotidiè recentes apparari, quod tamen in superiori neglectum est.

Commendat *Willisius* succos herbarum, qui si exprimantur ex herbis antiscorbuticis, non immerito inter remedia magis efficacia locum habere possunt. Lubet hic modo laudati *Wieri* formulam subjungere.

℞. *Cochlear.*
Sisymbr.
Cardaminis.

Nasturtii hiemal. dict. aa p. æ.
Becabung. partem mediam.

Hæ virides in mortario lapideo cum pistillo ligneo contunduntur, exprimunturque; exhibentur ℥iv hora matutina, & quarta pomeridiana. Exhibet autem hos succos auctor post præmissam purgationem, quod observatu est utile; facit enim hoc ad confirmationem sententiæ à me in superioribus propositæ.

Spiritibus excitantia.

Medicamenta magis efficacia & spiritus excitantia præscribi possunt, ægrotis robustioribus; & qui à talibus minimè læduntur. Talia commendat Hartmannus: *Elixir. proprietatis* Paracelsi, *Essentia Croci*, *Liquor Lunæ*, *Extractum alkermes* cum extracto *Gummi Ladani* adjecta particula *Ambræ*, & *Moschi*. Sed notandum Melancholicos, scorbuticos, Hypochondriacos non semper ferre suaveolentia, adeo ut hæc non temere sint in usum vocanda. His addi possunt *spiritus Cochleariæ*, *spiritus Sal. Armon. spiritus & Sal. Volat. C. C. Majerne* laudat *Tincturam*, *Hyperici*, *ALII Tincturam Lapidis Lazuli.* &c. *Vid. Bierling. Thesaurum Theoretico-practicum fol. 39. Dolæus* hanc habet formulam.

℞. *Sp. Sal. Armon. succinat.* ʒß.
Carminativ. ʒij.
Tinctur. Castor.
Cinnamom. aa ℈j.
Martis. ʒß.
Aq. Fumar. Centaur. min. aa ℥ij.
Syr. Cinnamom. ℥ß.
M.

Purgationes repetendæ.

Non sufficit autem in principio exhibuisse purgantia, sed ea sæpius repeti possunt & debent. *Hippocratis* est effatum: furori dysenteriam salutiferam, unde efficitur, si dejectiones adeo crebræ, ut abrasionem intestinorum & inflammationem eorundem habeant comitem, prosint, non negligendas, sed repetendas esse purgationes in Melancholicis affectibus. *Galenus in Aphor.* 47. *l.* vj. *Hippocratis refert* historiam melancholici, quem vere & autumno repetitis purgationibus à melancholiâ ingruente præservavit. In hunc finem conducunt *Pi-*

Pilulæ de Ammoniaco magistrales, ut & *Pilulæ melanogogæ pharm. Bateanæ.* Possunt quoque pro re nata vel Apozemata, vel vina medicata, vel pilulæ pro aliquot dosibus præscribi. ex. gr.

℞. *Rad. Helen.*
Gentian. aa ℥ß.
Fol. Meliss.
Thymi.
Card. bened. aa. m. ß.
Summ. Centaur. min. p. j.
Fol. senn. mund. ʒvj.
Rhei elect. ʒij.
Agaric. opt. ʒj
Cort. Citri exter. ʒjß.
Sem. Apii ʒß.

Grosso modo concisis & contusis affunde Vini alb. Gallic. ℥LX. stent in infusione per dies quatuor. Dosis ℥iij. vel ℥iv. tertio, quarto, vel quinto die. Vini medicati chalybeati formula apud *Theodorum Majerne c.* 7. videri potest. Libet hic adjicere *Electuarii Panchymagogi* nostri descriptionem.

Electuarium Panchymagogum.

℞. *Pulp. Prunor. acido dulc.* ℥viij.
Tamarind.
Rad. Gialapp. aa ℥ij.
Diagrid. ℥j.
Fol. senn. m. ℥ß.
Cinnamom. acut. ʒij.
Sacchar. clarificat. ℥xviij.
F. f. a. Electuarium.

Hujus Electuarii grati & efficacis potest vel quantitas nucis muscatæ mane deglutiri ad alvum blandè laxandam: vel idem Haustus forma præscribatur hoc modo.

℞. *Elect. Panchymagog.* ʒijß.
Sal. Tartar. gr. iv.
Aq. Fænic. q. s.
M. F. Haustus.

Electuarii Dosis est a ʒij. ad ℥ß.

Quod

Quod si purgantia difficilius ferant, clysteres in hoc casu quoque conveniunt.

℞. *Fol. Thymi. m.* ij.
Flor. Chamomill. p. j.
Sem. Apii. ʒij.
Coq. s. a. ex *aq. pura* in colat. ℥x.
dissolv. *Confect. Hamech.*
Mellis mercur. aa ℥j.
M. F. Enema.

Medicamenta chalybeata.

Restat ut de medicamentis chalybeatis, tanquam visceribus, & sanguini suum restituentibus robur agamus. Non quod hæc demum aliis omnibus præmissis in usum debeant vocari, aut quod nulla alia medicamenta viscera roborent: aut quod nullis aliis polleant facultatibus hæc medicamenta, sed quod tractationis ordo nos non ante deduxerit ad horum medicamentorum considerationem. Plures sunt indicationes, plures curationis scopi, de singulis in specie est agendum, & medicamenta in certas classes distinguenda pro præcipuâ, quâ pollent, facultate. Medici autem prudentis est considerare, quæ medicamenta in hoc vel illo casu reliquis sint præferenda. Roborant quoquè viscera *Elix. prop.* & alia superius proposita. Possunt ergo medicamenta chalybeata hisce commode jungi, ita vis unita evadet fortior. Operæ pretium autem erat de hisce in specie agere, ob eximias facultates. Roborant enim viscera & sanguinem, aciditatem temperant, pituitam incidunt, alvum laxant, aliquando vomitum concitant, &, juncta medicamentis carminantibus, flatus discutiunt. Quid? quod eadem hæc medicamenta causam melancholiæ, mensium suppressionem tollant? Possunt forma varia exhiberi, & aliis atque aliis medicamentis jungi, alterantibus atque laxantibus, pro vario ægrorum temperamento & appetitu. Ubi tamen ventriculus simul cruditate laborat acida, & vires non sunt admodum attritæ præstat *Chalybem* exhibere forma pulveris, ea jungendo quæ ventriculo sunt accommodata. ex. gr.

℞. *Limatur. Chalyb. puriss.* ℥j.
Sem. Levistic.
Rad. Angelic.

Ma-

Macis
Cort. Winteran. aa. ʒj.
M. F. Pulvis. Dosis a ʒß. ad ʒj.

Manè cum vino, aut alio liquore, corpus postmodum exercendo, ad levem sudoris eruptionem.

Ubi hoc pacto sumitur *chalybs*, potest iniri calculus, quantum ægrotus præcisè assumat. Si quis amet medicamenta gratiora, gratior & simplicior est pulvis sequens,

℞. *Limatur. Chalyb.* juxta *Poterii* methodum *aquâ* irroratæ diebus canicularibus. ℥ß.
Cinnamom. acut. ʒjß.
Macis. ʒj.
M. F. Pulvis.

Varias *Chalybis* præparationes vide apud *Eundem Pharmac. spagyr. l.* 11. *c.* 17.

Willisii formulæ sunt sequentes,

℞. *Limatur, ferri* ℥j. ponatur in vitro cum *succi Aurant.* ℥ij. stet per diem subinde agitando, deinde affunde *aq. pomorum & vini albi aa* ℔j. vel *pomacei* tenuioris & mitis ℔ij. sumant ℥iij. bis in die, per se, vel cum alio medicamento solido.

℞. *Vitrioli Martis.*
Cremor. Tartar.
Oc. Cancri aa ʒj.
M. F. Pulvis. dividatur in IX partes. sumatur pars omni manè, in haustu aquæ destillatæ vel decocti, vel jusculi appropriati.

℞. *Extract. Chalybis*, vel *Chalybis cum decocto appropriato parati.* ℥iij. *pulv. Eboris*, *Santal. citrin. Lign. Aloës aa* ʒß. *Sal. Tartar.* ℈ij. *Ammoniac. soluti in aq. Lumbricor. q. s.* F. Massa, formetur in pilulas exiguas, sumantur iij. vel iv. omni vespera super bibendo *aq. pomorum aut fl. Paralysis.* ℥iij.

Grulingius Med. Pract. l. 1. *c.* 4. tanquam specificum commendat pulverem *Fumariæ* sæpius exhibitum. Pilulas ejusdem

dem *non satis laudandas*, uti ait, Vid. *Cent.* III. *ob.* 71. Sennertus *Lapidem Bezoar* admodum utilem esse scribit. *Sinkelii* & J. *Heurnii* secretum esse dicitur *Essentia Margaritarum* ℈j. pondere.

Plethoræ imminutio per V. S.

Accedendum jam est ad causarum antecedentium considerationem. Si plethora ansam dederit Melancholiæ, ea imminuenda est V. S. uti in superioribus quoque monui. Sanguinis educendi quantitas determinatur, respectu habito ad repletionem majorem, vel minorem, ægri ætatem, vires &c. Eædem illæ considerationes determinant, num simul & semel, num autem repetitis vicibus evacuandus sit sanguis. Locus ordinarius est brachium, isque eligi solet ob commoditatem & venarum ramificationem insignem. Melancholiæ exemplum memorabile, & V. S. successus eximius exstat apud *Schenkium. l.* 1. *p. m.* 134.

Ea quoque locum habet in suppressione evacuationum solitarum.

Si suppressio evacuationum ordinariarum huic morbo causam præbuerit, hæmorragiæ narium, hæmorrhoidum, mensium V. S. locum habet uti in plethora dictum est. Locus eligitur idem, nisi quod in suppressione mensium sanguis in pede secari soleat, à quo more temere discedendum non est. Sive enim sanguinem consideres minus mobilem, atque ideo ad pedes descendentem, cum spirituosus recto tramite sursum feratur: sive etiam motum, qui versus partes inferiores concitatior redditur, sive etiam juvamen quod hujusmodi V. S. non semel attulerunt, non malè hic antiquorum prememus vestigia. De sinistro latere eligendo, quia scilicet in sinistro latere lien reconditur, nihil moneo, quandoquidem lien sæpe immeritò culpatur, & quamvis in ipso aliqua esset labes, dextrum latus non minus aptum esset V. S. quam sinistrum, quandoquidem lienis sanguis ad brachium ferri non possit, quin prius cor & pulmones pertranseat, & vice versâ. In pede autem venæ cavæ propagines pertunduntur, cum venæ portæ rami, sanguinem, ab arteriâ coeliacâ advectum, versus hepar deferant. Vicariæ V. S. sunt cucurbitulæ. Alii evacuationis modi, præcipue hirudines, in desuetudinem venerunt. Novi quidem præscribi hirudines podici & venis hæmorrhoidalibus applicandas, tanquam sanguinem melancholicum exsugentes; ve-

verum hæc opinio innititur præjudicio antiquorum, in superioribus confutato, adeoque meritò rejicitur. Cum ſanguis per univerſum corpus brevi temporis ſpatio circuletur, arteriarum rami majores verſus capillares eum deducant & premant, minimæ venulæ eundem ſuſcipiant ad cor deferendum, V. S. non minus quam hirudinnm applicationem, prodeſſe judico, præcipuè ubi repentina expetitur evacuatio. Poſſunt tamen eædem uti ſuperius explicatum eſt, in affectibus cerebri adeoque & melancholiâ, in uſum vocari, ubi vires debiles ſuſpectam reddunt evacuationem repentinam, vel quando à ſuctu aliquod ſperatur juvamen, vel quando Melancholicus eas expoſcit, ſperans inde egregium emolumentum; opinioni enim melancholicorum aliquid concedendum eſt. Quod ſi quis exiſtimet hæmorrhoidum fluxum multis attuliſſe juvamen, atque adeo à juvantibus & nocentibus petendam eſſe optimam indicationem, is cogitet, hoc duplici ratione factum eſſe, vel quia hac viâ ſanguinis univerſalis fit evacuatio è toto corpore, vel quatenus illa non ſimul & ſemel, ſed partitis vicibus & minori quantitate contingit. Copioſior autem & diu perſeverans, per has partes evacuatio, ſymptoma eſt admodum noxium, vires non mediocriter dejiciens. In præſcriptione medicamentorum, menſes moventia, imprimis chalybeata, non ſunt negligenda. Quemadmodum autem antea monui de purgatione, ita idem de V. S. hic repetendum eſt: eam ſtatim in principio eſſe inſtituendam, tum quandoquidem univerſalia præmittenda ſunt, tum etiam quandoquidem repletio nimia ad melancholiam diſponit, effectus autem non niſi ſublatâ cauſâ tollitur. Hoc ideo moneo, quia methodus recta medendi eſt ſummæ utilitatis, cum tamen non ſemper ſatis accuratè obſervetur.

Jam agendum eſſet de variis in diæta erroribus; verum quandoquidem de diæta ex profeſſo dicendum erit, in fine hujus capitis, ideo hic ſubjungam ea, quæ differentias melancholiæ ſpectant. De differentia prima non eſt neceſſe multis agere, quandoquidem ea, quæ hactenus dicta ſunt, præcipuè Melancholiam, idiopathicam dictam, ſpectant, de Hypochondriaca ſuo loco erit agendum. In melancholiæ gradu minori medicamenta blandiora in uſum vocanda, præ cæteris autem cha-

De erroribus in diætâ, & minori melancholiæ gradis.

X 2 ly-

lybeata, à vehementioribus V. S. purgationibus, potius abſtinendum. In abſurdâ imaginatione diligenter inquirendum an vitium aliquod lateat in ea parte, de quâ ægrotus conqueritur, cum pars hæc aut illa malè affecta integram œconomiam noſtram turbare poſſit. Quomodo hoc fiat explicare non potuerunt auctores, ideoque varia commenta, varios finxerunt vapores & ſimilia. Ego autem praxeos explicationem aliâ aggreſſus viâ à figmentis mihi temperandum eſſe decrevi. Nihil aſſumo, niſi quod è ſtructurâ partium, circulatione & preſſione ſanguinis clarè demonſtratur. Ex hiſce fontibus manifeſtum fit, quomodo tumores, & ſolidarum partium vitia, in hominibus melancholicis, graviora poſſint inducere ſymptomata. Nempe nulla pars ſolida malè afficitur, quin ſimul hinc circulatio ſanguinis aliquomodo immutetur. Sive enim citius transmittat ſive tardius, ſive etiam cum difficultate, ſive etiam ſanguis ibi diutius hæreat, neceſſe eſt inde circulationem immutari. Si ſanguinem citius transmittat, ſanguis eo majori impetu fertur; ſi tardius, debilior eſt ſanguinis preſſio: ſi cum difficultate, ſpiritus eo cum impetu fluunt, cor agitant, circulationem intendunt, adeoque œconomiam noſtram turbant: ſi ſanguis alicui diutius hæreat, eo ipſo circulatio immutatur, & ſanguis à debita craſi deſciſcit. Quod ſi autem pars aliqua ſit malè affecta, ex. gr. cerebrum, illa pars maximè hujus immutationis noxam luit, atque ita per conſenſum afficitur. Quæ hic paucis tetigi, fundamentum continent explicationis multorum chronicorum & curatu difficilium affectuum, febrium lentarum, hecticarum, cachexiæ, melancholiæ hypochondriacæ, uti ſuo loco pluribus demonſtrabitur. Ut ad negotium noſtrum revertar, ubi pars quædam malè affecta, vel affectum melancholicum, vel ejuſdem graviora producit ſymptomata, in curatione ægroti potiſſimum eò reſpiciendum eſt, ne malè ſedulâ diligentiâ ægroto creemus moleſtiam. à perverſa imaginatione quoſdam vafrè reſtitutos eſſe refert *Bierlingius in Theſaur. p.* 37. &c.

De Melancholia cum vigiliis.

Differentia Melancholiæ, quod alia habeat vigilias adjunctas, vel etiam ſomnum, in curatione inſignem habet uſum. Sive enim illa differentia in eodem ægro, reſpectu temporis morbi, ob-

observetur, sive etiam in alio, pro circumstantiarum varietate, illa minimè negligenda est. Ubi vigiliæ urgent, si vires illud ferant, præcipuè, si illæ oriantur ab animi affectu, somnus omnino provocandus, uti in capite de vigiliis nimiis fusius explicatum est. Quamvis enim primâ fronte somni provocatio videatur contraria spirituum tarditati & cerebri dispositioni, tamen, si experientiam consulamus, somnus moderatus in hoc affectu plurimum juvat, ut sanguis reddatur spirituosior & subtilior, ut spiritus refocillati alacriores ad munia sua redeant, ut mens à molestis curis, & continuâ objecti tristis consideratione avocetur. *Horstius*, in Epistola *Obs.* 18. *l.* 11. subjecta, refert, sese post purgationes è mineralibus reiteratas, V. S. multas, & ritè correcta narcotica (exhibet *Laudan. opiat.*. gr. v.) diebus canicularibus restituisse fœminam honestam. Refert etiam sese exterius fronti & temporibus applicâsse compositum sperniolæ, cum aqua rosarum dissolutum, dum interim *Laudanum opiatum* cum magisteriis ad gr. iv. vel v. præscriberet interius. Hoc velim diligenter considerare medicos adhuc acriter usui *Laudani*, laudatissimi medicamenti, adversantes, cum tamen prudens ejus usus ægrotos non semel è summo eripuerit discrimine. Pluribus indicationibus satisfâcit mixtura sequens,

℞. *Aq. Meliss.* ℥ij. *Puleg.* ℥j.
Tinctur. Croci, *Castor. aa* ʒj.
Sal. Volat. C. C. gr. v.
Laud. op. gr. iij.
M.

Sumet per intervalla, præcipuè cubitum iturus, æger cochleare unum aut alterum.

Matthias Tillingius in *Anchora salutis* refert se virum ornatissimum, phreneticis, melancholicis & epilepticis affectibus correptum, variis remediis frustra adhibitis hac *Emulsione* ad somnum & mentis compositionem tranquillam duxisse.

℞. *Amygdal. dulc. depilat.* ℥ß.
Sem. 4. *frig. maj. & min. aa* ℈j.
Papav. alb. Violar. purpur. aa ʒij.
Aq. Lactuc. Violar. Endiv.

Rosar. Solan. aa. ℥iij.

F. ſ. a. Emulſio, cui admiſce

Confert. Alkerm. de Hyacinth. aa ʒß.
Magiſter: Corall. Perlar. or. aa ℈j.
Laud. opiat. cum Succo Citri ppt. *gr.* x.
Syr. Papav. rh. Violar. aa ℥j.
Aq. Cinnamom. ʒij.

M. in mortario & f. ſ. a. Emulſio.

Commendat etiam *Williſius* hypnotica blandiora & *Emulſiones è Seminibus papav. alb.* cum Syrupo de Meconio. Deſcribit idem *Tillingius* quoque pulverem opiatum, qui quum recipiat plura ingredientia, apud auctorem videri poteſt. p. 304. *Hoeferus* in *Hercule Medico*, è *Cratone* commendat ſingulis diebus, vel alternis, capiti adhibere *jecur vitulinum* calidum, ut per ejus temperatum & blandum calorem cerebri intemperiem ad antiquam craſin reducat. Idem præſtant *columbæ*, & *gallinæ* vivæ diſcerptæ & impoſitæ: nec non *ſanguis gallinarum aceto* dilutus. Occipiti applicat idem *grana juniperi* contuſa. *Vid. L.* I. *c.* 7. Inter externa commendatur quoque Balneum aquæ dulcis. Vide *Jul. Cæſ. Claudini* Empyricam rationalem. *l.* III. *c.* 5.

Cum ſomnolentiâ. Si Melancholia adjunctam habeat ſomnolentiam, ſomnus, quantum pote, excutiendus eſt; adeo ut in hoc morbo etiam illud *Hippocratis* ſit veriſſimum: ὕπνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα, τȣ̃ μετρίȣ μᾶλλον γενόμενα, κακόν. *Aph.* 3. *ſect.* II. Conveniunt in hoc caſu medicamenta Spiritus excitantia. *Sp. Sal. Armon. Sal. Volat. C. C.* Fuliginis Liquor. C. C. ſuccinatus, &c. Vitanda ſunt hypnotica, multo magis autem narcotica.

Diæta. Quandoquidem in præcedentibus dictum eſt, varios in diæta errores occaſionem præbere Melancholiæ, poſt curam Pharmaceuticam etiam de diæta eſt agendum.

Aër. Vitetur aër craſſus, ſubterraneus, fœtidus, humidus: eligatur purus, lucidus, moderatè calidus. Quemadmodum autem in multis morbis chronicis, ita etiam hic, aëris mutatio locum habet: imprimis ſi ad *acidularum* uſum accedere ægro ſit animus. Felicius aquæ ferratæ & minerales operationes ſuas abſolvunt, ſi æger fontes ipſos adeat, convenienti utatur regimine, exercitio gaudeat quotidiano, quam ſi eaſdem domi

mi suæ segnis hauriat. Mutatio hæc aëris etiam locum habet quando æger est segnis & in somnum proclivis, quandoquidem objectorum diversitas, & colloquia spiritus excitant. Institui autem potissimum debet iter versus loca amœna, puro, calido & moderatè sicco aëre læta. Imprimis ubi incolarum genius ad lætitiam est proclivis: lætitia quippe indigenarum salubris regionis argumentum.

Vitentur cibi crassi, viscosi, saliti, vento vel fumo indurati: vitentur pisces viliores, squammis carentes; carnes anserinæ, suillæ. Cibus & potus sint boni succi. Conveniunt carnes gallinarum, agnina, vitulina, atque ex his parata juscula, quibus herbæ appropriatæ addi possunt. Commendatur serum lactis, præcipue si in eo laxantia infundantur. Nocet cerevisia crassa, fæculenta, acida, non satis fermentata; prodest cerevisia tenuis, lupulata, probè cocta: ut & vinum tenue ac spirituosum. Quemadmodum enim in puro & subtili aëre viventes spiritus habent mobiles, & ad hilaritatem sunt disposita, ita etiam sanguinis & spirituum animalium dispositio & motus sequuntur non parum naturam alimenti quo vescimur. Cum enim alacritas spirituum, à sanguinis pressione & crasi, sanguinis subtilitas à chylo laudabili, laudabilis chylus ab alimentis boni succi pendeant, sequitur naturam spirituum animalium sequi esculenta & potulenta quibus vescimur. Quæ *Philippus Hochstetterus Decad.* v. *cas.* I. in scholiis habet hic quadrant. *Ventriculus depravatè concoquit chylum, cujus substantiam longè crassiorem, viscosiorem, ac tenaciorem reddit, quam ut bonum ex eo sanguinem Hæmatoseos virtus progignere possit.* quem vide *l. c.* De vini usu in melancholia pluribus disputantem vide *Gabelchoverum Cent.* III. *obs.* 80.

Cibus & Potus.

Non sufficit autem eligi cibos convenientes, nisi simul probè masticentur. Masticatio accurata salivam intimius cibis admiscet, cibos egregiè comminuit, adeo ut ventriculo minorem pariant molestiam. Masticatio ad dissolutionem & concoctionem primum & summæ utilitatis gradum struit. Vitetur nimia ciborum varietas, convivia protractiora, quandoquidem hæc ad ingluviem & ebrietatem, & proinde ad melancholiam ducunt. Ad potum referri possent *acidulæ Swalbacen-*

ses,

ses, nisi jam ante de aquis ferratis & acidulis esset actum. *Guernerus* Neuhausen commendat infusiones *Thee* & *Coffee*, ut & confectionem *Chocolatæ*, priores imprimis locum habent in melancholiâ cum somnolentiâ.

Somnus & vigilia.

Etiam de somno & vigiliâ in superioribus est disputatum, adeo ut hic nihil restet addendum, quam utraque debere esse moderata. Quod si ægrotus in alterutram partem nimium inclinet, contrario modo blandè flectendus, & sensim assuefaciendus est.

Motus & quies.

Inertia & vita sedentaria in hoc morbo variis de causis plurimum nocent. Præterquam enim quod illi, quos nullum agendi & vigilandi studium delectat, quibus nulla familiæ prospiciendi necessitas incumbit, sint tetrici, & sæpe numero sibi ipsis oneri: inertia ipsa & exercitii defectus concoctioni ciborum, chyli distributioni, excrementorum separationi, sanguinis attenuationi & pressioni, spirituum animalium secretioni, atque agilitati plurimum obest. Affectentur deambulationes quotidianæ, non negligatur vectio sive in equo, sive in rheda; hæc enim in morbis diuturnis non semel profuerunt. Blandus enim ille & continuatus viscerum & totius corporis succussus, sanguinis & spirituum calorem, expansionem & motum promovent: diversa etiam illa, quæ oculis subjiciuntur, objecta, mentem à curis & moestitia avocant: quietis major incumbit necessitas illis, quos vigiliæ molestæ exercent, præcipuè nocte: defatigatio modica diurna etiam somnum blande allicit.

Excreta & retenta.

Excreta & retenta debito sese habeant modo. Alvus potius sit lubrica, quam adstricta. Intestina nimio excrementorum pondere onusta, aut flatuum copiâ distenta, anxietates circa præcordia, adeoque affectionem hypochondriacam, aut ejus æmulas oppressiones excitant. Mensium fluxus moderatus sit & debito contingat tempore. Sive enim sanguinis copiam corpus gravantem, sive inopiam spiritus imminuentem & functiones labefactantem consideres, utraque non parum nocet. Ad excreta etiam imprimis referri debet seminis excretio; illa enim ad corpus labefactandum & spiritus dissipandos magnarum est virium, si sit immoderata. Moderata tamen in assuetis, in vege-

getis, in rei venereæ deditis culpanda non eſt, modo ſit caſta & licita. Cœlibatus plurimis nocuit. Non quod ſemen venenatam, aut virulentam induat naturam, quæ anilia & ſpurca medicorum ſunt commenta, ſed quod illi qui in amplexum conjugalem feruntur, niſi potiantur votis, vehementiſſimis animi paſſionibus exagitentur, quas ſedare fruſtra annitaris. Si quis huic ſuccumbat paſſioni miſer, illi caſto conjugio melius, quam mellitis verborum globulis, conſulueris. Eſt medullas mollis hæc flamma, ſauciam mentem exagitat cœcus ignis, venæ vulnus alunt. *Bierlingius* in Theſauro Theoretico practico *p.* 37. ait: *Venus nonnunquam excitat melancholiam, nonnunquam etiam illius medicina eſt. Duo juvenes auxilium contra morbum melancholicum impetrarunt, cum puellæ amatæ ſe conjunxiſſent. Aret. lib.* 1. *diuturn.* 1. 5.

Non eſt quod de animi pathematibus multa adjiciam, cum è ſuperioribus pateat, illis ſæpe affectum hunc originem ſuam debere. Gaudium & lætitia univerſo hominum generi, adverſus morbos graves, auxilium præſtant non contemnendum. Spes non tantum agricolas, ſed & demiſſi animi homines, alit. Itaque adverſus triſtitiam, & ſubitos caſus, quantum pote, muniendus eſt animus. Animus ne imperet cavendum. Fugiendi animum irretientes mollium, impudicarum & meretricum laquei. Fugiendi libri obſcœni, ſpectacula, colloquia, ſodalitia & mentem corrumpentia omnis generis amoris lenocinia. Animi pathemata.

Speculator adſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actuſque noſtros perſpicit
A luce prima in veſperam,
Hic teſtis, hic eſt arbiter,
Hic intuetur quicquid eſt,
Humana quod mens concipit:
Hunc nemo fallit judicem.

Et ſi *Philemonem* apud *Juſtinum Martyrem* de Monarchiâ Dei audis: *p.m.* 82.

Ἔϛιν δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ᾽ ὁρᾷ.
Ἐι γὰρ ὁ δίκαιος ϰ͂ ἀσεϐὴς ἕξουσιν ἓν,
Ἅρπαζ᾽ ἀπελθὼν, κλέπτ᾽, ἀποϛέρει, κύκα·
Μηδὲν πλανηθῇς, ἔϛι κἀν ᾅδου κρίσις
Ὅσπερ ποιήσει θεὸς ὁ πάντων δεσπότης,
Οὗ τοὔνομα φοϐερὸν, οὐδ᾽ ἂν ὀνομάσαιμ᾽ ἐγώ.

CAPUT SEXTUM.

De Mania.

Iræ & Maniæ comparatio.

CUm ira furor ſit brevis, furor ira continuata, & animi commoti æſtus diuturnus, dici poteſt. Itaque ad intelligendam Maniæ naturam, huic negotio potiſſimum incumbendum eſt; quod enim Græci, Maniam *Cicero* furorem dixit.

Maniæ deſcriptio.

Mania eſt vehemens & continuata ſpirituum animalium & ſanguinis commotio, vigilias, audaciam, & ferociam, abſque febre, producens.

An ſit morbus an vero ſymptoma?

Diſputatum fuit de Melancholia, dubitari poſſet quoque de Mania an ſit morbus, an ſymptoma? Verum ſi rem ipſam perpendamus, tales diſputationes ſunt admodum frivolæ. Cum enim ſymptoma ſit effectus morbi corpori inconveniens, perſpicuum eſt, non poſſe dari ſymptoma, quin etiam detur morbus. Morbus enim nullus datur, nec cognoſci poteſt, niſi è ſymptomatibus, quæ tanquam effecta, vel ſigna morbi conſiderantur. Ergo totius difficultatis ſumma huc redit, an tractatio & deſcriptio ita ſit proponenda, ut præcipuè morbum, an verò id, quod in ſenſus incurrit, imprimis reſpiciat? De tractationis autem methodo, cum quiſque ſuo ſenſu abundet, non eſt laborandum, modò vera, certa & praxi convenientia proponantur. Mihi rectius videtur, ſi illud commodè fieri poſſit, morbum ipſum tractare, ſymptomata tanquam ſymptomata, non autem morbum tanquam cauſam conſiderare. Hæc eſt ratio quare Maniam definire noluerim *delirium diuturnum, cum audacia & furore abſque febre.*

Explicatur & confirmatur deſcriptio.

Dixi itaque Maniam eſſe vehementem & continuatam ſpirituum & ſanguinis commotionem, ut eſſentiam morbi ſeu ra-

rationem formalem ob oculos ponerem. Quæ enim de ſpiritibus fervidis & igneis, aut iiſdem *aquæ ſtygiæ* non abſimilibus, dicuntur, falſa ſunt & fictitia. Ignis ſeſe lumine & æſtu depaſcente, in cineres & favillas proxima quæque redigente, manifeſtat. Quæ autem indicia hujus immutationis? An aliquis ira furens ſtatim acquirit ſpiritus igneos? Igneæ naturæ ſpirituum repugnant, ſpiritus ipſi, cerebrum, nervi. Quod ſpiritus ipſos ſpectat, hi ſunt quidem ſubtiles, attamen humidi, fluidi, benigni: adeoque à lucida & conflagrante naturâ quam longiſſimè remoti. Cerebrum ipſum viſcus eſt molle & humidum, atque ideo ſpiritibus igneis producendis minimè aptum. Quid? quod ſpiritus hi ignei tubulis cerebri copioſiſſimis contenti, non tantum coquere, ſed & aſſare deberent cerebrum, id quod abſurdiſſimum eſſe nullus non videt. Quæ aſſantur aut vitâ deſtituuntur, aut vitam exuunt. Repugnat illud etiam nervorum naturæ. Præterquam enim quod eadem illa, quæ de cerebro dixi, nervis quoque poſſint applicari, nervi vehementiam ignis ferre non poſſunt, quin dolorem, febrem, convulſiones vel ſimilia producant ſymptomata. Non dantur ergo ſpiritus ignei aut fervidi, adeoque eſſentiam vel cauſam Maniæ non conſtituunt. Ex iiſdem fontibus refutari poſſet *aquæ ſtygiæ* ſimilis ſpirituum natura. Sufficiet monuiſſe dato non conceſſo eam eſſe ſpirituum naturam, affectum non poſſe eſſe diuturnum, nec ſanitatem quoad cætera incolumem. Quis enim concipiat *aquam ſtygiam* cerebro nerviſque contentam, ac horum ope per dies, hebdomadas, menſes, annos plures continuò in viſcera, muſculos &c. depluentem, abſque ulla læſione? Aut læſio inſignis deberet produci ab hac *aqua ſtygia*, vel *aqua ſtygia* à proprietate multum deſcivit.

Cur ſpiritus excogitati ſint *aquæ ſtygiæ* ſimiles?

Cauſæ errorum hæ mihi videntur eſſe, vel quod ſtupendorum ſymptomatum ſtupendas crederent eſſe ſtatuendas cauſas, vel quod ubique ferè putarent in temperie eſſe vitium. Si quis autem attentius rem perſpiciat, is facilè animadvertet, non tantum intemperiè & ſtructurâ; verum etiam motu partes corporis noſtri, in quibus ſunt & humores & ſpiritus, ſæpenumero peccare. Quinimo intemperies non eſt cauſa motus perverſi, ſed motus perverſus, aut modum excedens, cauſa intemperiei.

 Poſt-

De vehementiori spirituum animalium motu.

Poſtquam ergo cauſas falſas refutavimus, atque cauſas erroris deteximus, non inutile erit, ſi ea quæ in deſcriptione à nobis expoſita ſunt luculentius adſtruamus. Spiritus animales vehementius eſſe commotos patet, ex inquietudine & vigiliis, quæ & tanquam cauſæ & tanquam ſymptomata maniæ conſiderari poſſunt. Tanquam cauſæ, quandoquidem vigiliæ ſolent præcedere, antequam ægroti evadant furioſi. Tanquam ſymptomata, quandoquidem in paroxyſmis gravioribus ſomnus excuti ſolet. Spiritus animales vehementius eſſe commotos patet, è garritu, loquelâ non cohærente, & clamoribus vehementibus ac continuatis. Tantus etiam adeſt ſpirituum motus, ut ad aliorum rationes & ſermones minimè attendant, nec argumentis convenientibus eorum mens commota ſedari poſſit. Surdo narratur fabula. Quid? quod pudore omni ſepoſito, de corporis tegumentis nullo modo ſint ſolliciti; ſed partes, quas natura velare jubet, nullâ adſtantium, ſexus aut ætatis habitâ ratione, aliorum oculis non vereantur exponere.

Ut & ſanguinis.

Adeſt quoque motus ſanguinis nimius, id quod patet ex eo, quod injuriæ aëris illos non admodum afficiant. Patet id quoque è viribus ſtupendis quibus pollent: quia non multum videntur debilitari, quamvis magnâ copiâ eductus fuerit ſanguis. Veſtes & ſtragula dilacerant, frigoris ſunt patientes, ſoli pluribus robore ſunt pares, adeo ut neceſſe ſit eos vinculis aut carcere coerceri.

Duplex hæc commotio ſimul ægrotos exagitat.

Non minus ſanguinem quam ſpiritus eſſe commotos, imo amborum horum liquorum commotionem ſibi mutuo manus tradere, ſe mutuo adjuvare, patet è paſſionibus animi vehementibus ira, audaciâ, ferociâ. In hiſce enim conſiſtere efficaciam pathematum, quod ſpiritus agitati in præcordia influant, cor, pulmonem diaphragma, adeoque ſanguinem & viſcera vehementer commoveant, & vice verſa, quod ſanguis commotus, & validius preſſus, ſpiritus animales, & cerebrum validiſſimè & turbulente afficiat, clariſſimum eſt.

Diuturnum eſt delirium.

Diuturnum eſt delirium, adeo ut quosdam diu, imo ad mortem uſque comitetur: quandoquidem febris abeſt: ægroti cibum ſumunt, eundem ſic ſatis concoquunt, digerunt, egerunt,

runt, nec ſomno ſemper deſtituuntur. Habent enim plerique dilucida, nunc longiora, nunc autem breviora, paroxyſmorum intervalla. A ſomno motus ſpirituum animalium & ſanguinis aliquomodo ſedatur. Malum exacerbatur pro ægroti, vel aëris diſpoſitione variâ. Abſentia autem febris, & induciæ, quibus gaudent hi ægrotantes, clariſſimè demonſtrant, naturam hujus morbi propriè conſiſtere in ſpirituum & ſanguinis nimiâ commotione: quemadmodum maximè ſani aliquando vehementiſſime iraſcuntur & promptiſſimè, ab objectis ſolummodo externis, abſque antecedente ſpirituum animalium corruptione. Ita Juvenes athleticè valentes, in maniam incidunt. Non eſt neceſſarium ſupponere non conceſſa principia, ubi ex iis, quæ negari non poſſunt, totum negotium expediri poteſt.

Hæc omnia confirmantur ex iis quæ in ipſo furore contingunt. Audaces ſunt & admodum robuſti, adeo ut plures uni coercendo vix ſint pares: ſuam vitam nihili pendunt, minores corporis læſiones non ſentiunt, vel ſaltem non animadvertunt, exæſtuant, invadunt, perfringunt omnia. Omnis nocendi occaſio, omnia nocendi inſtrumenta ipſis adimi debent. Tam agiles ſunt eorum ſpiritus animales, tanto nocendi ſtudio feruntur aliquando, ut varias injurias inferendi & lædendi artes excogitent, & ubi nihil aliud eſt ad manus, ſputis vel excrementis alios conſpurcare geſtiant. **Cum audaciâ & ferociâ.**

Addidi tandem non adeſſe febrem, id quod ex eo patet, quod ſatis ſani degant, cibum non faſtidiant. Adeſt tamen major ſanguinis preſſio, unde ſequitur pulſus magnus & robuſtus, etiam poſt iteratas venæ ſectiones. Hæc eſt cauſa tantarum virium, audaciæ & ferociæ. Verum non dicitur hæc febris, cum alia ſymptomata febrilia non comitentur pulſum hunc majorem. Exiſtimatur hic pulſus, & hæc preſſio ſanguinis Manicaorum eſſe quaſi naturalis. Quemadmodum autem ſani in febrem incidere poſſunt, ita etiam maniaci; in paroxyſmis tamen febrium furor ſolet eſſe vehementior. **Abſque febre.**

Mos obtinet ut maniaci ædibus, huic uſui deſtinatis, includantur, vel dedantur hiſce vel illis qui tales tractare ſolent, nullum tamen eſt dubium, quin plures reſtitui poſſent, ſi tempeſtive in prudentis alicujus medici inciderent manus,

 qui

qui tum per experientiam plura circa hunc affectum obſervare poſſet. Rarius medici ita affectos tractant, niſi forſan in initio. Tractavi tamen ego, nec infeliciter, aliquos, unde de reliquis conjecturam facio.

Mania cauſæ animi pathemata.

Cauſam ego putem hujus mali plerumque eſſe externam, iram, amorem, pœnitentiam, excandeſcentiam excitantem, præcipuè autem ſi accedat malè ſibi conſcia mens, dolor, & ſtimuli conſcientiæ inquietæ, aut ad deſperationem tendens animi anguſtia. Nimirum quando aliquis nos læſit, quando aliquis amore ardet, cui ſatisfacere non poteſt, vel ob repulſam, vel ob amicorum vel parentum, rectius juventuti conſulentium, voluntatem, quando ſeſe in maximas vident conjectos anguſtias, excitantur animi pathemata. Videas tales iratos, vindictam ſpirantes, amore cæcos, æſtro percitos, amantes, lætantes, ſperantes, deſperantes, indignantes, obſtacula omnia amoliri geſtientes. Quod ſi noſtra imprudentia, errore, inſcitia nos irretitos animadvertamus, noſtri nosmet pœnitet.

Id quod Veteres Poëtæ non ignorasunt.

Pulchrè hoc mihi Veteres in *Oreſtis*, *Oedipi*, *Ajacis* fabulis expreſſiſſe videntur. *Oreſtes* à *Virgilio* furiis agitatus dicitur, ab *Euripide* autem correptus νόσῳ μανίας. *Virgil. l.* IV. *Æneid.* vſ. 471. *Eurip. in Oreſte* vſ. 227, 228. & verſu 254. λύσσῃ. Eodem modo *Sophocles Oedipi* deſperationem dixit νόσημα μεῖζον ἢ φέρειν. *Sophocl. Oed.* vſ. 1302. Vid. quoque vſ. 1308. *Ajacem* idem *Sophocles in Ajac. flag.* vſ. 59. dixit. φοιτῶντ' - μανιάσιν νόσοις. quod vetus Scholiaſtes explicat. ἀντὶ τοῦ μαινομένου. φοῖτος γὰρ ἡ μανία. & quæ ſequuntur. Videri quoque poteſt *Stolbergius* ad hunc locum. poſtea vſ. 143. eundem dixit Poeta ἱππομανῆ. Poſſem plura adducere, ſed hæc ſufficiunt, ut conſtet hos omnes fuiſſe maniacos. Unde autem hic affectus? Non ab igneis ſpiritibus, non ab iiſdem *aquæ ſtygiæ* ſimilibus, ſed ab animi pathematibus vehementibus, à dolore, irâ, repulſâ, mente malè ſibi conſciâ. Hanc imprimis ſignificarunt quando furiarum fecerunt mentionem. Luculentus mihi eſt teſtis *Cicero pro* Roſcio c. 24. *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis ſæpe videtis, eos qui aliquid impiè ſceleſtéque commiſerunt, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus. Sua*

quem-

quemque fraus, & suus terror maximè vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiæ animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas à conscleratissimis filiis reportant. Quæ hic ab *Oratore* dicuntur illos *dies nocteisque* torqueri, sunt notatu dignissima: vehementes hæ commotiones somnum abigunt, & vigiliæ solent præcedere continuatæ maniam. Serpit enim paulatim dolor, instar ignis conclusi, & vires acquirit eundo, donec tandem erumpat furor. Graphice illud *Maro* expressit *Æn. l.* IV. vs. 529.

At non infelix animi Phœnissa, nec unquam
Solvitur in somnos, oculisque aut pectore noctem
Accipit: ingeminant curæ, rursusque resurgens
Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.

Quid exceperit has vigilias postmodum subjungit. *Conscendit furibunda rogos*, antea dixerat: *Ergo ubi concepit furias evicta dolore.* &c.

Revera enim spirituum hic æstus, sanguinis & præcordiorum agitatio, vigiliæ continuatæ, rationis dictamen tandem excutiunt, unde homines tales, ad nocendum proni, ærumnam, dedecus, pestem sibi, aut aliis inferre gestiunt. Nimirum antiqua illa vestigia, & rationis rectæ præcepta, juxta quæ sani judicant, atque vitam suam instituunt, delentur, nec non oblivioni traduntur: furiosi, hisce susque deque habitis, ad vivas illas & recentes impressiones, quas vehemens animi excitavit commotio, attenti, sui ipsius obliviscuntur & maniæ indicia miserè produnt. Eadem hæc & ego & alii observarunt practici. *Platerus* narrat juvenem dissolutè viventem puellam prædivitem *Milhusio* contra parentum voluntatem abductam, matrimonio sibi copulâsse: mox bonis dilapidatis pessimè tractâsse, adeo ut sæpe desperabunda infœlix mulier se ipsam interficere cogitaret. Tandem ad insaniam redacta, vestes dilacerabat, nudaque catenis vincta etiam stramen, in quo cubabat, minutim unguibus discerpebat. Narrat hæc *Platerus* oculatus testis, *Obs. p. m.* 86. Is etiam ad Principem virginem quandam fuit accersitus, quæ ex amore principis ecclesiastici, cui ipsi per suos nubere non licuit, in maniam inciderat. ibid.

Id cum usu quotidiano convenit.

Qui

Qui plura desiderat, is adeat *Platerum*, *Schenkium*, alios.

Causæ antecedentes

Inter causas antecedentes recenseri debent temperamentum corporis biliosum & melancholicum, tempus vernale, autumnale, dies caniculares, intentio animi, studia, ebrietas, sanguinis orgasmum insignem producentia. Magna inter maniam & melancholiam intercedit affinitas; quidam enim ob temperamentum magis languidum, ubi res ex voto minus fluunt, sese totos tristitiæ tradunt: alii autem è contrario audacius insurgunt, irascuntur, cuncta amoliri obstacula gestiunt, atque ita evadunt furiosi.

Differentiæ.

Differentiæ maniæ sunt, quod alia existat gravior, alia levior, alia recens, alia inveterata. Ratione symptomatum quoque differt; quidam enim ad hos, alii ad alios excessus sunt proni: Ratione causarum etiam differt mania; alii enim ab amore, alii à dolore, alii ab ira potissimum in hunc affectum inciderunt, quamvis ordinariè diversæ mentis agitationes concurrant, antequam quis in maniam incidat. Differt etiam mania, quod alia sit hæreditaria, alia acquisita; hanc autem differentiam ita intellectam volo, non quod quidam ab ortu statim sint maniaci, sed quod parentes, ante hoc correpti morbo, miseri affectus semina liberis quasi indiderint, quæ postmodum sui indicia produnt. Nemini res ita ex voto fluunt, quin aliquando animum hæc vel illa molestia excruciet. Cum leviores illæ ægritudines à plerisque facilè superentur, qui hæreditario huic malo sunt obnoxii, à causa levioris momenti vehementius afficiuntur. Differt etiam mania, quod alia sit absque febre, alia febrem habeat comitem. Non est de essentia maniæ febris: nihil tamen impedit quin maniacum possit invadere febris vel statim in initio, vel etiam postea, aut per intervalla, quod diligenter observandum est, quandoquidem tum non tantum maniæ, sed & febris ratio sit habenda.

Signa.

Signa maniæ sunt manifesta: ferociunt ægri, lacerant, confringunt omnia, robusti admodum sunt, aliquando in adstantes impetum facturi nisi cohibeantur. Non adest febris manifesta, unde à Phrenitide distinguitur: audacia adest & ferocia, quæ in Melancholicis non observantur. An mitior sit an gra-

gravior, è ſymptomatibus dijudicare licet. Quæ ſit cauſa, tum ab adſtantibus narratur, tum ſagaci conjectura dijudicatur. An malum ſit hæreditarium nec ne, interrogando expiſcamur. Febris indicia è pulſu magis concitato, ſiti, æſtu, linguâ obductâ & ſcabrâ, appetitu proſtrato, urinâ intenſè rubra deſumuntur. Non eſſe hoc phreneticum delirium, ex eo cognoſcitur, ſi maniæ indicia ſeſe ante febris invaſionem prodiderint, aut ſi ceſſante febre perſeveret ferocia. Deinde in Phrenitide non ſolent omnia perfringere, aut dilacerare, veluti in maniâ.

Prognoſis ita inſtituatur. Mania eſt difficilis affectus, & niſi illi tempeſtivè occurratur, diu vel per totam vitam infeſtare poteſt, ſi non ſemper, ſaltem per intervalla. Curatu tamen facilior eſt mania recens, mitior & adſcititia, quam inveterata, ferociens, & hæreditaria. Si à ſomno mania ſedetur, bonum eſt. Quamvis febris graviora inducat ſymptomata, tamen utilis eſſe poteſt, quandoquidem corpus debilitat, & ſpiritus poſtmodum languidiores reddit. Prognoſis.

Indicationes in hoc affectu ſunt ſpiritibus ferocientibus ſubſtrahere pabulum: Spiritus ab objectis furorem excitantibus avertere, eoſdemque mitigare: ſomnum conciliare, & cauſas antecedentes tollere. Indicationes

Cura perficitur imprimis V. S. Sanguis enim concitatus ſpiritibus continuum ſuppeditat pabulum, adeoque is venæ ſectione & ſanguinis eductione liberaliori imminuendus eſt. Sanguinis impetus ordinariè ejus moli proportionatus eſt, adeoque impetus minuitur, ſi copia ſubtrahatur. Itaque vena ſtatim in principio eſt ſecanda, idque pro ægri viribus, ætate, & morbi magnitudine repetendum aliquoties. Inſtituitur V. S. in brachio, pede, fronte, pro circumſtantiarum varietate. Obſervatu non eſt indignum, illos ipſos auctores qui maniæ cauſam ſtatuunt malignam & occultam qualitatem, tamen V. S. præſcribere, tanquam remedium maxime neceſſarium: exempli loco ſint *Platerus*, *Sennertus*, *Riverius*. Revera preſſionis ſanguinis impetus, & ſpirituum motus, ab hâc preſſione dependens, V. S. promptiſſimè & tutiſſimè compeſcitur. V. S. ex *Aëtio* quoque commendat *Franciſcus Hildesheim* in ſpecilegio, Cura V. S.

gio, ac plerique practici. *Platerus* refert virginem illam infeliciſſimè nuptam, cujus in præcedentibus facta eſt mentio, ad Empyricum quendam ruſticum devectam, curatam fuiſſe, ſeptuagies unâ ſeptimanâ, venis, diverſis in locis, apertis, atque univerſo pene ſanguine detracto.

Purgantibus. Spiritibus quoque ſubſtrahitur pabulum purgationibus, & quidem efficacioribus. Cum enim impetus ſanguinis verſus caput feratur majori vehementiâ, non eſt mirum, ſi ſecretiones humorum verſus inteſtina ſegnius peragantur, & alvus ſit adſtricta. Quemadmodum ergo in capitis dolore, phrenitide, vigiliis nimiis, alvus laxa prodeſt, ita etiam hic eo collimandum, ut alvus laxetur. Magis id requiritur in hoc caſu, quandoquidem ferocia eſt major, nutrimentum majori copia aſſumitur, nec vires debiles, aut alia ſymptomata purgationem impediunt. Præſcribatur itaque hic vel ſimilis hauſtus.

℞. *Elect. è ſucco Roſar.* ℥ß.
Lapid. prunell. ℈ß.
Trochiſc. Alhand. gr. ij.
Aq. Borrag. q. ſ.
M. F. Hauſtus.

Commendatur à *Theodoro* de *Majerne Pulvis benedictus* Valeſci. *Pil. Alexandri Tralliani, de Lapide Armeno.* de *Lapide Lazuli* &c. à *Mynſichto*, *Pilulæ melanogogæ*. Exſtant quoque *Pilulæ, pulvis, Electuaria*, non inutilia in Pharmacopœa *Jacobi le Mort* Profeſſoris Lugdunenſis. Vide quoque *Collectanea Chymica Leidenſia.*

Laudat *Timæus Extractum Hellebori nigri*, cum *Syrupo Violarum*, id quod proculdubio hauſit è *Sennerto* idem remedium præſcribente. *Williſius* hæc præſcribit:

℞. *Extract. Hellebor. nigr.*
Calamelanor. aa ℈j.
F. Bolus.

℞. *Decoct. Senæ Gereonis vel Epithymi* (*cum Rad. Hellebor nigr.* ʒij.) ℥vj.
F. Hauſtus.

℞. *Pulv. Diaſenn.* ʒij.
Sumatur in ſero lactis.

Si

Si æger à medicamentorum aſſumptione non abhorreat, poteſt præſcribi Apozema laxans, ſemel vel bis quotidiè ſumendum ad ℥iij. iv. vel v.

℞. *Rad. Polypod. qu.* ℥j.
Fol. fumar. m. iij.
Taraxaci cum toto. m. j.
Tartar. Rhenan. alb. ʒjß.
Coq. ſ. a. *ex aq. pura* ſub finem decoct. Add.
Fol. Senn. mund. ℥ß.
Rhei elect.
Rad. Hellebor. nigri. aa ʒjß.
Colat. ℥xx. Add.
Syr. Roſar. ſolut. cum ſenna. ℥jß.
M.

Pilulæ à *Rolfincio* præſcriptæ etiam in uſum vocari poſſunt.

℞. *M. P. Tartar. Quercetan.* ℈j.
Extract. Hellebor. nigri. ℈ß.
Cum Syr. de fumar.
F. ſ. a. Pilulæ.

Electuarium noſtrum panchymagogum hic quoque utile.

Si æger Enemata admittere velit, ea non contemnendi uſus, quemadmodum ego illud aliquando obſervavi. Contingit enim nonnumquam fæces in recto inteſtino induratas, operationem medicamentorum, per os exhibitorum, impedire. In tali caſu rectiſſimè præſcribitur hoc vel ſimile enema:

℞. *Herb. Fumar. m.* ij.
Sonchi
Violar. aa m. j.
Rad. Althea. ℥ß.
Coq. ſ. a. *ex aq. pura* colat. ℔j. Add.
Confert. Hamech. ℥ij.
Mellis Mercurialis. ℥j.
Sal. com. ʒj.
M. F. Enema.

Sequens formula eſt *Rolfincii*,

℞. *Herb. Malvæ, Alth. Mercur. Violar. Beton. aa. m.* j.
Rad. Althea. ℥ß.

Concisa, contusa Coq. in s. q. *aq.* ad mediet at.
Colat. ℞. ℔j ß.
Ol. Violar. ℥iij. *Hieræ simpl.* ℥j ß.
F. Enema.

Quamvis ratio mihi non satisfaciat, placet tamen monitum *Walsmidii*: *Purgantia oportet esse fortiora, alias vix saburram acidam commovebunt. Hinc & emetica magnæ sunt efficaciæ.* Non tantum *Walsmidius* commendat emetica, sed & *Hartmannus*, *Aquam benedictam*. *Willisius* annotavit, agyrtas in hoc casu *Stibii* dosin largiorem, etsi temerè & periculosè, non rarò tamen cum successu exhibere. Præscribit quoque.

℞. *Sulphur. Antimon. gr.* viij. *ad gr.* x.
Cremor. Tartar. ℈ß.
M. simul terendo: F. Pulvis
detur in cochleari panatellæ.

Quomodo mens ab objectis furorem excitantibus abducenda sit?

Dixi in indicationibus generalibus, mentem ab objectis furorem excitantibus avertendam esse. Hoc in tali affectu rationibus perfici non potest, quandoquidem vestigia illa recentia adeo profundè cerebro sunt impressa, ut facile immutari nequeant, itaque illud peragatur dolorem & molestiam creando talem, quæ mentis attentionem eò convertat. Fit illud triplici modo, vel medicamentis pharmaceuticis, vel instrumentis chirurgicis, vel verberibus, aut simili castigationis genere, prudenter in usum vocatis.

Pharmaceuticis.

Instrumenta pharmaceutica sunt vel Emetica, vel purgantia fortiora, quæ ideo repeti debent, ut, anxietatum & doloris ratione, æger se ipsum respicere incipiat. Inter synonyma, sive appellationes Maniæ est quoque ἔκστασις; sunt enim maniaci veluti ecstatici, se ipsos negligunt, ut ad se redeant effici debet. Dolor mentem eò potenter convertit, Hæc fortè est ratio quare dysenteriam furori salutiferam pronunciaverit *Hippocrates*. *Aph.* 5. *sect.* v. 11. Ego tamen nemini auctor sim purgationes aut tam potentes, aut tam diu exhibere, ut inde sequatur dysenteria, sufficit ut repetantur, nec tormina ventris metuantur. Sed de hisce medicamentis eorumque formulis jam actum est.

Chirurgicis.

Inter medicamenta chirurgica præter V. S. sunt cucurbitulæ

læ ſcarificatæ, veſicatoria diverſis locis applicata, & forte etiam cauteria.

Cucurbitulæ evacuantes ſanguinem V. S. vicariæ ſunt. Verum cum de V. S. agerem, datâ operâ nullam cucurbitularum feci mentionem, quandoquidem hic locus poſtulare videbatur, ut de iis agerem, quatenus, dolorem excitando, mentem & ſpiritus animales à furore aliquomodo avocant. Itaque ſi V. S. tanta ſanguinis quantitas non ſit educta, quin adhuc cucurbitulis detur locus, illæ tum ad evacuationem ſanguinis, tum ad dolorem excitandum, in uſum vocari poſſunt. Locus varius eligi poteſt, ſcapulæ, dorſum, nates, crura, ſuræ &c. Applicatio renovetur aliquoties, & fricando excitetur dolor. Cucurbitulis.

Veſicatoria cum non tantum lympham evacuando aliquomodo ſpiritibus pabulum ſubtrahant, ſed & dolorem inſignem excitent, hic etiam cum ſucceſſu in uſum vocari poſſunt. Applicantur nuchæ, cruribus &c. Veſicatoriis.

Dixi forte etiam cauteria profutura, quandoquidem illud mihi videor probabili ratione colligere, ex iis, quæ de natura maniæ diſputavi, tum etiam ex iis, quæ in praxi occurrunt. Cauteria non tantum in omnibus, ſed & in affectibus capitis Epilepſia, Lethargo præſcribuntur, quid ni etiam in Mania? Videri poteſt *Fienus* & *Mollenbrocchius*. Nolim tamen audacter præſcribere, quandoquidem experimentum tuto capiendi hactenus occaſio mihi defuit. Nolim etiam occipitio applicari, ſed brachiis aut cruribus, eo loci ubi fonticuli inuri ſolent. Hujus rei hæc eſt ratio, quoniam motus humorum ſponte ad caput nimio impetu vergit, ſpiritus, ope doloris, alio abducendi, deinde, quoniam velim maniacum videre cauterium ejuſque applicationem, ut & metu & dolore ad ſe redeat. Conſentientem mecum habeo *Williſium* cauteria actualia & potentialia laudantem. Cauteriis.

Ultimum locum dedi verberibus, vel ſimili caſtigationis generi, non tantum quandoquidem illi, qui maniacos ordinariè tractant, hoc modo eos coercere dicantur, ſed & quod mihi ipſi hujus durioris tractationis inſignis utilitas luce meridiana clarius apparuerit. Vocatus eram ad virum trigin- Verberibus.

ginta circiter annorum, qui à potu, vehementibus animi pathematibus & vigiliis, inciderat in maniam. Insigniter ferociebat, & quamvis ipsi esset res angusta domi, tamen omnia perfringebat, armarium & supellectilem optimam frangens. Ego remediis pharmaceuticis & chirurgicis ejus sanationi incumbo. Inter eos, qui ipsum custodiebant, viros, unus ferocior, cum parum se proficere moderatione videret, ægrotum durius tractare cepit, felicissime; nam hoc pacto brevi fuit restituta mens. Hac experientia fretus, non dubitavi etiam cauteriorum facere mentionem in superioribus. Quod si attentè hac de re cogitemus, facile patebit, nos plerumque deteriores fieri licentiâ. Nihil magis infantes, pueros & adolescentes enervat & corrumpit, quam si id quod libet liceat, si eorum audax petulantia risu & osculo excipiatur. Ideoque prudentissimum sapientissimi regis est monitum, eum *qui virgæ parcit filium odisse*. Similis aliquomodo maniacorum est ratio: sana mens, ratiocinatio justa languent & corruptæ sunt, passiones vigent: itaque sentiant sibi omnia non licere impunè. Hujus Urbis ergasterio rectissimè inscriptum est: *Virtutis est domare, quæ cuncti pavent.*

De cordis & cerebri roboratione.

Præcipiunt auctores, in hoc & similibus cerebri affectibus, cor & cerebrum esse roborandum, ut mihi quidem videtur, ineptissimè. Præterquam enim quod cor & cerebrum roborari non possint, nisi alimentorum aut medicamentorum ope sanguinem & spiritum roborantium: cur cordi & cerebro, nulla labe contaminatis, frustra medicinam facias? Dico cor & cerebrum nulla labe esse contaminata, intelligo autem debilitatis labem, quæ confortationem indicet: nam quantum ad vestigia confusa & profunda cerebro impressa à pressionis & agitationis impetu, ea medicamentis & instrumentis aliis corrigi non possunt, quam antedictis & postmodum adhuc subjiciendis. Illa autem medicamenta non respiciunt cor & cerebrum, nisi quatenus eorum motum impetuosum & perversum corrigunt. Quid? quod cordis & cerebri vigor in eo consistat, illius quidem, ut sanguinem validè propellat & premat, hujus autem ut spiritus vividos multumque agiles generet ac propellat? Jam autem tantum abest, ut cordis efficacia augeri debeat,

at, ut ea potius omni molimine V. S. purgantibus, emeticis debilitanda ſit & frangenda. Tantum abeſt, ut ſpiritus magis agitari debeant, ut ii potius coercendi ſint & ſopiendi. Ergo tantum abeſt, ut cor & cerebrum debeant roborari, ut potius omnino ſint enervanda, uti in ſuperioribus vidimus. Dixi ſpiritus eſſe mitigandos, &, ut mihi videor, non paulo melius atque rectius.

Mitigantur ſpiritus medicamentis bilem temperantibus. Quamvis enim bilis peccantis vix meminerim in explicatione, nihil tamen impedit horum medicamentorum in curatione facere mentionem. Non eſt in cortice hærendum, res ipſa penitus inſpicienda & examinanda eſt. Talia medicamenta operationem ſuam non exercent, pro nomenclaturæ ratione, quam auctoribus illis imponere placuit, ſed pro viribus & facultatibus, ipſis à naturâ tributis. Impediunt medicamenta hæc æſtum & orgaſmum ſanguinis, id quod in affectu, quem tractamus, maximè neceſſarium eſt. Ego præ cæteris hoc in caſu laudarem *Plantaginem*, *Portulacam*, *Borraginem*, *Buglosſam*, *Lactucam*, *Acetoſum*, *Sempervivum*, *Majus*, *Fumariam*, *Hordeum*, *Alicam avenaceam*, *Tamarindos*, *Lapidem prunellæ*, *Spiritum Vitrioli &c.* Quando ex hiſce vel in aqua, vel in ſero lactis parantur decocta, tum ſanguis diluitur, particulæ ejus maximè activæ temperantur, unde tum porro ſequitur ſpirituum minus agitatorum productio.

De Spirituum mitigatione.

℞. *Rad. Lapathi acuti.* ℥j.
Herb. Fumar. m. iij.
Portulac.
Plantag.
Acetoſ. aa m. j.
Coq. ſ. a. *ex aq. pura* colat. ℔jß. Add.
Syr. Acetos. Citri. ℥j.
Lapid. prunell. ʒß.
M.

Simile apozema præſcribitur à *Sennerto* è *Rad. Bugloſſæ. Glyzirriz. Ceterach*, *Fumar*, *Endiv. ſem. 4. frig. maj. Tamarind. Fl. Cordialibus.* Verum nimis magna (meo quidem judicio) additur Syruporum quantitas.

Ab

Ab hisce formulis non multum abludit expressio *Willisii.*

℞. *Summit. Borrag. Bugloss. recent & tenerior. aa. m.* iv. *Poma curtipendula* iij *sal. prunel.* ʒij. *Sacchar.* ℥ß. *Simul contusis affunde aq. fontan.* ℔iij. Expressio. capiat ℔ß. ter in die vel sæpius.

Nec prætereundus est ejusdem pulvis sequens.

℞. *Cryſtall. mineral.* seu *Nitri optimi purificati* ℥ij. *margarit. ppt.* ʒij. *Sacchar. cand.* ʒijß. *Camphoræ* ℈ß.

Simul omnia terantur in pulverem subtilissimum. Hujus ʒij. ponantur in lagena vitrea ℔ij. capaci cum *aq. fontis* aut *cerevisia* tenuissimâ clarâ ac miti pro potu ordinario, quæ ad libitum concedatur.

Serum lactis effervescens quoque affunditur *Flor. Violar. aut Nymphea*, & post infusionem per duas horas copiosè propinatur. Laudatur quoque *serum lactis caprini.*

Acidulæ etiam ubertim epotæ conveniunt optimè in hoc affectu.

Inter specifica commendatur *Decoctum Anagallidis fl. purpureo*, aut etiam *summit. Hyperic. à Mynsichto*, *Tinctura antimonii*, & *Hyperi composita.* Præscribuntur etiam aliqua ab auctoribus tanquam specifica, quæ ego fateor me non esse expertum, nec facile in usum vocaturum, probe gnarum, quam raró talia respondere soleant promissis; illud tamen novi, si æger omnis generis medicamenta respuat, illum posse aliquomodo in viam reduci, exhibendo *caninum cerebrum* coctum & in sartagine frixum. Hujus efficaciam mihi aliquando videre licuit. Prodest quoque *Saccharum Saturni.* *Grulingius* se *Liquore Lunæ* multum profecisse affirmat. *Cent.* VI. *obs.* 8. Vid. quoque *Theodor. majern. l.* I. *c.* 7.

Spirituum motum compescentia.

Quemadmodum autem sanguinis detractio primario sanguinem respicit, secundario spiritus animales ferocientes, ab eodem, continuâ secretione, emanantes, ita ad manum sunt medicamenta spirituum motum nimium compescentia, hypnotica dicta. Hæc in usum velle vocare antequam sanguis sufficienter sit detractus, sæpenumero admodum noxium. Turcæ *Opio*

Opio utuntur ut tanto animosius prælium committant. Post celebratam V. S. in usum vocata sese spiritibus admiscent, depressionem exterioris & corticalis cerebri partis adjuvant, atque ita somnum alliciunt. Prosunt in Mania *Emulsiones* è seminibus frigidis & papaveris albi, cum *Syrupo* Diacodii &c.

℞. *Sem. Cucum. Melon.*
Papav. alb. aa ℥ß.
Cum *aq. decoct. Hord.* F. s. a. Emulsio ad ℥xx. Add.
Syr. Diacod. ʒvj.
Aq. Cinnamom. ʒj.
M.

Inter interna non tantum laudat, sed & omnibus aliis medicamentis emulsiones præferri dixit *Walsmidius*. *Timæus* præscripsit hoc modo:

℞. *Sem. Papav. alb.* ℥ß.
4. *Frigid. maj. excort. aa* ʒj.
Aq. Nymphea, Rosar.
Hypnot. nostr. aa ℥j.
F. s. a. Emulsio Add.
Margant. ppt. ℈j.
Spir. Rosar. gt. vij.
M.

Talia medicamenta nimiam sanguinis & spirituum agitationem, nec non spirituum animalium versus cor, pulmonem, diaphragma & reliqua viscera influxum turbulentum, sanguinis reciprocam versus cerebrum propulsionem violentam compescunt, somnum alliciunt, adeoque maniæ contraria sunt.

Quod si vigiliæ sint pertinaciores, licet Emulsionibus hisce Laudani granum unum, duo, plura, si modo vires id ferant, addere. Refert *Gregor. Horstius* exempla Maniacorum in quibus *Laudanum* sive *perlatum* sive aliud ad gr. v. exhibitum eximiæ fuit utilitatis. *Timæus* laudat *opiatæ* suæ *hypnoticæ* usum. *Dolæus* ad somnum conciliandum præscripsit

℞. *Laudan. Opiat. gr.* ij.
Dissolv. in s. q. *Essent. Anagallid.*
& *Hyperic.* edulcoretur parum, pro j. dosi.

Grulingius, cujus ſtatim feci mentionem, poſt ſectam venam frontis cum Saphænâ, & purgationem præmiſſam è *Fol. ſennæ* pulvere cum *corrigentibus*, has præſcripſit pilulas.

℞. *Laud. op. gr.* viij.
F. Pilulæ. pro tribus doſibus.

Inſignis uſus, quem affert ſomnus in affectibus maniacis, non fuit incognitus Poetis, & priſcorum ſeculorum viris perſpicacioribus. *Euripedes Oreſtem* à ſomno refocillatum ita loquentem introducit. ỹſ. 211.

ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον, ἐπίκουρον νόσου.
ὡς ἡδύ μοι προσῆλθες ἐν δέον τί γε
ὦ πότνια λήθη τῶν κακῶν ὡς εἶ σοφή,
καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν ἐυκταία θεός.
πόθεν ποτ᾽ ἦλθον δεῦρο; πῶς δ᾽ ἀφικόμην;
ἀμνημονῶ γὰρ τῶν πρὶν ἀποληφθεὶς φρενῶν.

Inter externa commendatur *ſuccus ſedi majoris* recens expreſſus, capiti impoſitus, ut & aqua ejus. Commendatur quoque *Nitrum præparatum*, quod cum modico *Camphoræ in aq. Nymph.* diſſolutum, cum petiis capiti applicatur. Præparatur quoque *Tinctura Santali* rubri cum aq. *Roſar.* in cujus ℥v. diſſolvuntur *Camphoræ* gr. IX. Additur etiam *Moſchus* ad gr. v. (ſi nempe ab odore non abhorreat æger) atque calidè capiti raſo imponitur. *Grulingius* loco citato hoc habet Epithema,

℞. *Aq. Roſar.*
Anethi aa ℥v.
Opii Thebaici ſucco
Citri correcti. ʒß.
Croci. ℈ß.
Miſce bene & F. Epithema.

Vide quoque *Cent.* VII. *obſ.* 39. & *Mynſichti Armamentar. p.* 371. & ſeq. Utilis eſt hic ſacculus,

℞. *Sem. Cannabis* ℥iv.
Coriandr. Milii aa ℥ß.
Herb. fragar.
Betonic. aa ℥ij. Sacculo inſuta

Co-

Coquantur in cerevisia & capiti applicentur. Plura vide apud *Sennertum* hoc capite. *Hoeferus* in *Hercule Medico* laudat *Balneum aquæ dulcis*. *Goclenius* conf. 42. *Flor. Nenuphar. Bugloss. Violar. Capita Vervecis* & *Papaveris albi* &c. decoquit in aqua, pro *Balneo*. Commendat quoque *pulmonem arietis* calentem capiti applicatum.

Quod si medicamenta hypnotica sperato careant successu, probabiliter conjicitur, aut V. S. non esse sufficienter institutam, aut purgantia debere iterum repeti. Si purgantibus parum proficiatur, & nihil impediat, propinari potest vomitorium. Vomitoria crebro repeti vult *Willisius*, & præscribit *Mercurium vitæ*, ego malim, nec ab ipso neglectum, *Tartarum Emeticum*.

℞. *Tartar. Emetic. gr.* viij.
S. Pulvis.

Commendatur quoque *Tartarus Emeticus* in Mania ab *Hadriano* à *Mynsigt*, qui cautiones circa hujus & aliorum vomitoriorum usum præscribit in *Armamentario Med-Chymico p.* 15. Vide quoque *Fredericum Dekkers*, Professorem Lugdunensem in *Exercitationibus medicis c.* 4.

Vomitoria spiritus ferocientes versus viscera inferioris ventris copiosè alliciunt, repetita, ægrum debilitant. Nauseabundi maniaci, & molestâ illâ corporis concussione vexati, non possunt eidem illi objecto, passionem & furorem excitanti, inhærere, sed coguntur ad turbas, in prima regione excitatas, attendere. Quid? quod multi spiritus dissipentur hoc modo, unde languor & ferocia minor? Hæc ideo annotâsse operæ pretium fuit, ut pateat, non tantum evacuationem in hoc casu spectandam esse, sed efficaciam longè potiorem, quæ principem sibi locum in curatione vendicat.

Subjungemus paucis diætam. Aër sit purus & temperatus, sed lumen omnino arceatur, ne spiritus à luminis radiis magis agitentur & somnus abigatur. Æger funibus & loris constringatur, ne sibi aut aliis vim inferat. Probè curandum, ut è cubiculo removeantur omnia nocendi instrumenta, gladius, culter, malleus &c. Ægroto ministrent vir robustus unus atque alter, cætera salutantium, invisentium, amicorum Diæta. Aër.

turba vitetur, niſi fortè aliquando admittatur aliquis, cujus autoritas ægrotum poſſit coërcere. Miniſtri ſint prudentes, qui & ægroto gratificari, non tamen perverſis ipſius ſtudiis annuere ſciant. Si minæ, increpatio aſpera, verbera videantur futura ex uſu, nec ea omittantur.

Cibus & potus.

Cibus ſit facilis concoctionis, juſcula herbis refrigerantibus *lactuca*, *acetoſa*, *endivia*, temperata. Vinum, imprimis generoſum, aut fulmine congelatum vitetur. Vid. *Hoeferi Herculem medicum.* Vitentur quoque aromata, *piper*, *caryophylli* &c. *Julius Cæſar Claudinus* dulcia, tanquam peſtem, damnat: vult autem eſculentis admiſceri diuretica. *Vid. l.* III. *c. 6.* In potu laudat *Dolæus acidulas Donningſteinenſes*, & *decoctum hirundinum* cum *lapide prunellæ*, ſuâ experientiâ comprobatum.

Somnum & vigilia.

Somnus omni ratione, ſed prudenter, promoveatur, arceantur pro viribus vigiliæ continuatæ.

Motus & quies.

Eadem motus & quietis eſt ratio, illum lora & clauſtrum impediunt, hanc furor omninò flagitat.

Excreta & retenta.

Alvus ſit laxa, omnis generis excretiones promoveantur, imprimis neceſſariæ & conſuetæ.

Animi pathemata.

Cum ab animi pathematibus hic affectus originem ducat, illa omnibus modis ſedanda ſunt. Moderatis paſſionibus aliquid concedendum, effrænes omnino coercendæ ſunt. Quemadmodum autem parentes prudentes in educatione liberorum ad eorundem ingenium reſpicere ſolent, & attendere, an indulgentia, an ſeveritate magis proficiant, ita etiam in Maniacorum tractatione agendum eſt. Pro indolis varietate, vel liberalius vel etiam durius ſunt habendi. Vidi ego maniacum qui ſolutus vinculis dormiebat quietè, cum antea vigilâſſet & fuiſſet garrulus.

CAPUT SEPTIMUM.

De Soporoſis affectibus in genere: & in ſpecie, de Comate, & Caro.

Confuſa tractatio ſoporoſorum affectuum.

Aliquamdiu anceps hæſi, an me conjicerem in haſce anguſtias, ut de ſoporoſis affectibus omnibus, non ex præjudicio, ſed ex rei veritate, tractarem: an vero Lethargi tra-

tractatione, tanquam generali, absolutâ, de reliquis cuique suum permitterem judicium. Dubitationis erat ratio, quod non temerè à receptis morborum appellationibus & determinationibus recedendum esse putarem; si enim ea, quæ hactenus observata & tradita sunt, rejiciamus, si ab ipsis fundamentis destruamus Medicinam, metus est, ne, hordeo & tritico relictis, stramen colligamus & paleas. In horum autem affectuum tractatione, si auctores cum auctoribus, ac si eorum sententiam cum experientiâ comparemus, tantam inveniemus confusionem & obscuritatem, ut, quid de hisce affectibus sit statuendum, planè relinquatur dubium & incertum. Tandem potior sententia visa est, nec hanc praxeos partem relinquere intactam. Tanta autem usus sum moderatione, ut vocabulorum eam amplecterer significationem, quæ etiam ex *Hippocrate*, si necessitas id exigeret, quodammodo probari posset. Cunctis ergo veræ praxeos amatoribus me rem non ingratam præstiturum arbitratus sum ego, si omnibus ritè perpensis, glaciem frangere conarer in re arduâ, & hosce affectus, ex iis quæ in praxi occurrunt, accuratius determinarem. Tentavit idem hoc ante me *Franciscus de le Boc Sylvius*, & in re intricata se extricare conatus est; quamvis autem ex experientiâ se affectus determinaturum promittat, videtur tamen mihi experientiæ minus, auctoribus practicis nimium tribuisse, adeo ut nec in ejus sententia acquiescere potuerim. Quod si veritatem hac in parte etiam assequi liceat, gratulabor mihi; quod si à scopo aberravero, veniam peto, & ut alii me in viam reducant, rogo.

Vocabula apud Hippocratem ambigua.

Quemadmodum in Botanices studio multi relinquuntur scrupuli, quia sæpe ignoratur, quid auctores veteres harum vel illarum herbarum nomine (& similis est fruticum ratio) intellexerint, quia in illorum libris accuratæ descriptiones & notæ characteristicæ desiderantur, ita idem illud obtinet in *Hippocratis* scriptis ubi de *Typhomania*, *Aphonia*, *Caroticis affectibus* sermonem instituit. Nec mihi, ejus aphoristicas determinationes consideranti, dubium est, quin sæpius diversis nominibus, tanquam synonymis, ad unam eandemque affectionem significandam promiscuè fuerit usus. Itaque non est mirum

rum

rum recentiores, ſive antiquorum placitis adhæreſcant, ſive ab iis recedant, non unam amplexos eſſe ſententiam. Ut de Aphoniâ ſolâ mentionem faciam, manifeſtum eſt *Hochſtetterum* pluribus caſibus ſatis diverſis, hanc appellationem tribuere. *Vid. Decad.* IV. *obſ.* 1, 2, 4. &c.

Tractationis ordo.

Antequam ergo veriorem ſententiam de hiſce affectibus proponam, operæ pretium eſt demonſtrare, ea, quæ tum veteres tum recentiores de hiſce morbis ſcripſerunt, non eſſe ſatis expedita: adjiciam, hanc difficultatem quoſdam moviſſe, ut de hiſce ſymptomatibus ſimul agerent: denique conabor erroris & confuſionis fontes detegere. Ita evadet manifeſtum me coactum fuiſſe in id incumbere, ut veriora & certiora eruerem.

Obſcuritas Veterum.

Ea quæ de hiſce affectibus apud veteres exſtant non eſſe ſatis clara ob ambiguitatem vocabulorum patent *Galeni* teſtimonio. Is explicaturus *Hippocratis* textum l. II. Prædictionum τὸ καρῶδες ἆρά γε πανταχȣ̃ κακόν. Subjungit. ἀπορίαν ἡμὶν ἡ ῥῆσις κινεῖ, διὰ τὸ μὴ σαφῶς εἰρῆσθαι τὸ σημαινόμενον ἐκ τȣ̃ κάρȣ φωνῆς. Poſtmodum plures rationes dubitandi ſubjicit, & ſuo modo explicaturus ſomnum è pituita originem ducentem, ait: ὅταν δ' ὑπὸ φλέγματος ὁ ἐγκέφαλος ὑγρανθῇ καὶ ψυχθῇ, τὸ κατὰ τὰς ληθαργικὰς διαθέσεις ἐστὶ κῶμα, καὶ καλεῖν ἔξεστι τῷ βȣλομένῳ καὶ τȣ̃το κάρον. Hunc locum citat *Hercules Saxonia l.* I. *c.* 5. & tractationem Cari atque Lethargi, imo omnium affectuum ſoporoſorum ſe poſſe conjungere autumat. A *Saxonia* non multum differt *Foreſtus l.* X. *obſ.* 24. & *Vidus Vidius de Curat. membr. l.* II. *c.* 12. Quod ſi autem *Galeno* difficile fuerit accuratè determinare vocabula, quibus *Hippocrates* fuit uſus, cum tamen Græca lingua ipſi eſſet vernacula, nec ille ab *Hippocratis* ævo tam longè remotus: non eſt mirum, ſi nobis id videatur longè difficilius, tum ob linguam minus familiarem, tum ob ſtylum conciſum & aphoriſticum.

Pauli Æginetæ obſcuritas.

Paulus Ægineta non malè vigilias & Cataphoram inter ſymptomata febrium enumerat *l.* II. *c.* 41. & 42. Verum ubi *l.* III. *c.* 10. ſigna proponit Catochi ſive Comatis vigilis, tot & tanta congerit, ut ego libentiſſime fatear, me illa cum morbo, de quo agit, nequaquam poſſe conciliare. Capite ſequenti agit

git de memoriæ & ratiocinationis abolitione, ut & Caro & morosi. Hos affectus deducit ab intemperie, quæ si humida tantum sit, infert læsionem memoriæ & ratiocinii, torporem & Cataphoram, nec non somnos longos ac profundos. Si vero humiditati jungatur siccitas, tum producuntur Cari & Lethargi. Similiter si siccitas sola adfuerit, vigilias inducit, si vero huic jungatur calor, tum producuntur deliria & Phrenitides. Postea subjungit, has intemperies aliquando locum habere in humoribus, aliquando in cerebri ventriculis, vel in ipsius vasis, vel in dispersa humiditate, vel is ipsius cerebri corpore. Hæc si quis attentè consideret, is facile videbit distinctionem horum affectuum, non è praxi esse petitam, sed è præjudicio, è diversitate temperamentorum fictitiorum, adeoque explicationem accuratam ex hoc auctore hauriri non posse.

Hollerius Typhomaniam explicaturus dicit esse quoddam genus delirii inter Phrenitidem & Lethargum è bile & pituita: in qua affectione si superat bilis, coma peculiariter appellari: si pituita Catochon. Verum rectè mihi videtur sensisse *Nicolaus Chesneau*, qui observatione 3. l. 1. hæc habet verba. *Ego vero nullam talem esse Catophoram vigilantem existimo, nec ullius generis soporem, qui ex humorum simul mixtorum contrarietate gignatur. Si enim calidus humor misceatur cum frigido; qualitas unius infringet qualitatem alterius, sicut acris à non acri retunditur, ex eorum mixtione, nec caloris effectus & acrimoniæ, quæ vigilias inferre dicuntur, nec frigoris, quod una ex causis somni creditur, exurget; sed quid tertium neque frigidum neque calidum, & acre, ut somnum morbosum aut vigilias inducere possunt* &c.

Antequam ulterius progrediar, quemadmodum statim vidimus de morborum causis non convenire inter medicos, ita operæ pretium est animadvertere non semel contigisse, de eodem casu admodum discrepantes eorundem fuisse sententias, imo eundem scriptorem aliquando à se ipso dissentire. *Henricus ab Heers*, refert sese & *Oggerum* affectum, qui ab aliis dictus esset Phrenitis, censuisse appellandam Melancholiam, cum tamen Phrenitis & Melancholia non parum à se mutuo distent. Medicorum discrepantes sententiæ.

In

In ſequentibus, capite de Catalepſi, videbimus, *Saxoniam* à *Fernelio* diſſentire circa obſervationem ab ipſo *Fernelio* propoſitam. A ſe ipſo diſſentit *Feyneus*; cum enim in principio c. 10. *l.* 11. dixiſſet, Carum febrem non habere comitem poſtmodum tamen ſubjungit: Quod ſi poſt longas febres hujuſmodi torpor corpori acceſſerit, cætera eadem ſervanda ſunt, indicans Carum febribus ſupervenire, id quod cum mea & *Galeni* ſententia non malè convenit, uti poſtmodum explicabo. Idem, cum in principio paragraphi V. S. in Caro rejeciſſet, poſtmodum in fine tamen ſubjungit. *At promptior is ſomnus, quem multus humensque ſanguinis vapor in ſynocho induxit, V. S. ſcarificatu humerorum & infixis cucurbitulis & aliis ſupradictis quam mox diſcutitur.*

Variorum auctorum ſententiæ.

Verum in ſpecie videamus quam confuſa ſint ea quæ de affectibus ſoporoſis habent auctores. *Hercules Saxonia* prælectionum practicarum p. 1. c. 7. *Carum* dicit *totius corporis inſenſibilitatem & immobilitatem.* Poſtea *c.* 11. *Apoplexiam* è Galeno dicit *Paralyſin totius corporis cum abolitione principum facultatum.* Deinde ex *Aëtio* & *Paulo* hunc morbum explicans intelligit *ſublatum ſenſum & motum totius corporis.* Aut ego nihil intelligo, aut ubi eſt *totius corporis inſenſibilitas*, ibi eſt ſublatus ſenſus, ubi eſt *immobilitas*, ibi eſt ſublatus motus totius corporis: erit ergo *Carus* & *Apoplexia* unus idemque morbus. Antea c. 8. Lethargi differentias ita explicat, ut complectatur *Coma ſomniferum*, deinde *Lethargum* propriè dictum cui annectitur *Coma*, denique ut complectatur *Carum non Coma. Capivaccius* l. 1. c. 8. Carum exquiſitum diſtinguit à Comate, nothum eundem cum Comate facit. *Pulverinus* de Caro ferè eadem habet quæ *Saxonia.* Signa explicaturus, ait, tantam eſſe in illis, qui Caro laborant ſenſuum ſtupiditatem, ut ſi reſpirationem non haberent conſpicuam, vel apoplecticos vel mortuos eos exiſtimares. Cum autem in Apoplexiâ reſpiratio non ſemper tollatur, qua ratione Carum ab Apoplexia diſtinguas? Lethargum deducit ab inflammata in cerebro pituita. Ut diſtinguat Phrenitidem à Lethargo & Catalepſi recurrit ad cauſas ſc. frigiditatem, humiditatem. Si hiſce cauſis quiſpiam non aſſentiatur, ſi neget pituitam in cerebro inflammari, differentiæ illæ corruunt. *Sennertus* ſaltem

li

liberè pronunciavit: *impoſſibile eſſe credo, ut ex eadem pituita putreſcente in cerebro* & *febris* & *ſopor excitetur. l. 1. p. 11. c. 20.* *Dodoneus* καταφορὰν Græcos appellâſſe ſomnum qui febribus ſupervenit, atque de eo agit inter ſymptomata febrium. Poſtmodum de Caro ſive Subeth tractat inter ſymptomata capitis, & dicit eum eſſe ſoporem profundum, cum ſenſuum & motus ceſſatione, permanente reſpiratione abſque febre: confundens Carum cum Apoplexiâ, uti è ſuperioribus patet. In eo tamen mecum convenit quod ſoporem gravem, in febribus contingentem, diſtinguendum putet ab eo, qui abſque febre invadit. *Sebaſtianus Egbertus* in Scholiis, Carum dicit Coma ſomnolentum, Catochon vigilantem. *Dodoneus* c. 10. Catochon à nonnullis Catalepſin dici monet. *Foreſtus l.* x. *obſerv.* 8. diverſas de Lethargo tradit opiniones. Idem annotat, Carum aliquando eſſe abſque febre, aliquando febrem ſubſequi *l.* x. *obſ. 9. Timæus* caſu IX refert diſcrepantes ſententias de affectu propoſito, quem ipſe Carum appellavit, manifeſto argumento non admodum expeditam eſſe horum morborum diſtinctionem. *Walſmidius* in notis oſtendit, ſe Carum à Comate non ſatis diſtinxiſſe. *E Dolæi* deſcriptione patet ipſum Carum vel numquam vidiſſe, vel confuſâ auctorum deſcriptione fuiſſe deluſum. *Williſius* Coma, Lethargum, Carum tanquam affectiones gradibus differentes enumerat, & cauſas hypotheſi ſuæ convenientes excogitat, cujus veſtigiis omnino inſiſtit *Walſmidius* in notis ad praxin Barbettianam. *Platerus* inſignis practicus, capite de Mentis conſternatione, rectè animadvertit, Carum febrem nonnunquam ſubſequi, illiuſque eſſe ſymptoma, ego illud ſemper locum habere exiſtimo. Idem *Hippocratis* Typhomaniam ſtatuit eſſe Coma vigil. Longum eſſet & tædioſum omnes omnium auctorum enumerare ſententias, videri poſſunt præter citatos *Petrus Salius* in annotationibus ad *Donatum ab Altomari*, & *Schneiderus* de morbis capitis.

Confuſionem hanc non tantum viderunt auctores practici, ſed & de eâdem ſunt conqueſti. Memorabile eſt imprimis *Hollerii* teſtimonium in ſcholiis ad c. 8. l. 1. Hæc ſunt ejus verba. *Lethargus, Caros, Arabibus Subeth, Catoche, Cataphora, Coma, affectiones ſunt ſomniculoſæ, ob idque inter morbos, aut mor-* Practicorum quærelæ de confuſione circa affectus ſoporoſis.

borum ſymptomata numerantur. Sed neque de nominum diſtinctione, neque de cauſis ſatis conſtat inter auctores. *Rondeletius* hæc habet notatu digna in annotationibus ad *c.* 20. *Affectiones omnes ſoporiferas Coma, Carum, Cataphoram* Arabes *nomine ſubeth comprehenderunt. De horum ſignificatione multa & apud* Galenum *& alios diſſenſio, ut quibus Cataphora & Caros modo pro eodem, modo pro diverſis affectibus uſurpentur.* Vide quoque *Sylvium* Praxeos Medicæ *l.* 11. *c.* 25. §. 13.

Quidam conjunctum de hiſce ægerunt.

Haſce difficultates evitaturi quidam è recentioribus, de affectionibus ſoporoſis in genere agunt, exempli loco ſit *Hartmannus* in Praxi Chymiatrica. Idem imitatus eſt *Riverius*; verum ipſe ſingula deſcripſit ſymptomata. Iiſdem veſtigiis inſiſtens *Paulus Barbette* non tantum de Paralyſi, Caro, Comate vigili & ſomnolento, Catalepſi, Incubo, Lethargo &c. Opiſtotono, Emproſtotono, Tetano conjunctim agit, verum etiam liberè ad hunc modum ſuam explicuit mentem *l.* 1. *c.* 3. *Hiſce de affectibus non eſt quod multa dicam; neque enim eſſentialiter, ſed gradibus ſaltem differunt. Hoc ut Lector, rerum non verborum amans, melius concipiat, has illi meas communico obſervationes. Mater* D. Vincent. *brachium dextrum impotens movere periculoſè decumbebat, ergo erat paralytica: interdum dormiebat profunde, ergo laborabat comate ſomnolento carove: interdum vigilabat, ergo debuit tum ejus morbus Coma vigil nominari: interdum ſtertebat nullamque edebat vocem, quicquid vociferarentur adſtantes, ergo erat apoplectica: febricitabat continuo, ergo aderat Lethargus. Quorſum ergo nunc entium noxia multiplicatio? Quantum ſapimus verba dando!*

Brevis recapitulatio, & tranſitio.

Putem me abunde demonſtrâſſe, ea, quæ veteres & recentiores de hiſce morbis ſcripſerunt, eſſe admodum intricata; oſtendi etiam, hinc quosdam conqueſtos eſſe de confuſione, quoſdam, ut hanc evitarent, conjunctim de hiſce affectibus egiſſe: detegendi ſunt jam errorum fontes.

Fontes errorum.

Fontes hoſce facilè detegemus, ſi in mentem revocemus vocabula, quibus *Græci* morbos exprimunt, vel morbum ſignificare propriâ vi, vel gaudere ſignificatione generali, & per Synechdochen tantum morbis quibusdam applicari. Prio-

ris, generis sunt πυρετὸς βὴξ, ἄφθαι, ἀρθρίτις, πλευρίτις, κεφαλαλγία &c. Posterioris generis sunt ἄνθραξ, ἔκλυσις. Prioris generis vocabula sese ipsas aliquomodo determinant, posterioris autem nisi accuratè determinentur facilè confusionem pariunt: præsertim si Scriptores nunc hoc, nunc illo vocabulo promiscuè utantur, ad eundem affectum indigitandum, vel eodem vocabulo utantur ad diversos affectus significandos. Posterioris hujus generis sunt pleræque morborum soporosorum appellationes, ut κῶμα, κάρος, κάτοχος, κατοχὴ, ἀφωνία, καταφορά. κῶμα enim juxta *Etymologicum*, ἀπὸ τῶ κοιμῶ quasi κοίμημα, significat ὕπνον, ἢ ληθώδη καταφοράν. κάρος apud *Platonem* significat somnum profundum ex ebrietate, in *sympofiaco*: & hunc *Galenus* distinguit à Caro morboso. Videri potest ejusdem commentarius in Aphorismum supra citatum. κάρος *Suidæ est* ἡ ἐξ οἰνοποσίας ἐγγινομένη μέθη καὶ παραφορά. Habere autem significationem generalem patet, quia δύναμις καρωτικὴ tribuitur medicamentis à *Dioscoride*. Hæc facultas non significat vim producendi morbi illius, qui Cari nomine venit; sed gaudere vi soporem, hoc est, somnum profundum excitandi. Pollent eâdem virtute *opiata*: effectus autem pro varia dosi, pro diverso ægrorum, quibus exhibetur, statu vario, debet alio nomine significari nempe vel Comatis, vel Cari, vel Lethargi, vel Apoplexiæ. A Caro denominantur etiam arteriæ Carotides, optima sanè ratione, quia revera cerebrum premunt, & somnum naturalem producunt, uti patet ex iis, quæ de *oeconomia humana* antea disputavi. Cari & Comatis vocabula esse fere synonyma, & non tantum hisce morbis, quibus ordinariè significandis ea adhibemus, sed & Lypothymiæ & Vertigini posse applicari, ex *Apollonii* loco evadit manifestum. l. 11. 203.

Κάρος δέ μιν ἀμφικάλυψεν
Πορφύρεος, γαῖαν δὲ πέριξ ἐδόκησε φέρεσθαι
Νείοθεν ἀβληχρῷ δ' ἐπὶ κώματι κέκλιτ' ἄναυδος.

Ubi Scholiastes: κάρος δὲ αὐτὸν κατέσχεν τουτέστιν σκότωσις. τὴν δὲ γῆν διὰ τὴν σκοτοδινίαν ᾠήθη φέρεσθαι. ὡσεὶ εἶπεν ὅτι ᾠήθη τὴν

γῆν ἐπικεῖσθαι ἑαυτῷ. -- ὁ δὲ νοῦς ὑπὸ τῆς λεπτῆς ἐκείνης διὰ τὴν σκότωσιν καταφορᾶς ἔκειτο ἄφωνος. Κώματι δὲ ὕπνῳ, ἐκλύσει, καὶ ἔστι κατὰ συγκοπὴν ἀπὸ τοῦ κοίμημα. Hactenus vetus Scholiastes. κατόχου & κατοχῆς vocabula eſſe generalia, ſignificatio verbi κατέχω demonſtrat. Eadem eſt reliquorum ratio. Vide *Dietericum* in Iatreio *Hippocratico* in voce ἄφωνος. Copia ergo ambiguarum, generalium & ejuſdem fere ſignificationis vocum, ambiguitati dedit anſam & confuſioni. Nempe cum Medici Græci, è vulgi uſu hæc vocabula deſumpta in Medicinam tranſtuliſſent, ad morbos congeneres ſignificandos, nec ſignificationem accuratè determinaſſent, non eſt mirum ſi illis etiam ſæpe promiſcuè fuerint uſi, unde non potuit non oriri confuſio ingens, præcipuè cum *Hippocratis* vocabula ſuis applicarent hypotheſibus caliditati, frigiditati, humiditati, pituitæ vel putreſcenti vel obſtruenti meatus cerebri. Non tantum in hiſce affectibus magna occurrit ambiguitas apud auctores, ſed & in pluribus aliis. Vocabulorum Catharri, Rheumatis, Branchi, Pharyngis, Laringis, Bronchi, Faucium, Gulæ &c. varias eſſe ſignificationes apud *Schneiderum* de *Catharris l. c.* 1. 3. videri poteſt. Hinc concludit c.7. *Studium auctores Græcos legendi dubiam facit de Catharri ſpeciebus opinionem.* x. *l.* 1. de Somno &c. *c.* 4. *Falſo de dogmate, non niſi ſimilia naſcuntur.*

Neceſſitas & utilitas accuratiori tractationis.

Hæc ideo latius eſſe deducenda credidi, ut conſtet me coactum fuiſſe, ne ſemper remaneret eadem obſcuritas & confuſio, ex iis quæ in praxi à me ſunt obſervata, morbos, vocabulis homonymis obſcurè deſignatos, notis ſuis characteriſticis diſtinguere, & ſingulis appellationes proprias imponere. Non ſunt hic nomina & entia multiplicata ſine neceſſitate, ſed ſi appellationes eſſent in promptu, diſtinctius adhuc poſſent quædam ſpecies proprio gaudere nomine. Nec caret hæc diſtinctio utilitate inſigni in praxi: differunt enim non parum Coma vigil à ſomnolento, Coma ſomnolentum à Caro, unde aliæ atque aliæ naſcuntur indicationes & medendi methodus diverſa, uti è ſequentibus patebit.

Coma Vigil.

Obſervamus itaque aliquando ægrotos conqueri de ſumma capitis moleſtiâ, non quidem dolore, ſed velut interno ardore,

re, & motu inteſtino expanſivo, qui ipſos reddit quidem in ſomnum proclives, & ſomnum enixe deſiderantes, cum tamen non poſſint, aut non audeant ſomnum capere. Eſt hoc plerumque ſymptoma febrium acutarum, ardentium, malignarum, atque in principio & augmento morbi ſeſe exſerit. Differt hic morbus à vigiliis protractis, quod ea moleſtia percipiatur antequam ægroti diu vigilaverint, & quod vigiliæ protractæ hac moleſtiâ ſpecificâ careant. Differt etiam à Phrenitide, quod necdum delirent ægroti, quamvis major adſit ſpirituum agitatio. Plerumque hunc affectum excipit Phrenitis, aut alia graviora cerebri ſymptomata. Habet tamen cum Phrenitide & vigiliis protractis aliquam affinitatem. Nomino hunc affectum *Coma vigil.*

Hujus rei recentem poſſum referre obſervationem. Juvenis xx annorum corripitur Variolis. Ante meum acceſſum Pharmacopæus exhibuerat medicamenta cardiaca & ſudorifera; ſtragulis, tempore æſtivo, oneratur æger, febris ingraveſcit, advocor ego. Ego quidem ſtatim curo, ut æger magis moderatè habeatur, præſcribo medicamenta magis temperata & diætam ſimilem: verum ægrotus imprimis conquerebatur de capitis inſigni moleſtiâ, & velut expanſione, quæ ſomnum excuteret. Cumque ego monerem, ut bono eſſet animo, ac ſeſe in ſomnum componeret, præſcriberemque emulſionem cum ſemine papaveris albi, poſtea retulit ſe non auſum fuiſſe capere ſomnum, nec etiam potuiſſe dormire. Erecto capite ſedere maluit. Talis nempe jam impreſſus erat ſanguini orgaſmus, ut etiam blanda non ferret hypnotica, id quod non ſemel contingit. Varia quidem in uſum vocavi medicamenta tam interna quam externa: juſſi ut crura imponerentur lacti bubulo recenti, verum omnia incaſſum: ſatis bene quidem apparuerunt & intumuerunt variolæ, verum æger ſuccubuit. Forſan huic V. S. juxta *Sydenhamii* præſcriptum profuiſſet, de qua quidem ego feriò cogitavi; verum cum morbus videretur cedere medicamentis à me in uſum vocatis, malui non recedere à conſueto curationis tramite. Obſervatio.

Contingit etiam aliquando homines, provectioris ætatis præſertim, in ſomnum eſſe valde proclives, cum inſigni mentis he- Coma ſomnolentum.

hebetudine, nonnumquam oris apertione, adeo ut ſedentes & cum aliis colloquentes etiam interdiu in ſomnum involuntarium labantur. Hic morbus circa veſperam ingraveſcere ſolet. Febris non eſt inſignis, aliquando lenta; nec ægri conqueruntur niſi de ſomnolentia moleſta. Locum illud habet etiam in junioribus, accedente aliquando vertigine. Poteſt hic affectus dici *Coma ſomnolentum*. Huc etiam referri poteſt ea ſomnolentiæ ſpecies, quæ ſuppreſſionem urinæ conſequitur. Somnus enim vexat abſque febre, à denegata urinæ evacuatione. Differt hoc Coma à Lethargo, quod Lethargus ſit gravior ſpecies, cum ſtertore invadat, febrem non quidem acutam, febrem tamen, aliquando cum exacerbatione habeat comitem. Lethargus appetitum dejicit, ægrum decumbentem reddit, cum Coma præcedens homines invadat etiam aliquomodo munia ſua obeuntes; quamvis ſegnius. Lethargum poteſt præcedere Coma. Apoplexia ſubitò invadit, morbus acutiſſimus cum ſenſuum abolitione, ἀφωνίᾳ & membrorum reſolutione. Ad Coma ſomnolentum referri debent ſopores profundi abſque manifeſta febre, ut ex. gr. ab ebrietate, ab uſu opii ut & ſomnolentia ſcorbutica. vid. *Charletonum* de Scorbuto.

Carus. Contingit etiam non rarò ægrotos corripi febri inſigni & vehementi, & ſtatim in augmento vel etiam principio in ſomnum profundum incidere, unde vix aut ne vix quidem excitari poſſunt, quem aliquando convulſiones & ipſa mors brevi excipiunt. Non poteſt hoc ſymptoma dici Coma, quandoquidem adeſt febris ſatis vehemens. Non Apoplexia, quandoquidem hæc ſubito abſque febre invadit, & plerumque eſt gravior. Non Lethargus, quod ægroti vehementius febricitent, gravius laborent, nec ſemper excitari poſſint. Dicendum eſt, hanc eſſe *Cari* ſpeciem primam, quæ, ſi nomen haberemus commodum, proprio vocabulo à reliquis diſtingui poſſet.

Contingit etiam ſæpenumero poſt attritas à febre continuâ vires, ægros in ſomnum profundum & ἀφωνίαν incidere, in eo ſtatu per aliquot dies permanere, nihil rogare, jacere veluti moribundos, poſtea iterum oculos attollere, aliquando ſtatim cibum petere, atque feliciter evadere. Sequitur

tur hæc ſpecies aliquando Coma vigil, Phrenitidem aut Convulſionem. Obſervavit & diſtincte deſcripſit hanc ſpeciem *Galenus part. 5. p. m.* 190. ἑωράκαμεν οὖν ἐπ' ἐνίων ἀῤῥώστων ἠγρυπνηκότον ἐφεξῆς ἡμέραις τρισὶν ἢ τέταρσι δυσδιέγερτον ὕπνον γενόμενον, ὡς ὅλης ἡμέρας ὠφελήσαντα μεγάλως. ἐπὶ δὲ παιδίων εἶδον πολλάκις, οὐ μιᾶς μόνον, ἀλλὰ καὶ δυοῖν ἡμερῶν ἐπ' ὠφελείᾳ μεγάλῃ γενόμενον τοιοῦτον. (κάρον.) Et hæc eſt *Cari* altera ſpecies, in febribus, non integris viribus, ſed fractis contingens.

Accidit etiam non raro in febribus ægrotos, diem unum aut alterum ante mortem, veluti ſomno oppreſſos decumbere ob attritas vires, ſanguinem ad circulandum ineptum redditum & ſpiritus diſſipatos. Solemus hoc noſtra lingua exprimere (hy ligt uyt zyn verſtand) quia ſcilicet nulla perceptionis indicia proferunt ægroti. Hoc ſymptoma non incommode etiam *Carus* poteſt appellari, niſi quis malit ἀφωνίαν in ſpecie dicere, cui ego nolim repugnare. Saltem illud conſtat, nec attentis practicis ignotum eſt, hæc ita in praxi obſervari. Hanc ultimam Cari ſpeciem putem eſſe cauſam, quare opium & laudanum opiatum apud quoſdam male audiat. Nempe ſi poſt uſum Laudani talis contingit Carus, ille omnino tribuitur opio, cum ſæpiſſime is accidat ægrotis, qui ab opiatis & hypnoticis plane abſtinuerunt. Exigit tamen medici prudentia, ut, viribus attritis, potius à Laudano abſtineamus, niſi moleſtiſſima illud exigant ſymptomata, quemadmodum etiam medici in fluxu alvi aliis nequicquam proficientibus, tanquam extremum remedium, præſcripſerunt uſum *Laudani opiati* etiam in ſatis magnâ doſi.

Hoc pacto mihi videor praxi convenienter, ab uſu auctorum & etymologiâ non abhorrentia, diverſis affectibus distincta impoſuiſſe nomina. Quanti autem uſus ſit hæc accurate percepiſſe, practicis ego veris conſiderandum relinquo. Differunt enim indicationes, differt medendi methodus, quod è ſequentibus adhuc magis evadet manifeſtum. Non agam hoc capite de Lethargo & Apoplexia aut Catalepſi; hos enim affectus ſingulos ſuis locis deſcripſi, juxta ordinariam praxeos methodum, ſed tantum de Comate & Caro breviter, quandoquidem è ſuperioribus jam aliquomodo innotuerunt. Concluſio.

Eſt

Comatis vigilis deſcriptio.

Eſt igitur Coma vigil *inſignis in ſomnum propenſio, cum moleſtâ veluti expanſione cerebri & æſtu, nullo interim ſubſequente ſomno, vel exiguo abſque levamine.*

Cauſa.

Cauſa eſt preſſio ſanguinis nimia, cum ejuſdem particularum motu inteſtino rapido, & febrili expanſione vaſorum, per meninges & cerebrum, diſperſorum. Ab expanſione illâ & æſtu oritur ſpirituum animalium agitatio vehemens, moleſtas producens vigilias. Obſervatu digniſſimum eſt, febrilem æſtum ſatis moleſtum ſentiri in corporis extremitatibus manibus, pedibus, capite. Id ex eo contingit, quod arteriarum plurimæ & minimæ ibi reperiantur propagines, quæ ſanguinem, vehementer preſſum, non ſatis prompte transmittunt; difficultas illa tranſitus expanſionem, pulſationem, æſtum producit. Quando impetus ſanguinis verſus caput fertur, non eſt mirum, ſi membranarum cerebri vaſa expandantur, adeoque moleſtia, dolor, vigiliæ producantur. Putem ego Coma vigil viam ſternere ad ſiderationem cerebri, cujus Hippocrates non ſemel meminit ſub nomine σφακέλȣ & σφακελισμȣ͂ τȣ͂ ἐγκεφαλȣ͂ ex gr. II. de Morbis c. v. §. xx. R. xxxiii. 2. Ubi tamen per σφάκελον non oportet intelligere affectum gangrænâ graviorem, uti nunc fieri ſolet, verum gradum ad gangrænam, uti rectè in *Oeconomia* obſervavit *Foëſius*. *Hippocrates* rationem reddens quare in hoc caſu ſanguis è naribus fluat, utitur vocabulis quæ explicationem, à me propoſitam, confirmant. Ita enim ait: ὅταν ȣ͂ν θερμανθῶσιν αἱ φλέϐες, καὶ τὸ αἷμα ἐν αὐτῇ σȣζέσῃ, διαδιδȣ͂σιν αἱ μὲν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐς τὰς ῥῖνας, αἱ δὲ ἀπὸ τῆς ῥάχιος αἱμόῤῥοοι ἐς τὸ σῶμα. II. de morbis v. §. 19. Vide quoque *ibid.* viii. 4. Narrat *Gabelchoverus* è *Volchero Coitero* hiſtoriam diſſectionis fœminæ è phrenitide mortuæ, quæ non tantum ea quæ ſuperius diſputavi de Phrenitide confirmat, ſed & aliquam lucem huic affectui afferre poteſt. Nempe dum ſerra cranium removebatur, aqua loturæ carnium ſimilis effluxit. Membrana tenuis & plexus choroidis vaſa aquoſo & pituitoſo ſanguine turgebant. *Gabelchoverus* Centuria v. *obſ.* 48. Fortè Phrenitidem præceſſerat Coma vigil.

Differentiæ.

Differentiis non niſi paucis affectum hunc gaudere exiſtimo, iiſque

iiſque à circumſtantiis petitis. Nempe Coma vigil vel viros vel fœminas, juniores vel ſeniores, virgines, prægnantes, vel puerperas divexat. Symptoma hoc etiam vel gravius vel levius ægrotos affligit. Poſſet aliquis exiſtimare me debere addere hanc differentiam, quod detur Coma cum delirio, quandoquidem auctores ajunt comatoſos loqui & delirare. Ego autem longè aliter judico, & affirmo, comate vigili laborantes non delirare. Ratio eſt, quia Coma vigil diſtingui debet à Phrenitide, non poteſt autem diſtingui, niſi delirium ſtatuam Phrenitidi proprium. Uterque affectus eſt ſymptoma febrile: uterque affectus adjunctum habet inſignem æſtum & agitationem ſpirituum animalium: in utroque affectu adeſt loquela ſolita major, differentia in eo conſiſtit, quod comatoſi non delirent. Hinc in ſuperioribus dixi Coma aliquando Phrenitidem præcedere: tam diu enim debet moleſta illa cerebri expanſio, cum vigiliis conjuncta, dici Coma vigil, quamdiu delirium abeſt, accedente autem delirio, non eſt amplius Coma, ſed Phrenitis. Et hanc ego putem fuiſſe cauſam, quare ſymptomata hæc ab auctoribus confuſè fuerint tradita hactenus. Longè fallitur etiam *Williſius*, quando Coma diſtinguit in morbum ſolitarium, & ſymptoma febris, Phrenitidis & Lethargi. Numquam Coma vigil eſt morbus ſolitarius. Semper eſt ſymptoma febrile. Differt à Phrenitide aliquantulum, à Lethargo quam longiſſimè diſtat. Deſcriptio ejus etiam claudicat.

Signa per ſe patent, vel planè non dormiunt, vel ſi dormiant, ſubitò & turbulentè ſomnus excutitur. Conqueruntur ægri de vigiliis, & expanſione cerebri moleſtis, cum tamen non poſſint, vel non auſint capere ſomnum. Oculis conniventibus ſomnum captare, non eſt ſignum diagnoſticum hujus morbi, cum illud in vigiliis protractis & Phrenitide quoque ſæpius accidat. Aliud ſignum ego obſervavi maximi momenti, & meam admodum confirmans ſententiam, nempe vaſa oculorum ſanguinea eſſe admodum tumida. Si enim vaſa hæc minima adeo repleantur & intumeſcant, non malè concludimus illud in vaſis, per meninges copioſe diſperſis, etiam obtinere. Non neglexit hoc ſignum *Frambeſarius*, atque inter ſigna plethoræ retulit, tenſionem vaſorum plenorum è copia ſan- Signa.

guinis turgentium, oculis manifestam. *Canon. Med. l.* 1. §. 15. Eadem fere habet *Sennertus* in institutionibus. Verum illi tantum respiciunt signa plenitudinis quæ in sanis observantur, ego id, quod in Comate vigili, diligenter attendendo, ipse observavi.

Prognosis. Prognosis hoc modo institui potest, quod sit symptoma admodum periculosum, quandoquidem pars princeps, qualis est cerebrum, ejusque vasa, vehementer afficiuntur. Sæpe est prodromus Phrenitidis, Convulsionis, Cari. Periculum autem tanto est gravius, quanto majorem febris habet conjunctam malignitatem. Rectissimè *Sennertus*, & principiis meis convenienter, affirmavit, hoc symptoma præcipuè in febribus malignis accidere.

Indicationes Indicationes in hoc affectu sunt, expansionem molestam vasorum cerebri tollere, spirituum motum nimium sedare, sanguinis impetum à cerebro derivare.

Cura. Cura expansionis nimiæ vasorum cerebri, à nimia sanguinis pressione ortum ducens, præcipuè exspectanda est à V. S. quæ etiam omnino, nullâ interpositâ morâ, nisi quid impediat, instituenda est. Quâ enim aliâ ratione huic occurras? Num temperantibus, diluentibus, refrigerantibus? Verum hæc remedia sunt minus efficacia, quam ut tantum morbum superare valeant. Num attenuantibus, incidentibus, volatilibus, quibus in omnibus ferè morbis quidam utuntur? Atqui illud est oleum camino affundere. Num sudoriferis, hypnoticis, narcoticis? Illa quidem essent præstantissima, verum sudorifera sola non sufficiunt, conjuncta cum opiatis non ferunt ægri, nisi præcesserit V. S. *Sennertus* eam repetendam esse vult, & jubet venam in pede revulsionis gratiâ aperiri. In morbis malignis eam cautè instituendam esse satis notum est; *Gabelchoverus* tamen eam quoque in morbo Hungarico laudat l. 1. §. 8. cujus hæc sunt verba: *Error Ungaros & Germanos invasit, in Synocho & febre ardenti* (hoc est, in suo morbo Ungarico appellato) *venæ sectionem non admittere: qua PRÆSTANTIUS REMEDIUM NULLUM in eo morbo sub sole est, præsertim apud eas nationes plethoricas. Non igitur te deterreat vulgi per Ger-*

ma-

maniam & Ungariam MALE FUNDATA OPINIO, & quorundam Recentium Medicorum &c. *Forestus* in eandem scripsit sententiam *l.* x. *ob.* 34. *in Scholiis: Hujus mali curationem etiam descripsit* Joannes Arculanus, *& potissimum in eo commendat venæ sectionem* &c. loquitur autem de Comate vigili. Confirmatur hæc sententia ab eodem. Is puerperæ debili & Phreneticæ, adeo ut lecto contineri non posset, postquam tres à partu septimanæ præteriissent, ac benè purgata esset, venam secari jussit cum insigni successu. *Vid. l.* x. *obs.* 5. Si in puerperâ debili, ubi jam Phrenitis supervenerat, V. S. cum insigni emolumento fuit instituta, multo magis ea convenit, in usum vocata antequam morbus ad hanc pervenerit ἀκμήν.

Nimia vasorum expansio etiam compescitur medicamentis æstum temperantibus. Cum enim expansio à pressione & æstu originem ducat, si æstus temperetur, illa quoque imminuetur. Horum ideo insignis est usus in hoc affectu, quandoquidem & sitim temperant, & sudoriferis vehiculum præbent. Cum autem in superioribus horum facta sit mentio, non opus est huic negotio immorari. *Hieronymus Ochus Rizettus*, de Febribus malignis vulgaribus, illas conficit ex aquis stillatitiis *Sonchi. Endiviæ, Cichor. Acetos. Epatic.* (possunt eædem & similes herbæ etiam decoqui) *quibus perpetuo permiscet quædam diaphoretica*, & *Syrupos de Agresta, de Pomis*, è succo *Limonum*, *Acetosum* s. Vult autem, ut sint cum Saccharo albissimo confecti. Addit: *Incumbendum medico valde est, in medicamentorum munditie, venustate & jucunditate, ad hoc ut visui ac gustui satisfacientes, ægrum adinveniat obedientiorem, quod in Syrupis intendendum est præsertim.* &c. Et paulo post *pag.* np. 269 subjicit. *Quod si nobilius atque efficacius parare tibi placeat medicamen, pro Syrupis extracta saccharizata adhibebis, quæ tibi sic parabis. Poma hæc vel illa frustulatim divisa, super patinam in fundo perforatam, per stratum super stratum apposita, Saccharo fino subtilissimè pulverisata abunde cooperies. Ex hac in loco subterraneo atque humido reposita destillabit, in receptaculum, subtus positum, limpidissimus liquor, odorem ac saporem pomi referens perquam jucundum, qui in refrigerando & siti compescenda excellens valde est. Sic æque tibi parabis ex mali Punici granis, ac citran-*

Æstum temperantia.

gulis exteriori atque interiori cortice nudatis ſeminibuſque demptis, ne alioquin liquor amarore ſuffundatur. Hoc monitum non eſt ſuſque deque habendum; nam niſi Pharmacopæus ſit ſedulus & attentus, facilè fermentantur Syrupi, quæ ratio me coëgit ſæpe abſtinere à Syrupis, ne ægris meis moleſtus eſſem, aut nocerem. Lubet adſcribere duas *Dolæi* formulas; hic enim rectius de Comate vigili ſentit, affectum eundem ſtatuens cum pervigilio, à quo revera ſæpe non multum diſtat. Ipſe affirmat ſe ſequentem Julebum magno cum ſucceſſu exhibuiſſe.

℞. *Aq. Verben.* ℥iv.
Endiv. Lactucæ.
Roris Vitrioli.
Syr. Roſar. aa ℥jß.
M. F. Julepus, pro aliquot vicibus.

vel ℞. *Aq. Plantag.* ℥v.
Papav. err. ℥iij.
Acet. Stillat. ℥j.
Syr. Cydonior. ℥jß.
Tartar. Vitriolat. ʒij.
M.

Foreſtus refert ſe puellam, apud Cereviſiarium è Comate vigili decumbentem, & ſimul febricitantem curâſſe V. S. ex vena media. Applicuerat autem oxyrrhodinum fronti, poſtquam irritâſſet alvum glande acutâ. Propinaverat etiam Julebum ſequentem:

℞. *Aq. Meliſſ. Betonic. Cichor. aa* ℥iij.
Fœnic. Endiv. aa ℥j.
Syr. de Byzant. de Cichor. cum Rhab. aa ʒjß.
Capill. de Hyſſop. Borrag.
Oxymell. ſimpl. aa ℥ß.
M.

Dein hoc modo purgaverat:

℞. *Diaphœnic. el. è Succo Roſar. aa* ʒiij.
Aq. Borrag. Fumar. Betonic. aa ℥j.
Syr. de Betonic. ℥ß.
M.

Quamvis hæ formulæ à meâ & hodiernæ praxeos methodo mul-

multum diſtent, nolui tamen omittere eas, ut conſtet curandi rationem, à me deſcriptam, & adhuc deſcribendam, non malè quadrare cum iis, quæ in praxi obſervata ſunt.

In hoc ſymptomate puto etiam multum profuturas acidulas vulgares. *Lotichius* hoc modo præſcripſit:

℞. *Rob. Ribium.* ℥iij.
Aq. fontan. limpid. (*fortè* ℔ij.)
Sp. Vitriol. q. ſ.
ad grat. acid.
M. pro Julebo.

Verum quandoquidem Coma vigil febrile eſt ſymptoma, & gravius affligit quando febres ſunt malignæ, expanſio & æſtus optimè imminuentur ſudoriferis. Recte illud olim obſervavit *Schmitzius* cujus hæc ſunt verba: *Cum ſemper ferè ingruat cum febre maligna, præter ejus curationem malignitas & venenum expugnandum, revellendum, roborandum* &c. Conveniunt in hoc caſu. *C. C. ſp. ppt. Unicornu, Lapis, Bezoar. or. & occid. Terra ſigillata, Bolus Armena, Acetum ſtillatitium, Rutaceum, Calendulæ, Sambucinum, Succus Limonum, Sp. Nitri, Salis, Vitrioli, Antimonium diaphoreticum, Bezoardicum minerale, Sal prunellæ, Card. Bened. Abſinth.* Laudantur etiam *Acetum Prophylacticum, Bezoardicum* &c. Verum quandoquidem deſcriptiones non ſunt admodum concinnæ, juvat ſubjungere ſequentem.

ACETUM BEZOARDICUM.

℞. *Flor. Sambuc. m.* iv.
Calend. m. ij.
Fol. Ruth. m. j.
Bacc. junip. ℥ß.
Pomum Citri minime putridum no. j.
Aceti vini ℔vj.

Infundantur & inſolentur in vaſe tecto, non tamen clauſo, per menſem, colatura ſervatur uſui.

Ex hiſce & ſimilibus variæ poſſunt componi formulæ. Sequens eſt *Rolfincii.*

℞. *Corall. rubr. ppt. Margarit. ppt. aa* ℈ß.
Antimon. diaph. Bezoard. min. aa gr. ij.
Aq. Borrag. Scorzoner. aa ℥j.
Syr. Acetos. Citri. ℥ß.
M. F. Potio.

Varias formulam habet *Diemerbroekius* de Peſte l. III. c. 5. inter quas eſt pulvis ſequens,

℞. *Pulv. liberant.* ℈j. vel ℈jß.
Lapid. Bezoar. or. ℈ß.
Camphor. gr. ij vel iij.
F. Puvis.

Laurentius Donkers affirmat, ſe in morbis Petechialibus ſæpe cum optimo ſucceſſu hunc exhibuiſſe pulverem:

℞. *Sal. Prunell.* ʒß. *vel* ℈ij. *aut.* ʒj.
Oc. Cancri ppt.
Camphoræ aa ℈ß.
Sacchar. perlar. ℈j.
M. F. Pulvis ter quaterve exhibendus cum *Aq. Card. ben.* ℥iij. vel q. pl. & *aq. Cinnamom.* ʒij. cum *Sp. Vitriol.* q. ſ. manè ſc. & veſperi: interea temporis nihilominus ſemper, ſed in minori doſi, continuato uſu mixturæ, cujus hæc eſt deſcriptio:

℞. *Sal. prunell.*
Oc. Cancri ppt. aa ℈j.
Diaſcord. Fracaſt. ℈ij.
Syr. Papav. errat.
de Succo Citri aut Gran. acid. aa ℥ß.
Aq. Verben.
Prunell. aa ℥jß.
Roſar. aut Violar. ℥j.
Sp. Nitri aut Vitriol. q. ſ.
M.

Addendo ſi placet *Laudan. op. gr.* j.

Lotichius in ſimili caſu præſcripſit

℞. *Lapid. Bezoar. orient. gr.* xiij.
C. C. uſt. præp. ℈j.
Spec. liberant. ℈ß.
M. F. Pulvis ſubtiliſſimus.

℞.

℞. *Lap. Bezoard. or.* ℈ß.
Confect. Alkerm. spec. diamarg. fr. *aa* ℈j.
Trochisc. de viper. gr. v.
Aq. Card. b. Bugloss. aa. ℥j.
Cinnamom. ℥ß.
M. dilig. F. H. hydroticus.

Ad expansionem molestam vasorum cerebri non nihil possunt medicamenta externa capiti applicata. *Forestus* refert sese in usum vocasse oxyrrhodinum ex *aceto acerrimo*, *oleo chamomill.* & *rosac. Sennertus* monuit ultra triduum oxyrrhodina non esse continuanda. Non parum etiam prosunt animalia viva dissecta & capiti imposita. Æstus capitis hoc pacto imminuitur, transpiratio promovetur, facilior per vasa transitus procuratur. Quantum levamen afferant, è fœtore, quem brevi contrahunt, non obscurè colligitur. Vide *Platerum obs. p.* 93. Interim curandum, ut caput probè sit tectum, quandoquidem frigus externum difficilem reddit sanguinis transitum, unde tum major sequitur vasorum expansio.

Ad spirituum motum nimium sedandum, imprimis conducunt hypnotica & opiata, verum ea prudenter & cautè in usum sunt vocanda, ne è Comate vigili in Carum incidat æger. Oportet ut universalia, ubi ea requiruntur, præmittantur. Ut à minori dosi fiat initium. Ut diligenter animadvertatur, an ægrotus ea ferat, nec ne? Annotarunt auctores, Coma vigil oriri à medicamentis narcoticis, id quod ego facile concessero; etenim si in morbis inflammatoriis exhibeantur opiata ante celebratam V. S. non somnus, sed summæ excitantur angustiæ. Opiata si non inducant Coma vigil, saltem ægrotum conjiciunt in molestas & inquietissimas vigilias, aut somnum turbulentum. Vide quoque *Tillingium* monita utilia circa usum opiatorum proponentem. *p.* 292. Utilia hic sunt medicamenta à *Sylvio* ad dolorem ardentem præscripta. Spirituum motum sedentia.

℞. *Aq. Cichor.*
Acetos. aa ℥iij.
Syr. Diacod. vel
Papav. alb. ℥j.
Sp. Nitri gr. viij.
M.

℞. *Hord.*

℞. *Hord. mundat. ad crepat. cocti.* ℥jß.
Sem. Papav. alb. ʒiij.
Cucum.
Melon. aa ʒij.
Cum ejuſdem *Hordei decocto*,
F. Emulſio ad ℥xv. Add.
Julap. Roſar. ℥j.
M.

Potentior eſt ſequens, quam habet *Tillingius* in *Anchora ſalutis. p.* 295.

℞. *Amygdal. dulc.* ʒvj.
Sem. Papav. alb. ʒiij.
F. Emulſio cum *aq. Verben.*
Nymphea.
Violar. aa ʒiij. (malim ℥iij vel amplius)
Colat. Add.
Margarit. ppt. ℈j.
C. C. Philoſoph. ppt. ʒß.
Laud. op. gr. iv.
Sacchar. perlar. ʒiij.
M. in Mortario.

Non uno nomine in hoc caſu conveniunt Emulſiones: ſitim ſedant, æſtum temperant, ſomnum blandè alliciunt. Idem hoc modo præſcripſit.

℞. *Aq. Bugloſſ.* ℥iij.
Syr. Acetos. Citri. ʒiij.
Eſſ. Margarit.
Corall. Petri Fabri. aa gr. iv.
Aq. Narcoticæ Mynſicht. ʒij.
Ducantur in Mortario.

In caſu debilium, ubi opiata non niſi magno periculo intus ſumere licet, externe tamen ſine metu illa in partes vocabis: quæ inter magni facimus mixturam ſomniferam, quam Optimus parens noſter, Johannes Dolæus, *Pharmacopœus ſexagenario major, Conſul civitatis Francofurtenſis, multa experientia confirmatus ſalutiferam reperit, quæ ſequens eſt:*

℞. *Un-*

℞. *Unguent. popul. alabastr. aa* ℥ß.
Sanguin. hirund. ʒj.
Ol. nucis. M. *express.* ℥j.
Croci or. ʒj.
Opii dissolut. ʒjß.
Ol. sem. hyoscyam. express.
Papav. alb. express. aa ʒj.
M. F. Mixtura somnifera, cum corio, temporibus applicanda. Verba sunt *Dolæi l.* 1. *c.* 6.

Zacutus Lusitanus proponit Epithema, quo solo, tamquam, præsidio præstantissimo, quidam Phrenitide confirmata correptus, per integrum diem obdormiscens, refocillatis viribus, sanitatem integram est consecutus.

℞. *Rad. Mandrag.*
Hyoscyami
Sem. Lactucæ
Portulac.
Coriand. virid. aa ʒij.
Opii. ℈j.
Philon. Persic. ʒij.
Bulliant omnia in ℔iij. vini albi, ad consumptionem duarum partium, cola, serva.

Hujus vini sequens est usus quando æger quiescet, vel dormire cupit, sæpe naribus odorem suscipiat, & digitis in eo madidis nares intro illinantur, tota facies abluatur, plantæ pedum & volæ manuum laventur, quod si parum aceti vini permisceatur, erit præstantius. Vide quoque *Tillingium.* p. 295.

Dixi sanguinis impetum à cerebro derivandum. Fit illud potentissimè V. S. quia si sanguinis moles in universo corpore imminuatur, vires ejus & impetus versus cerebrum minuitur. Fit tamen illud aliquomodo, si irritatio excitetur in aliis partibus; observare enim licet in praxi, si in parte aliqua sit insignis dolor, aut irritatio, eò spirituum & sanguinis motum magis vergere. Enemata non tantum humectant intestina, adeoque æstui conducunt, sed & irritando spiritus versus has partes alliciunt & sanguinem. Eorum usus est insignis quando primarum viarum adest molesta repletio, hæc enim æstum au-

Sanguis impetum derivantia à cerebro.

augendo, ſomnum etiam abigere valet. Ita ego memini me, in ſimili caſu, ægroto præſcripſiſſe clyſterem, cujus tantus fuit ſucceſſus, ut, rejecto enemate, ſomnus ſequeretur placidus cum maximo levamine, quem fruſtra aliis medicamentis invitaveram.

℞. *Rad. Lilior. alb.* ℥j.
Fol. Violar. Malvæ.
Ruth. hortens. Mercurialis. aa m. j.
Fl. Chamomill. p. j.
Coq. ſ. a. *ex aq. pura* colat. ℥x. Add.
Elect. Diaprun. ſol.
Diacathol. aa ℥j.
Sal. com. ʒj.
M. F. Enema.

Riverius Lib. 1. *Praxeos Med. c.* 2. ubi de Comate & affectibus ſoporoſis agit, hunc præſcribit Clyſterem.

℞. *Fol. Parietar. Hyſſop. Calamenth. Origan.*
Salviæ, Ruth. & Centaur. min. aa m. j.
Sem. Cartham. ℥ß. *Fœnic. Cumin. aa* ʒiij.
Agaric. alb. in nodulo incluſ. ʒij.
Pulp. Colocynth. in eodem nodulo incluſæ. ʒjß.
Coq. ad ℔j. in colat. diſſolv.
Hieræ Picræ. ℥ß. *Diaphænic.* ℥j.
Ol. Rutacei. ℥ij.
F. Clyſter.

Item hunc cum *aqua benedicta.*

℞. *Decoct. Emollient.* ℔j.
Diaphœnic. ℥j
Aq. benedict. turbidæ. ℥iv.
F. Clyſter.

Potentius ſanguinis impetum à cerebro derivant purgantia; non tantum enim irritationem in prima efficiunt regione, ſed & bilis ac ſucci pancreatici ſecretionem & excretionem promovent. Interim memoria diligenter tenendum eſt, Coma vigil ſæpe eſſe ſymptoma febrium malignarum, in quibus, ut & variolis & morbillis, purgantia non ſemper ſunt tuta. Ubi autem nihil impedit ea in uſum vocare, exhibeantur ſtatim in principio; mor-

morbus enim eſt acutus, & periculum in morâ. Ego non ſemel ſtatim à V. S. horulæ unius tantum interpoſito ſpatio, præſcripſi purgans, cum inſigni ſucceſſu. Monet quoque *Riverius* medicum non debere eſſe cunctabundum.

℞. *Fol. ſenn. mund.* ℥j.
Tartar. Rhenan. alb.
Rhei elect. aa. ʒß.
Sem. fœnic. d. ℈j.
Bulliant leviter in *decocto Tamarind.*
In colat. ℥iij. diſſolv.
Mannæ Calabrin. ℥ß.
M. F. Hauſtus.

Quidam amant *pulverem Cornachini*, cui tamen ego non adeo faveo; obſervavi enim operationem ejus non eſſe ſatis blandam. Malim ego *Electuarium Cholagogum Sylvii* medicamentum gratum, lene & efficax. ex gr.

℞. *Elect. Cholagog. Sylv.* ʒijß.
Sal. Prunell. ℈ß.
Aq. Betonic. q. ſ.
M. F. Hauſtus.

In Comate vigili commendantur quoque vomitoria. *Samuel Formius* refert, ſeſe filiam *D. Ludovici* octo annos natam, Comate detentam, cum convulſionibus frequentibus, reſtituiſſe exhibendo cum juſculo *Vitrioli albi.* ʒj. Vomitu excitato ilico liberata eſt. Eodem modo filio hortulani ſex annos nato exhibuit Aquæ *Bened. Ruland.* ℥ß. Supra & infra fuit purgatus, & ab affectu liberatus. Plures tales refert obſervationes, quæ apud *Riverium* videri poſſunt. *Dolæus* vomitoriorum catalogo adſcripſit *ſapam antimonii*, *Tartarum emeticum*, *vinum emeticum* ſuum; verum rectè monet, cum cautela eſſe exhibenda fortiora.

Sanguinis impetum à cerebro quoque derivant Cucurbitulæ tum humidæ tum ſiccæ, quæ ſcapulis, dorſo, natibus & cruribus affigi poſſunt. Si itaque vena quidem fuerit ſecta, non tanta tamen quantitas evacuata, quanta neceſſe fuerat, & animus ſit derivare impetum ſanguinis, id cucurbitularum ope fieri poteſt. Cucurbitulæ.

 Ei-

Vesicatoria

Eidem usui quoque inserviunt vesicatoria variis corporis partibus admota, cervici, scapulis femoribus, nolim tamen ea excitari nimis dolorifica, quandoquidem hoc modo somnus parcior magis adhuc abigitur. Aliud est in Apoplexia aut Caro, aliud in Comate vigili ea in usum vocare.

Lotiones pedum.

Quamvis non ita fortiter derivent, magni tamen usus sunt in hoc casu lotiones pedum. Hujusmodi descriptionem habet *Hartmannus*,

℞. *Folior. Salicis*, *Lactucæ*
Nymphea, *Violar. aa m.* j.
Chamomill. Betonic. aa m. ß.
Capitum papav. alb. sine semine no. vj. vel vij.

Incisis capitibus reliqua bulliant in aqua fluviatili.

Hoc decocto primum madefiant tempora & manus, sponte exsiccandæ: tandem pedes per ἐγκάθισμα abluantur: somnum jucundissimum producit, præsertim si aliquot diebus vesperi ante ingressum lecti illud usurpetur. *Franciscus Hildesheim* in specilegio de Morbis Cerebri & Capitis, ubi de Comate vigili agit, varias habet formulas lotionum pedum. ex. gr.

℞. *Rosar. Rub. & alb. Nenuph.*
Violar. aa m. iß.
Melilot. Chamomell. Anethi,
Malvæ aa m. iiß.
Farfar. Lactucæ, *Betonic. aa m.* j.
Cort. rad. Mandrag. ℥vj.
Capit. Papap. alb. no. x.

Incisa dentur in charta &c.

Possunt quoque suppedanea pedibus applicari, præcipuè si facies insigni rubore candescat. Tale describit *Diemerbroequius*.

℞. *Fol. Petasitid.*
Ruthæ. aa m. j.
Contundantur minutim in mortario Add.
Fimi Columbin.
Ferment. acid. aa ℥iß.

Sal.

Sal. com. ℥iij.
Acet. Rosac. vel Sambucini q. s.
F. Suppedaneum.

Non est necesse de diæta hic multis agere, cum ea conveniat cum diæta vigilantium & Phræneticorum. Inter hos affectus est quædam convenientia, ita tamen ut revera distingui possint, id quod etiam observavit Dolæus, qui in fine capitis de Comate vigili rectissime monet: *Somnus omni opera est inducendus, ne æger in Phrenitidem incidat.* Diæta.

Coma somnolentum *est somnus profundior absque insigni febri, à repletione, sanguine magis premente exteriorem cerebri corticem, nec non spiritibus torpidioribus productus.* Comatis somnolenti descriptio.

Dixi esse somnum profundiorem, in hoc differt à Comate vigili, in quo ægri vigilant: absque insigni febre, in eo differt à Caro & Comate vigili in quibus somnus & vigiliæ symptomata sunt febris. Differt etiam ab Apoplexia, in qua est sensuum internorum & externorum abolitio repentina, cum resolutione membrorum: adeo ut Apoplexia sit gravior Comate somnolento, ac etiam subito invadat, quod in Comate non est necesse. Potest tamen Coma quam proximè accedere ad Apoplexiam, quando scilicet ab usu opii ægri subito exspirant. Adeo ut omnes somni præternaturalis species absque manifesta febre debeant ad Coma somnolentum referri. Ea explicatur.

In descriptione tres præcipuè causas tetigi, sc. repletionem, sanguinem vasa prementem, & spiritus torpidiores. Repletio habet locum plethora, aut quando quis ex ebrietate in Coma incidit; tum enim à repletione & dilatatione vasorum producitur Coma. Sanguis magis premens cerebri corticalem substantiam, imprimis habet locum in senibus, qui in somnum hunc incidunt, & ore hianti dormiunt: spiritus torpidiores locum habent imprimis in Comate à narcoticis producto, in iis qui à febre sunt immunes. Si enim distincte loqui velimus, sopor à narcoticis productus variis debet gaudere nominibus, pro vario ægrotorum statu, qui abusi sunt opio. Si enim hi ferè sint sani & ita incidant in soporem, tum propriè dicendi sunt Comate laborare, si febre acutâ la- Causæ.

borent & incidant in ſomnum, dicendi ſunt Caro laborare, ſi febris ſit minor & expergefacti reſpondeant ad interrogata, atque iterum in ſomnum labantur, dicendi ſunt laborare Lethargo. Tres hæ cauſæ ſæpe concurrunt, ex. gr. in ebrietate gravis adeſt eſt repletio vaſorum, & depreſſio cerebri, & ſpiritum animales torpidiores: id quod de ebrietate dixi, ſimiliter intelligendum eſt de Comate à plethora originem ducente. Utile tamen eſt diſtinctè has cauſas animadvertere, quandoquidem diverſæ hinc oriuntur indicationes. Nolim generationis modo multum immorari, quandoquidem in capite de Lethargo de hac materiâ fuſius ſum diſputaturus. Interum quemadmodum hæ cauſæ, id quod præcipuè reſpiciendum eſt, explicant, tamen poteſt in hoc caſu concurrere cerebrum flaccidum, aqua vel ſerum cerebrum ejuſque ventriculos copioſius irrigans. Exempla in *Boneti ſepulchreto* ſunt obvia. A ſero in univerſo corpore redundante, ſopor in Iſchuriâ originem ducit.

Differentiæ. Diſtinguunt auctores Coma tam vigil quam ſomnolentum in idiopathicum & ſympathicum. Verum ſi accuratè loqui velimus, hæ diſtinctiones examen ſuſtinere non poſſunt. Quantum enim ad Coma vigil, illud ſemper cenſeri debet idiopathicum, quandoquidem ad eſſentiam ejus requiritur moleſta diſtenſio vaſorum cerebri, cum inſigni æſtu. Nec refert, quod hæc diſtenſio à ſanguine fiat, quum cerebrum ſine ſanguine munia ſua obire nequaquam poſſit. Corpus ſanguine deſtitutum cadaver eſt, cerebrum, vitâ ſuperſtite, ſanguine carere non poteſt. Itaque cerebrum per ſe afficitur, quandoquidem afficitur ab eo, quod ad ejus eſſentiam omnino requiritur. Exiſtimare autem ſympathicum Coma eſſe dicendum id, quod à febre malignâ dependet, abſurdum eſt, quandoquidem nullum aliud datur Coma vigil, quam id quod à febre excitatur; ſi ergo hoc ſit ſympathicum, omne coma erit ſympathicum, quia nullum aliud datur. Apertum ergo eſt, hanc diſtinctionem Comatis eſſe imaginariam, quandoquidem omne Coma vigil ejuſdem eſt generis. Quod ſi quis exiſtimet, Coma vigil eſſe dicendum ſympathicum, quando dolores aliarum partium, aut inflammationes, vigilias producunt continuatas, is non videtur ſatis diſtinxiſſe vigilias protractas à comate

mate vigili. Dolores & inflammationes aliarum partium facilè ſomnum excutere poſſunt, non ita facile producere Coma vigil, quia in hoc moleſta expanſio adeſt vaſorum cerebrum ejuſque membranas perreptantium: adeoque, niſi impetus ſanguinis verſus cerebrum, cum moleſtâ diſtenſione, & ſpirituum agitatione, adſint, non eſt Coma vigil dicendum; ſed vigiliæ tantum protractæ. Si autem hæc adſint (quod tamen rarius exiſtimem fieri, quoniam impetus ſanguinis verſus aliam partem vergit) Coma vigil idiopathicum dicendum eſt. Eſtque morbus à morbo. Quæ hactenus dixi, ex eo confirmantur, quod Coma ſomnolentum ſympathicum à vaporibus genitum, diſtinguant à Comate, à ſanguine, non uno modo, generato. Coma ſomnolentum idiopathicum juxta auctores igitur oritur à ſanguine, proinde Coma vigil à ſanguine etiam dicendum eſt Idiopathicum. Coma autem ſomnolentum à vaporibus nullum datur, quandoquidem nulli vapores ad cerebrum penetrant. Erit ergo Coma ſomnolentum ordinarie idiopathicum, niſi ſympathicum placeat appellare illud, quod in ſenibus cum languore viſcerum, & concoctionis debilitate locum habet; ita enim ſanguis evadit ſenſim minus aptus circulationi per cerebrum ſatis promptè abſolvendæ; verum improprie hoc fit, quandoquidem Coma hoc non à ventriculo, ſed à ſanguine pendet. Ille ſopor, qui locum habet in ægrotis Iſchuriâ laborantibus, & quem ego ad Coma ſomnolentum retuli, poſſet dici ſympathicus, quandoquidem non à ſanguine, nec cerebri aut ſpirituum animalium vitio oritur, ſed à ſero in univerſo corpore redundante, propter impeditam ejuſdem vel ſecretionem vel excretionem. Verum & hoc idiopathicum melius habetur, cum ſomnus non ante obrepat, quam ubi cerebrum ipſum à ſero inundatur. Si Coma ſomnolentum oriatur à lumbricis, uti ſcripſit *Riverius*, illud fortè dicendum eſſet ſympathicum. Reliquæ Comatis ſomnolenti differentiæ à circumſtantiis ſunt petendæ. Aliud nempe eſt gravius, & fere ad Apoplexiam accedens, aliud eſt levius. Aliud eſt puerorum, à lumbricis, uti exiſtimat *Riverius*, aliud eſt adultorum, aliud ſenium. Aliud ſenſim ingraveſcit, aliud repente ægrotum in ſummas conjicit anguſtias, & ad Apoplexiam

plexiam accedit Aliud in ſomnum graviorem aliud in leviorem tantum conjicit ægrotum. Ex alio ægroti excitati reſpondent, ex alio vero non excitantur, nec ad interrogata reſpondent. Reſpectu cauſarum, aliud oritur ab ebrietate, aliud ab aſſumptis narcoticis, aliud à ſanguine glutinoſiore, & ſpiritibus languidis: aliud à ſero redundante, & cerebrum premente. Faciunt quoque auctores mentionem ſomnolentiæ, & ſoporis gravis Scorbutici, qui nomine comatis ſomnolenti rectè donari poſſunt: quamvis *Charletonus*, *Williſius*, *Eugalenus* plures ſpecies deſcribant, *Eugalenus* nomine Cari. *Williſius* nomine Lethargi tertiam Cari ſpeciem mihi dictam intellexit. Cauſa eſt ſanguis & ſpiritus languidi ſcorbutici.

Signa. Signa ex jam enarratis manifeſta ſunt, dormit aliquis, vel ſaltem in ſomnum eſt valdè proclivis, abſque febre manifeſtâ. Ut veræ cauſæ eruantur, oportet conſiderare an aliquis repente in ſomnum inciderit? An aliquis vino aut ſpiritu vini ſit abuſus? An opio vel medicamentis opiatis fuerit uſus? An ſenſim imbecillior redditus, in commatoſum inciderit affectum? An Iſchuriâ laboret? An diſpoſitio ſcorbutica ſomnolentiam hanc producat?

Prognoſis. Prognoſis ita inſtitui poteſt; Coma univerſaliter loquendo eſſe periculoſum; afficitur enim cerebrum pars princeps. Hippocratis effatum *Aph.* 1. ſ. 2. ita habet. Ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον. Coma aliquando Lethargum, aut apoplexiam &c. præcedit. *Mercatus* non male l. 1. c. 12. Coma tanquam præludium Lethargi conſiderat. Levius facilius ſuperatur, gravius difficilius. Coma puerorum non eſt adeo periculoſum, atque illud, quod ſenes vel decrepitos infeſtat. Facilius ſuperatur, quod ab ebrietate, quam quod à ſenio, ſanguinis prava diatheſi, & ſpiritibus languidis, aut diſpoſitione ſcorbuticâ ortum habet.

Indicationes. Indicationes generales ſunt, excitare ægrotum, & cauſas ſomni tollere.

Cura. Cura perficitur admovendo naribus fœtida, ſalia volatilia, olea ſtillatitia: *Sp. Sal. Armon. Sal. Volat. Fulig. C.C. Ol. Succin. Therebinth. Spicæ.* Quod ſi per os horum aliquot guttulæ, cum liquore appropriato, exhiberi poſſint, tanto facilius voti

fiet

fiet compos medicus. Horum non tantum inſignis eſt uſus, ut excitentur ægri, ſed & medicus hinc de gravitate affectus & periculo rectius judicat. Si enim ab odore admodum penetrante vix, aut ne vix quidem afficiatur æger, ſignum eſt, ipſum periculoſè decumbere, ſin autem ſtatim expergefiat, hinc colligitur, non ita graviter affici patientem. Præſcribi poteſt hæc, aut ſimilis mixtura:

℞. *Aq. Ruth. Betonic. Meliſſ. aa* ℥j.
Aureæ Lang. ʒvj.
Tinctur. Caſtor. ʒij.
Sp. Sal. Armon. g. xv.
Ol. Succin. g. viij.
M.

Timæus in Caro, quod ego Coma dixerim, ſequentem præſcripſit mixturam,

℞. *Aq. noſtr. Cephalic. calid.* ℥iij.
Apoplect. Heinii. Carbunc.
Cinnamom. aa ℥j.
Sp. Lilior. convall. meliſſ. aa g. xiij.
Ceraſor. nigr. ℥ß.
Rotul. man. Chriſt. perlar. ʒij.
M.

Ad excitandum ægrotum, utile quoque eſt ejuſdem Enema:

℞. *Herb. Mercur. Origan. Centaur. min.*
Puleg. Calaminth. Beton. aa m. ß.
Sem. Cartham. in pet. ligat. ʒvj.
Agaric. in pet. ligat. ʒiij.
Fl. Stæchad. Arab. ʒij.
Inciſa & conquaſſata Coq. ex ſ. q. *aq. ſimpl.*
℞. *Colat.* ℥x. *Elect. hieræ ſ. Hieræ*
Longad. Bened. Laxat. aa ʒiij.
Ol. Rutac. ℥j.
Chamom. Aneth. aa ℥ß.
Sal. Gemm. ʒj.
M. F. Enema.

Sternutationes in ejuſmodi caſibus eſſe neceſſarias monuit *Hartmannus*, itaque in curationibus iſtorum morborum ſæpius provocandas.

Timæus, modo laudatus, granum unum aut alterum pulveris ſequentis naribus per calamum juſſit inſpirari.

℞. *Hellebor. Alb. Caſtor. Pip. alb. aa* ℈j.
Ol. deſtill. Ruth. Majoran. Salv. aa gr. ij.
M. F. Pulvis ſubtiliſſimus.

Quod ſi ventriculus ſit repletus, etiam exhiberi poteſt vomitorium: vehemens illa corporis concuſſio multum valet ad diſcutiendum ſomnum, verum prudentiâ opus eſt, ne in gravius malum conjiciatur æger.

Ab ebrietate. Si ab ebrietate originem trahat Coma, nec ſit admodum vehemens, diſcuſſâ crapulâ diſcutitur Coma. Sin autem ſit vehementius, eodem modo procedere oportet, atque in Lethargo, aut Apoplexiâ poſtea docebitur.

Ab aſſumpto narcotico. Si ab aſſumpto Narcotico ſubſequatur profundiſſimus ſomnus, danda eſt opera, ut illud quamprimum rejiciatur medicamento vomitorio: ſin autem illud jam per corpus diſtributum ſit, omni ope in id incumbendum, ut æger excitetur, quemadmodum poſtea, in capite de Apoplexia, docebitur. Si autem parvâ tantum quantitate ſit aſſumptum, & ægri mediocriter dormiant, illud ſæpè maximum præſtat emolumentum, adeoque is ſomnus interrumpendus non eſt.

A ſanguine effœto. Si autem à ſanguine effœto, cerebrum magis deprimente, ortum habeat Coma ſomnolentum, uti in ſenibus contingit, examinandum, num ſimul nimia adſit repletio, id quod ſæpe contingit. Cum enim vigor illorum ſenſim langueſcat, cum humores reddantur acriores, appetitus ſæpe viget, ſatis avidè & copioſè nutrimentum capiunt, unde ſenſim ſanguis nimium capit incrementum, præſertim ſi ad motum & exercitium ſint ſegniores. Hinc ſæpe videas in manibus ſenum non tantum majores venarum propagines, uti in junioribus, ſed & minores ſenſim dilatari & reddi magis conſpicuas. Hæc eſt cauſa quare in Coma ſomnolentum, Lethargum, Apoplexiam, Paralyſin non raro incidant. Si ergo talis repletio adſit, omnino ſecanda eſt vena, & ſanguis vel majori, vel minori quantitate, virium & repletionis habita ratione, educendus. Nec eſt quod quis V. S. in ætate ingraveſcente expaveſcat,

ubi

ubi ſc. adeſt repletio, cum natura aliquando hæmorragiâ excretionem moliatur cum levamine.

Quando autem juniores in ſomnum ſunt admodum proclives, vix ſedeant, quin in ſomnum incidant, nocte admodum profundè dormiant, experrecti adhuc ſint ſomnolenti, argumentum illud præbet ſatis manifeſtum, iſtos laborare è repletione. Itaque V. S. ſtatim huic malo occurrendum eſt, quod etiam unica aut iteratâ V. S. non rarò ſuperatur. A repletione.

Si ſanguis ſit glutinoſior, is corrigendus. Id fit, materiam tenacem primæ regionis evacuando, vomitoriis, purgantibus validioribus, blandioribus, aloëticis, pro diverſa circumſtantiarum ratione. Ex. gr. A ſanguine glutinoſiore

℞. *Maſſ. Pilul. Maſtichin.* ʒß.
Trochiſc. Alband.
Reſin. jalapp.
Sal. Armon. ſubt. pulv. aa gr. vj.
Cum *Elix. Prop.*
F. Pilulæ n. xij.

Harum pilularum poteſt aſſumere æger vel ij vel iij. vel iv. vel v. vel vj. vel vij. pro ut vel unicâ vice efficacius, vel pluribus vicibus per epicraſin evacuare eſt animus. Si duæ ſumantur, blanda ſequetur evacuatio, ſi ſex vel ſeptem, ſatis potenter purgabitur æger. Hæc ideo obſervâſſe non eſt inutile, ut ſciamus doſes medicamentorum tum purgantium, tum etiam alterantium, inſignem habere latitudinem, pro variâ medici intentione, pro vario ægrotorum ſtatu, temperamento, ætate, viribus, conſuetudine.

Sanguis glutinoſior quoque corrigitur, ſi ventriculus roboretur amaricantibus, antiſcorbuticis, aromaticis, chalybeatis. Formulæ poſſunt eſſe variæ, pulveres, pilulæ, vina medicata, aquæ vitæ, extracta, elixiria, conſervæ. Quandoquidem hujus loci non eſt de hac materia fuſe agere, unicam tantum aut alteram ſubjiciam formulam:

℞. *Rad. Calam. arom.* ℥ß.
Galang. min.
Cubebar.
Cinnamom. aa ʒij.

Concisa & contusa infundantur in *Sp. Vini* ℥xl. stent in infusione per xiv. dies, tum colentur, colatura servetur in vitro probè obturato.

Dosis ab ℥ß. ad ℥ij. post prandium vel cœnam.

vel ℞. *Extract. Trifol. aquat. inspiss.* ʒß.
Chalyb. cum Sulph. ppt. ʒj.
Ol. macis still. g. vj.
F. Pilulæ no. xx. pro iiij. dosibus.

Sanguis glutinosior quoque corrigitur, si particulæ magis crudæ, tenaciores, scorbuticæ incidantur, attenuentur & diluantur. Præstant illud, præter medicamenta modo laudata, imprimis decocta *Lignorum Guajaci*, *Sassaphras* &c. de quibus capite de *Lethargo* agam.

Eadem illa decocta spiritus animales segniores excitant, id quod etiam obtineri potest à medicamentis spirituosis, & sale volatili præditis, quorum in principio curationis facta est mentio. Quod si dispositio hæc sanguinis & spirituum scorbuto sit accepta referenda, in usum debent vocari imprimis medicamenta antiscorbutica. *Eugaleni* experientiâ constat, inter cætera, primum locum sibi *nasturtium aquaticum* vendicare. Vult autem illud intelligi, quod in claris & limpidis, non in putridis aquis, provenit. Hoc modo Coma levius superari potest, gravius, cum ad Apoplexiam accedat, eodem modo curari debet, ejus ergo cura è sequentibus est petenda.

Confirmatio. Libet ea quæ hactenus breviter dicta sunt illustrare & confirmare duplici observatione, altera quidem *Riverii*, altera *Foresti*. *Riverius* refert se puero 5 annorum præscripsisse clysterem ex *hiera*, *diaphænic. cum aqua benedicta*, quo multum purgatus est. Rejecto clystere exhibuisse *Sal. Vitriol.* ʒß. & paucis post horis liberatum esse.

Forestus habet observationem à se restituti ægroti, cui, post exhibitum *Oxymel. Scyllit.* & *Syr. de stæchade*, præscripserat has pilulas:

℞. *Pilul. Cochiar.* ℈ijß.
Castor. ℈ß.
Cum Syr. de Stæchad.
F. Pilulæ no. v. quibus alvus egre-

egregie turbata fuit. Demum exhibuit *Theriacæ* ʒj. vigil factus, est & è somno ad mentem rediit:

Restat ut breviter quædam de diæta adjiciamus. Aër sit purus & lucidus. De cibo & potu in paroxysmo graviori non opus est præcipere: nihil appetunt, nihil sumunt ægri. In leviori, aut extra paroxysmum, vitanda repletio, ebrietas, sumendi sunt cibi facilis digestionis, aromatibus conditi. Danda est opera, ut cibi probè dentibus comminuantur. *Vinum* generosum *salviatum*, *enulatum*, aut *absinthites*, modica quantitate, egregiè prodest, præcipuè in ætate provectiori. *Vinum lac senum.* Motum & exercitium, tum ad somnum discutiendum, tum ad sanguinem viscosiorem corrigendum, tum ad viscera roboranda, maximè commendo. Nocent excretiones suppressæ, alvus servetur libera. Animi pathémata, imprimis tristitia, vitentur, lætitia prodest. Diæta.

Carus est *sopor profundus, adeo ut ægri vix, aut ne vix quidem excitari possint, à sanguinis febrili orgasmo, spirituum dissipatione, ac virium defectu febribus gravioribus superveniens.* Hujus frequens apud *Hippocratem* fit mentio, verum diversâ enunciatione; aliquando enim dicitur, ἀφωνία, aliquando extasis, aliquando Coma, aliquando Carus, fortè etiam νάρκη, & ἀναυδία. Quamvis enim per ἀφωνίαν aliquando intelligatur Apoplexia, id non habet locum, ubi hæc febribus dicitur succedere, quemadmodum illud in Coacis §. 248. (conferri potest articulus præcedens) 253, 256. manifestum est. *Dietericus* in Narthecio recte monet (voce ἄφωνος) hoc vocabulo ἀποπλήκτους καὶ καρουμένους intelligi. Citat etiam *Hollerium*, qui docet *Hippocratem*, *nomine* ἀφωνίας *epilepsiam, apoplexiam, syncopen, cardiacam aliosque id genus affectus complecti, in quibus non solius vocis, sed sensus motusque, qui arbitrio fit, privatio est.* Ego addo *Hippocratem*, quando Apoplexiam, vel affectum repentinum significare vult voce ἀφωνίας, non uno loco adjungere παραχρῆμα, ἐξαίφνης. *Aph.* V. 5. VI. 51. VII. 58. Hac enim nota Apoplexia à reliquis soporosis affectibus distinguitur. *Galenus* Carum, de quo nunc agimus, pulchre Carus.

descripsit *Tom.V. p.m.* 190. quem locum in superioribus citavi. Mecum facit *Ætius*, *Paulus Ægineta* & *Avicenna*. *Paulus l.* III. *c.* 9. Lethargum à Caro distincturus, statuit & quidem rectissimè, Carum febribus vehementioribus succedere, his verbis: *καὶ ὁ κάρος δὲ τῆς αὐτῆς ὢν ὕλης τῷ ληθάργῳ τούτου διαφέρει, τῷ τὸν πυρεττὸν ἡγεῖσθαι μὲν τοῦ κάρου, καὶ σφοδρότερον εἶναι, ἕπεσθαι δὲ τῷ ληθάργῳ.* Quum *Avicenna* tractat. l. III. Fen. I. Tract. IV. c. I. de Subeth & somno s. Caro egisset. c. 3. de Cura Subeth & somni gravis, facti in febribus. Alia ergo est ratio curationis somni præternaturalis in febribus contingentis, distincta ab ea, quæ debetur somno absque febre. *Sennertus* quoque somnum profundum recenset inter symptomata Febrium, cum antea de Comate & Caro egisset inter capitis affectus. Somnus hic profundus revera est Carus aut *καρώδης* juxta *Hippocratem* & *Galenum*. *Feinejus* inter symptomata Febrium recenset capitis dolorem, soporem, ac mentis ignaviam, adferentem l. I. c. 18. *Pulverinus* etiam statuit Febrem præcedere Carum, cum Lethargus aliquando præcedat febrem, c. 8. Existimavit *Sylvius* somnolentiam in febribus oriri ab halitibus flatulentis: quamvis enim in eo erret, videtur tamen somnum, febrile symptoma, distinxisse ab aliis somni speciebus, de quibus tractat libro secundo, cum de somnolentia febrili egisset L. I. c. 29. §. 72. Recurrit quoque in explicatione Comatis somnolenti ad virtutem narcoticam, quam fatetur sese necdum posse explicare: in explicatione Cari, ad spirituum animalium dispositionem vitiosam L. II. c. 27. & 30. Ego putem ex iis, quæ dicta sunt, & adhuc dicentur, vim narcoticam satis manifestè elucescere.

Est somnus profundus.

Vidimus somnum hunc, quem nos Carum nominandum esse censemus, auctoribus non fuisse ignotum, *Hippocrati* plane cognitum. Videamus jam descriptionem in principio propositam: diximus Carum esse somnum adeo profundum, ut ægri vix, aut ne vix quidem excitari possint, & in hoc omnes vel plerique auctores saltem consentiunt, adeo quidem, ut fere cum Apoplexia confundant, uti in superioribus vidimus. Et revera Carus aliquando ita gravis est, ut ratione insensibilitatis ab Apoplexia non differat, etiam convulsiones habeat comites,

tes,

tes, in eo tantum eſt differentia, quod Apoplexia ſubito homines invadat, qui ſibi videntur ſatis ſani, eosque ſenſu & motu privet, cum Carum præcedat febris ſatis gravis, febris producat Carum, nec Carus unquam accidat, niſi illum comitetur febris; hinc dixi hunc febribus ſupervenire.

In deſcriptione tres cauſas enumeravi, quæ quamvis aliquando concurrant, diſtinctè tamen explicandæ ſunt, ut ſpecies Cari accuratius diſtinguamus, & productionis modum intelligamus. Cauſa ergo Cari eſt febrilis orgaſmus. Eſt enim non minus quam Phrenitis ſymptoma febrium, præcipuè acutarum, ac ſæpe Phrenitidi aut Comati vigili ſuccedit. Expreſſit hoc *Hippocrates* in Coacis 156. *αἱ μετ' ἐκλύσεως ἀφωνίαι, ἐυ πυρετῷ ὀξεῖ ἀνιδρῶτι, ἐισὶ μὲν θανάσιμοι* &c. Non poteſt hic intelligi Apoplexia, quandoquidem illa repentè, nullâ præcedente febre, invadit, hic autem agitur de ſymptomate febrili, & quidem febrium acutarum, quod non aliud eſt quam Carus. Eſt autem Apoplexiæ æmula quandoquidem additur *μετ' ἐκλύσεως*, quod videbimus in Apoplexia quoque locum habere. Febrilis hic orgaſmus nullam fermentationem aut efferveſcentiam in ſanguine efficit, ſed calorem, æſtum, expanſionem nimiam. Calor, æſtus, preſſio vehementior ſanguinem expandunt, vaſa replent & extendunt vehementius, unde cerebrum adeo deprimitur, nervi ita comprimuntur, ut ſenſus aboleatur, ſomnus producatur profundus, uti in ſequentibus adhuc dicendum erit. Hæc eſt vis illa narcotica, quam ſe ignorare fatebatur Sylvius, quamque ego primus (quod ſciam) explicui in *Cogitationibus meis de inſtauratione Medicinæ.* Si enim ſupponamus, vaſa cerebri ejuſque membranarum minima, tantum puncti unius majorem acquirere latitudinem quam in ſtatu naturali; arteriarum autem Carotidum majores truncos proportionaliter extendi, jam manifeſtum evadit, quantum cerebrum & nervi debeant premi, ſomnus produci profundus, ſenſus aboleri. Cauſæ hujus efficacia multum intenditur, ſi ante invaſionem febris æger fuerit plethoricus, ſi vaſa habuerit admodum repleta. Hinc etiam videmus homines robuſtos hiſce ſymptomatibus ſoporoſis aliquando vehementius corripi. Et hæc eſt prima Cari ſpecies ſta-

Cauſæ cari.

ſtatim in principio, ſecundo aut tertio die, invadens & ægrotos peſſundans. Ea, quæ *Petrus Salius Diverſus* de affectibus particularibus *c.* 1. habet, forte non malè huic Cari ſpeciei applicabuntur. Quamvis enim ibi agat de *inflammatione cerebri*, quandoquidem tamen non refert ſe poſt mortem in diſſectione revera ſigna inflammationis inveniſſe, non eſt à ratione alienum ſymptomata eadem ex alio fonte deducere.

Spirituum diſſipatio.

Altera Cari ſpecies eſt, quæ in augmento vel circa ſtatum accidit, atque ſæpe Comati vigili vel Phrenitidi ſuccedit. Hujus cauſam brevitatis gratia expreſſi per ſpirituum diſſipationem. Revera enim in febribus multi diſſipantur ſpiritus, præcipue accedentibus vigiliis, aut Phrenitide. Intelligenda tamen eſt cauſa alia non minus efficax, febriumque continuarum pediſſequa, & Phrenitidis ſocia, quæ eſt ipſa ſanguinis à naturali ſtatu immutatio. Febrilis quippe hic orgaſmus, ſerum ſanguinis liquidum & tenue in ſubſtantium excoquit, (liceat mihi hoc uti vocabulo, quandoquidem *Hippocrates* Febrem ſolet τὸ πῦρ appellare) gelatinæ non abſimilem, unde magis magiſque ineptus evadit circulationi abſolvendæ. Reliqua & magis conſiſtens pars ſanguinis aliquando ita comminuitur, ut conſiſtentiam ordinariam planè amittat, nec ſeſe cultello dividi patiatur, ſed inſtar cruoris diffluat. Et hanc ego exiſtimo fuiſſe rationem, quare antiqui febres haſce appellaverint putridas, quia credebant hunc ſanguinem eſſe revera putridum. Et quoniam humiditas non raro putredinis eſt cauſa, hinc etiam ægrotos à potu arcebant, non ſine ingenti eorum detrimento: quippe non tantum moleſtiam ſuſtinebat intolerabilem æger, verum etiam privabatur liquore, qui ſanguinem diluere, æſtum temperare & ſudores promovere erat aptus natus. Hoc contra illos dictum ſit qui putant errores antiquorum omnes fuiſſe innoxios. Sanguis hoc modo à febrili orgaſmo immutatus, nimium replet fibrillas arteriarum per meningem tenuem & corticalem cerebri ſubſtantiam diſperſas. Hinc oritur ἀφωνία, ſomnus cum virium reſolutione. Hanc *Galenus* deſcripſit ſpeciem. Hiſtoria *Bartholomæi Feer*, apud *Wepferum* p. 432. deſcripta, confirmat meam explicationem; etenim ibi poſt mortem inventa ſunt vaſa tenuis meningis valde

de cruore oppleta, & triplo ampliora, quam alias existunt: adeo ut primo intuitu omnia sanguine suffusa apparerent. Affectus autem, qui ægrotum sustulerat, rectissime à medico *Hardero* ad Carum fuit relatus. Vid. *ibid. p.* 435.

Dixi tertiam causam esse virium defectum. Quippe quanto diutius febrilis ille orgasmus perseverat, quanto spiritus magis dissipantur, quanto sanguis magis à naturali descisscit, tanto magis vires fatiscunt. In sanguine brutorum anima esse dicitur, à sanguine ejusque pressione vita & vires humanæ dependent corporeæ. Itaque si ille in tantum degeneraverit, ut circulationi absolvendæ evadat impar, symptomata illa sequuntur, quæ vitæ finem instare significant. Inter illa signa est Cari tertia species, de qua nunc agimus, mortis instantis nuncia. Hanc speciem nomine Lethargi donavit *Willisius* de *Scorbuto c.* 4. Testatur autem se tales, somno perpetuo obrutos, aperuisse, & cerebrum satis sic cum, ac hydrope, aut colluvie serosâ, quibus Lethargici plerumque afficiuntur, prorsus immune deprehendisse. Hæc omnia confirmant meam sententiam. Verum hæc somni & Cari species non semper à Scorbuto dependet, quamvis scorbuticos corripere possit. Virium defectus.

Dixi Carum febribus gravioribus supervenire, adeoque etiam febrilibus symptomatibus Comati vigili, Vigiliis protractis, Phrenitidi. Febri statim in principio supervenit Cari prima species, febrilibus symptomatibus, reliquæ duæ. Quamvis enim Carus & Phrenitis symptomata sint à se invicem valde sejuncta, Phrenitis quippe paucum aut interruptum somnum, Carus profundum; Phrenitis loquelam continuam, cantum vel etiam clamores habet conjunctos, Carus ἀφωνίαν: non rarò tamen contingit Carum succedere, & quidem repente, Comati vigili vel Phrenitidi. Coma enim vigil & Phrenitis, æstum habentes comitem & vigilias, spiritus consumendo, sanguinem magis magisque immutando, vires atterendo, ægrotum ad Carum disponunt. Hæc probè sunt observanda, ut causæ veræ harum affectionum eruantur. Non tantum ego hoc in praxi observavi, sed & ante me *Forestus* in scholiis ad *obs.* 3. *l.* x. quod equidem gaudeo. Succedit Carus facilius, si imprudenter usurpata sint medicamenta narcotica, quæ proin- Est symptoma febris.

de cautè usurpanda, quando vires sunt attritæ, nisi dolor aut similes molestiæ, morte graviores, cogant medicum anceps in usum vocare potius medicamentum quam nullum. Rectè Zacutus Lusitanus de M. P. H. L. 1. H. 7. *p. m.* 43. *Melior est noxa à medicamento illata, quam mors, quæ ex immani dolore plerumque contingere solet*, *ex Gal.* 12. *Meth. c.* 1. Sæpe tamen succedit Carus, quamvis ea non sint usurpata, quod probè observandum, ne omnino medicamentis tribuatur, quod est morbi sequela.

Catochus. *Forestus* Carum appellavit soporem gravem, à quo æger excitari non potuit, è *Cranii* fractura. *l.* x. *obs.* 40. Rationem reddit in scholiis, quare hunc affectum non Apoplexiam, sed Carum appellet. *Hippocrates* ita affectos à cerebri concussione ἀφώνους dixit *Aph.* 58. *s.* VII. Ego putem tales Apoplexiâ, non Caro esse affectos, quandoquidem Carus & Apoplexia sunt distincti affectus, qui confunduntur, si hi negentur esse Apoplectici. *Idem* affectum similem à *Dodonæo* Lethargum appellatum Carum dixit. Et revera hic occurrit difficultas, quomodo appellandus sit propriè is affectus, quando ægri è capitis vulnere incidunt in somnum, à quo tamen excitantur. Ita *Wepferus* refert *Johannem Eberlin* è scalâ præcipitem & decidentem, primis horis adhuc excitatum & locutum fuisse: postmodum in Apoplexiam incidisse. Quamvis enim ille affectum generali Apoplexiæ nomine indigitet, ego tamen præludia, & Apoplexiam ipsam, si distinctè loqui velimus, non esse confundenda existimo. Vid. ipsius *observ. de Apoplexia p.* 332. Historias hujus affectus, de quo agimus, vide quoque apud *Bonetum in Sepulchreto p.* 1562. 1566. 1572. 1580. Non est hic Apoplexia; sensu enim & motu non omnino destituuntur. Non est Lethargus, quandoquidem sine febre invadit, & febris postmodum excipiens non potest dici somnum cum stertore produxisse. Non est Carus, quandoquidem non producitur à febre graviori. Hic apparet non laborare nos vocabulorum multitudine, ad affectus capitis distincte appellandos; sed potius penuriâ. Dicendus ergo hic est Lethargus repentinus, ad differentiam Lethargi ordinarii, vel aliud nomen ambiguum est restringendum, & huic morbo est applicandum. Dicamus ergo in

in ſpecie hunc affectum Catochon, nec amplius hoc vocabulo aut Coma vigil, aut Catalepſin intelligamus. Intelligamus hoc nomine etiam omnes affectus ſoporoſos repentinos Apoplexia minus graves. Vel cum *Hippocrate* dicamus hoc ſymptoma ἔκπληξιν *Aph.* 14. VII. quia ægri à vulnere inflicto conſternati in ſomnum, Apoplexiâ leviorem, incidunt. Cui hæc nomina minus arrident, is alia inveniat magis commoda.

Refert *Sennertus* ad Carum affectum illum, quo quidam corripiuntur à fumo carbonum, in conclavi clauſo accenſorum, quem ego malim ad ſuffocationem reducere. Si quis tamen velit hunc etiam inter affectum ſoporoſos eſſe enumerandum pertinebit ad Coma, vel Apoplexiam, vel Lethargum repentinum, vel potius Cotochon in ſpecie. Non eſt enim Carus, quandoquidem is febri ſuccedit, uti vidimus, hic autem nulla præceſſit febris. Revera autem hos ægrotos ſuffocari, patet è repentina morte, tum etiam ex circumſtantiis. Quandoquidem hi ægri deſtituuntur aëre libero, ad reſpirationem, & ſanguinis per pulmonem tranſitum adeo neceſſario, circulatio per pulmones impeditur. E tranſitu hoc impedito in lipothymiam & ſyncopen incidunt, & niſi illis ocius ſuccurratur, exſpirant. Revera autem illos laborare è reſpirationis liberæ defectu, ex eo manifeſtum eſt, quod poſt mortem facies ſit & remaneat floridi coloris. Deinde non memini me unquam intellexiſſe tales in ſtertorem incidiſſe, cum tamen non ſemel advenientium & januam aperientium ope plures fuerunt ſervati. Si ergo nomen proprium expetatur, poſſet hic affectus ad differentiam ſuffocationis hyſtericæ, meo judicio, non incommode dici, ſuffocatio ſyncopalis. Suffocatio ſyncopalis.

Quandoquidem autem jam hujus morbi vel ſymptomatis facta eſt mentio, breviter cura eſt ſubjicienda. Ægeritaque ſtatim in aërem liberum deducatur, vel deportetur; in affectibus levioribus enim ſola aëris mutatio ſufficit. Quod ſi hoc remedii genus minus potens ſit, ſtatim vena in brachio pertundenda erit; cum enim ſanguinis motus in pulmone ferè ſit ſufflaminatus, atque ideo pulſus aboleatur, ad ſyſtolen & diaſtolen repetendam excitabitur cor, ſi venæ primum, deinde arteriæ Ejus Cura.

depleantur; ita enim ſpatium amplius ingreſſuro è corde ſanguini procuratur, id quod ad circulationem ejus non parum facit. Poteſt etiam *Sp. Sal. Armon.* naribus admoveri, aut *Sal. Volat. oleos* aut *Aqua Regin. Hungariæ.* Interim *aqua Apoplectica*, *Vitæ Mathioli*, *Theriacalis* aut ſimilis ori infundatur. Si ad vomitum ſit proclivis æger, emeticum aut purgans exhibeatur. *Caſtoreum*, *Succinum* ejuſque *oleum*, ac ſimilia medicamenta *Cephalica* in hoc, non minus quam in affectibus capitis, utilia. *Hoeferus* in *Hercule medico l.* 1. *c.* 5. Sub Lethargo deſcripſit ſuffocationem à muſto in Auſtria ſatis frequentem: jubet autem ſemi-mortuum aëri libero exponi, & ſpiritum vini optimum cum *Theriacâ* ori infundi, ut & *aquam Apoplecticam*: poſtmodum dubium movet, an talia hic rectè in uſum vocentur? Præfert *Acetum rutaceum*, vel *aquam Epilepticam* cum *aceto* deſtillatam, *de hirundinibus cum caſtoreo.* qui l. c. videri poteſt.

ἀναυδία Dubitari etiam poſſet de Cari tertia ſpecie, ſi ea in aliis morbis contingat, ubi inſignis febris non præceſſit, quo nomine ſit appellanda? Videri poſſit hæc quoque ſpecies dicenda eſſe Carus, quandoquidem ordinariè febris ſatis vehemens ſimul invadere ſolet. Ego tamen exiſtimo, hæc ſymptomata non eſſe confundenda, cum non meminerim ægrotos tum ſemper in ſomnum; ſed è defectu virium, in ſenſus & loquelæ defectum incidere. Dicatur ergo hæc poſterior ſpecies juxta *Hippocratem* ἀναυδία. Facit enim hic mentionem ἀναυδίας ἐν πυρετῷ: hæc mihi eadem eſt cum Caro: datur ergo ἀναυδία ſine febre, vel ſaltem quæ à febre non dependet, & hæc eſt illa ἀναυδία, de qua jam ago. Non oritur hæc ab articulatæ vocis inſtrumentis læſis, uti perperam exiſtimavit *Foeſius in Oeconomia*, ſed à virium proſtratione, & facultatibus animali & vitali fatiſcentibus. Hujus cura fere nulla eſt, cum mortem inſtantem præſagiat, ſi qua ſit, conſiſtit in virium languentium refocillatione, & plerumque humectatione. Præſcribatur itaque hæc, aut ſimilis mixtura:

℞. *Aq. Fl. Tiliæ.*
Violar. aa ℥ij.

Ju-

Julap. Rosac. ℥ß.
Sacchar. perlar. ʒj.
M.

Præscribi etiam potest Enema, cujus formula in sequentibus videri potest. Quod si quis tamen hanc speciem ἔκϛασιν σιγῶσαν appellare velit, ei nolim repugnare.

Non unius speciei est Carus, tres differentias in superioribus enumeravimus, quas hic repetere non est necesse. Quandoquidem autem morborum & symptomatum est quædam veluti latitudo, ratio postulat ut Carus dividatur in graviorem & leviorem. Verum descriptio Cari, quæ apud auctores exstat, omnem ægris sensum & motum adimit, quam significationem nos quoque secuti, eodem modo de Caro egimus. Observamus autem sæpe somnolentiam & somnum profundum esse symptoma febris gravioris, è qua ægri facilius aut difficilius excitantur, & respondent, qui Lethargi nomine intelligi non potest, quandoquidem Lethargus propriè non est symptoma febris acutæ. Agendum itaque hic quoque est de febrili somno leviori, sed ad differentiam Cari ordinarii dicendus est hic somnus ὕπνος καρώδης. Est igitur ὕπνος καρώδης somnus profundior in febribus gravioribus contingens, ita tamen ut ægri possint expergefieri & respondeant. Oritur hic ab iisdem causis quibus Carus, sed levioribus. Hæc est veluti via ad Carum, & facilè in eundem mutari potest. Habet aliquando capitis gravitatem, vel Cephalalgiam comitem, & convulsionem minatur. Differentiæ Cari.

De hac specie intelligi potest *Hippocrates* in Coacis l. 11. s. 1. §. 15. secundum *Duretum*. Κεφαλαλγίη καρώδης μετὰ βάρεως ποιεῖ τι σπασμῶδες. Aliquando Comatosi vocabulo utitur; non solet enim hæc distinguere c. 11. §. 4. οἱ κωματώδεες ὕπνοι καὶ αἱ καταψύξιες ὀλέθριον. ita etiam §. 3. 5. 9. Opponitur huic Carus tanquam gradus intensior.

Inter differentias utiles & ad curationem cognitu necessarias *Sennertus* recenset, quod Carus alius sit per essentiam, ubi materia ejus in capite generatur, alius per consensum, & quidem nunc ex hac nunc ex illa parte. Itane? Estne hæc differentia utilis & necessaria? Ego putem inutilem & confusio-

ſionis parentem. Quæ eſt materia Cari? Non alia quam ſanguis. Poteſtne is dici in capite generari? Minime quidem mea ſententia. Generatur ſanguis è chylo & chymo: hoſce liquores non ſuppeditat caput. Miſcentur hi humores non ſanguini ad caput deportando; ſed eidem à capite & brachiis &c. refluo: nec ante ad caput defertur, quam in cordis utroque ventriculo & pulmone non contemnendam ſubierit immutationem. Cari eſſentia in eo conſiſtit, quod à febre producatur, nullus alius datur Carus. Itaque omnis erit per eſſentiam. Sin autem velis Carum per conſenſum eum eſſe, qui à febre producatur, omnis dicendus eſt per conſenſum. Omnis Carus eſt ejuſdem generis, adeoque nullius ad praxin momenti eſt hæc differentia. Majoris momenti, & e praxi petita eſt differentia, quod Carus habeat conjunctas convulſiones vel motus convulſivos, alius hiſce deſtituatur. Alius ab initio vexat, alius tardius accedit. Alius eſt Criticus, alius eſt ſymptomaticus: & prima quidem Cari ſpecies ſolet eſſe ſymptomatica, altera fere critica, tertia ſymptomatica & mortifera.

Signa. Signa è deſcriptione ſunt manifeſta: æger laborat febre ſatis gravi, & profundè dormit: adeo ut videatur Apoplecticus. Non laborat tamen Apoplexia, quandoquidem febris præceſſit. Idem illud rectiſſimè obſervavit *Foreſtus*, cujus verba ex *obſ.* 79. *l.* x. adſcribere libet, quia mirè meam ſententiam confirmant: *Permanſit autem illico ex Apoplexia ſine ſenſu & motu, ſine loquela - ad ſex integros dies: quamquam tertio die prius - febris acuta illum invaſerit: NAM SI AB INITIO* febricitâſſet, *PUTASSEM NON FUISSE* APOPLEXIAM, SED CARUM. Vides febrim diſtinguere Apoplexiam à Caro, quia hic illius, & quidem acutæ, eſt ſymptoma. Quamvis aliquomodo videatur ſentire nonnumquam vellicatus, vel planè non loquitur, vel ſtatim in ſomnum profundum delabitur æger. Species prima facile innoteſcit, quandoquidem ſtatim in principio adeſt: ſecunda & tertia difficilius diſtinguuntur, ſaltem in principio. Hæc obſervâſſe non erit inutile: in ſecunda ſpecie febris non ingraveſcit, pulſus conſtat, graviora ſymptomata abſunt. In tertia ſpecie vires collabeſcunt, febris gravis, pulſus frequens, inæqualis, intermittens, aliquan-

quando convulſiones, motus convulſivi ſæpius vexant. Somnus καρώδης ex eo cognoſcitur, quod ægri tantum ſint ſomnolenti, & non ita difficulter excitentur.

Quo ad Prognoſin, Hippocratis bis pronunciavit τὸ καρῶδες πανταχοῦ κακόν. nempe in Coacis §. 178. & Prædict. I. VIII. §. 2. In febribus malignis è præcordiorum dolore obortis Carus peſſimus. Οἱ ἐξ ὑποχονδρίων ἀλγήματος πυρετοὶ κακοήθεες, τὸ καρῶδες ἐπὶ τούτοις κάκιστον. Ejuſdem quoque enunciatio veriſſima huc pertinet αἱ ἐν πυρετῷ ἀναυδίαι, κακόν. Coac. I. 53. Per ἀναυδίαν hic Carum indigitari, vel ſi malis vocis defectum in Caro occurrentem, mihi videtur manifeſtiſſimum, conferatur modo Coac. art. 77. Nempe ſive aliquis in principio vocem amittat, ſive etiam poſtquam à febre attritæ ſunt vires in ἀφωνίαν incidat, ſi mens quaſi ſomno obruta ſtupeat, facilè intelligimus hunc periculoſè decumbere. Carus abſque ſudore prorumpente periculoſior eo, qui cum ſudore contigit. Carus cui jungitur convulſio periculoſus. αἱ ἐν πυρετῷ ἀφωνίαι σπασμώδεα τρόπον, ἐκστᾶσαι σιγῇ, ὀλέθριον. Coac. II. 248. Item Carus cum virium reſolutione. αἱ μετ' ἐκλύσεως κατόχως ἀφωνίαι, ὀλέθριοι. Coac. II. 250. Quid ſignificet Carus circa initia contingens, videri poteſt in Coacis II. 36, 37. Carus gravis Phrenitidi ſuccedens *Hippiæ ſorori* fuit funeſtus. Popul. VII. XXIX. §. 8, 9. Carus cum convulſionibus eſt admodum periculoſus, ut & cum ſingultu. αἱ μετὰ λυγγὸς ἀφωνίαι κάκιστον. Præd. I. III. §. 8. vide quoque ſeq. Tres illæ Cari ſpecies omnes ſunt periculoſæ, ita tamen ut de omnibus non poſſit ferri idem judicium. Prima Cari ſpecies eſt quidem ſatis periculoſa, verum cum in principio accidat, remediis generoſioribus concedit locum, unde ſucceſſus ſperari poteſt. Altera Cari ſpecies aliquando ad ſalutem ægroti terminatur. Tertia ſpecies maximè periculoſa & inſtantis mortis nuncia. Febris καρώδης non eſt ita periculoſa, ſi medicus tempeſtivè advocetur, antequam morbus eundo vires acquiſivit. Ex profeſſo quædam *Hippocratis* loca citavi, quæ ſi quis diligenter expendat, is videbit meam ſententiam è multis Aphoriſmis poſſe confirmari, & *Hippocratis* mentem, ex iis, quæ diximus, clariorem reddi, atque facilius & diſtinctius explicari.

Prognoſis.

In-

Indicationes

Indicationes in hoc affectu sunt, ægrotum excitare, febrilem orgasmum compescere, sanguinem corrigere, spirituum dissipationi occurrere.

Cura.

Quemadmodum in indicationibus, ita etiam in curatione primum locum sibi vendicat excitatio ægroti. Hæc ita latè posset accipi, ut integram curam suo ambitu complectatur; verum ego hic accipio in strictissima significatione, ut ab aliis indicationibus distinguatur. Nempe quando medicus vocatur ad ægrotum somno gravi oppressum, statim conatur ægrotum excitare: id quod tum in usum statim vocari potest, à me hoc loco intelligitur. Excitandus est itaque æger clamoribus, vellicationibus, naribus admovendo acria & spiritus excitantia, frictionibus. Clamores omnes non sunt æque utiles, verum voce altâ, nomine proprio est compellandus æger; ita enim excitatur aliquando attentio. Vox consueta amici dilecti hic est utilis. Magis efficax est clamor, si vellicationes jungantur. Imprimis autem naribus admovenda *salia volatilia*, *spiritus subtiles*, *acetum acre*. Frictiones extremitatum, manuum & pedum, pannis asperioribus, quoque sunt utiles.

Sanguinis orgasmum compescentia.

Sanguinis orgasmus, depressionem cerebri & somnum producens, compescitur V. S. Clysteribus, purgantibus, refrigerantibus. Venæ sectio etiam ad excitationem ægri facit; verum cum præcipuus ejus usus sit, in hoc casu, æstum sanguinis compescere, ideo huic inter remedia æstum temperantia primum dedi locum. Calor noster naturalis moderatæ, præter naturalis sanguinis pressioni majori debetur. Cum ergò V. S. sanguinis imminuat molem, imminuit etiam pressionis vehementiam, atque orgasmum. V. S. summum in hoc morbo est remedium. Videndum itaque, quando ea conveniat, quando autem minime. Convenit V. S. in plethoricis, robustis, in principio febrium, in iis qui huic remedio sunt assueti, atque id neglexerunt. Καρηβαρίη & Carus sæpe ex eo oriuntur, quod non satis tempestivè, aut sufficienter, instituta fuerit V. S. In hisce casibus igitur, & Cari primâ specie, instituatur V. S. larga: eaque, si necessitas id flagitet, repetatur. Meticulosi ordinariè nimis sumus in exhauriendo sanguine, quamvis in capitis affectibus id omnino necessarium & salutare sit.

ſit. Teſtatur id de ſe *Pareus*; teſtatur idem ſe, cum maximo ægroti commodo, ſeptem & viginti vaſcula, quinque vicibus, quatuor dierum ſpatio, juveni alicui vulnerato detraxiſſe. l. IX. c. 14. Ordinariè eligitur brachium, poteſt tamen V. S. in manu, pede &c. inſtitui, prout circumſtantiæ illud ſuaſerint. Non eſt inſtituenda in tertia cari ſpecie, aut viribus proſtratis, præcipuè accedentibus convulſionibus; convulſiones tamen, in principio & prima ſpecie, non tam impediunt, quam ſuadent V.S. In ſecundâ ſpecie, ut plurimum, omittenda eſt, quandoquidem ea aliquando eſt critica, & circa ſtatum morbi (in quo quieſcere oportet) accidit. Venæ ſectionis vicem implent cucurbitulæ ſcarificatæ, verum ſegnius. Uſurpari poſſunt, quando V. S. non eſt ſufficienter inſtituta, & quando dolorem inferendo excitare ægrum eſt animus.

Orgaſmum ſanguinis etiam compeſcunt clyſteres, quia inteſtina excrementis repleta (uti in morbis acutis & corporibus ſubito proſtratis ſolet) æſtuant, atque æſtum ſanguini communicant. Fovendæ ſunt igitur & humectandæ hæ partes, & à ſaburrâ humorum liberandæ. Irritatio etiam illa aliquid poteſt ad excutiendum ſomnum. Itaque vel ante, vel poſt V. S. ſtatim in uſum vocari poſſunt. Clyſteres.

℞. *Fol. Violar. Malvæ.*
Mercur. Parietar. aa m. j.
Flor. Roſar. pallid.
Hord. integri.
Furfur. aa p. j.
Sem. fænic. ʒij.
Coq. ſ. a. ex *aq. pura* colat. ℥x. Add.
Mellis Mercur.
Elect. Diaprun. ſol. aa ℥j.
Sal. Gemm. ʒj.
M. F. Enema.

Non tantum in uſum vocari poſſunt enemata ſtatim in principio, ſed & poſtea ſæpius iterari. V. S. poteſt eſſe intempeſtiva, purgantia poſſunt eſſe ſuſpecta; verum enemata ferè ſemper utilia ſunt, & in quacunque Cari ſpecie; ita tamen, ut

ut si mors videatur instare, tum potius quiescamus, ne medicamento tribuatur id, quod est sequela morbi.

Suppositoria. Possunt quoque in hoc casu in usum vocari suppositoria, sed ea sunt minoris efficaciæ. Quamvis enim *melli* ad consistentiam cocto addantur vel *species hieræ*, vel *Colocynthis*, cum *sale communi* vel *sale gemmæ*, & ita ad excretionem stimulentur intestina, fotus tamen ille, & blanda humectatio partium, sanguineis vasis copiosissimè gaudentium, deficit. En formulam *Francisci Hildesheim.*

℞. *Hellebor. albi.*
Nitri, *Sal. Gemmæ aa gr.* vj.
Colocynth. ℈ß.
Mellis q. s.
M. & F. suppositorium.

Purgantia. Purgantia etiam ad compescendum æstum sanguinis faciunt. Non quod *cholagoga* dicta medicamenta tantum bilem evacuent, cui æstum tribuunt auctores, sed quod medicamenta purgantia secretionem humorum per glandulas, & excretionem promoveant. Diminuta autem secretio & excretio bilis, succi pancreatici, salivæ, urinæ, &c. in statu morboso & febribus, morbum aggravat, & æstum auget, uti illud è praxi est apertissimum. Purgantia autem in Caro usurpanda non sunt ejusdem generis; nempe in Cari prima specie, & morbi principio validiora in usum vocare convenit, à quibus, in reliquis duabus, omnino est abstinendum, vel si quid moliri necessitas postulet, eligenda sunt medicamenta minus efficacia. Conveniunt itaque in principio *Gialappa*, *Scammoneum*, *Electuarium Cholagogum* Sylvii, *Panchymagogum* nostrum è *succo* Rosarum, *Extract. Alhand.* Pharm. Bat. *Magister. Git.* ejusdem *Pulvis Senn.* Wieri, Cornachin. &c. Ratio autem, quare hic requirantur validiora, facile perspicitur, quia scilicet est affectus soporosus satis vehemens, in quo purgantium stimulus non ita facile percipitur, & tamen requiritur, ut somnum excutiatur.

℞. *Elect. Panchymagog. nostr.* ℥iij.
Sal. Tartar. gr. v.

Cremor.

Cremor. Tartar. ℈ß.
Aq. Betenic. q. s.
M. F. Haustus.

℞. *Pulv. Rad. Gialapp.* ℈j.
Cremor. Tartar. ℈ß.
Diagrid. gr. iv.
Trochisc. Alhand. gr. j.
F. Pulvis.

Reperiuntur quidem aliæ formulæ apud auctores; verum cum hi non animadverterint febrem jungi Caro, aut Carum à Lethargo non satis distinxerint, adduntur *Tinctura Castor. Succin. Sal.* ejusdem, *Castoreum* in satis larga quantitate; quæ ratione febris & æstus hic non conveniunt.

Mitiora optimè forma infusionis vel decocti exhibentur. Mitiora.

℞. *Rhei elect.* ʒj.
Fol. senn. mund. ʒß.
Sem. anis. ℈ß.
Infundantur per noctem in *aqua tartarizat.* colat. ℥iij. Add.
Syr. Diacnicu. ʒij.
M. F. Haustus.

Decoctum Rhabarbari Pharmocopææ Bateanæ hic est utilissimum.

Ad purgantia referuntur quoque emetica, quorum, in principio, ventriculo adhuc repleto, tum ad evacuandum, tum ad excitandum, insignis potest esse usus. *Rolfincius* laudat *Mercurium vitæ* & præscribit: Emetica.

℞. *Rosæ vitæ mineral. gr.* viij.
Gialap. pulv. gr. v.
Eleosacchar. Citri. gr. iij.
In charta D.

℞. *Aq. Benedict. Ruland.* ʒvj.
Syr. Fl. Tunic. ʒij.
M. F. Potiuncula.

Refrigerantia. De refrigerantibus non est opus hic multis agere, quandoquidem horum tractatio ad doctrinam de febribus pertinet. In usum vocari possunt *decoctum album* & *decoctum ad sitim* Pharmocopææ Bateanæ.

Sanguinem corrigentia. Sanguinis correctio, distincta ab indicationibus jam propositis, consistit præcipuè in sudoris provocatione.

Ea fere in omnibus febribus habet locum, præcipuè autem in continuis & malignis. Oportet, ut illa fiat per medicamenta appropriata, & temperatiora. Non ergo promiscuè in omnibus ægris exhibebimus *Theriacam*, *Mithridatium*, &c. Nec etiam maximâ testaceorum pulverum copiâ debilium & languentium ægrotorum onerabimus ventriculum: sed pro morbi, ægrotorum & symptomatum varietate, illa immutabimus, & curabimus, ne conveniens desit vehiculum. Conveniunt *Aceta* varia, *Sambucinum*, *Calendulæ*, *Rutaceum*, *Destillatum*, *Acetum nostrum Bezoardicum*. *Aqua Alexipharmaca*, *Prophylactica*. *Antimonium Diaphoreticum*, *Bezoardicum minerale*, *Sp. Nitri*, *Sp. Vitrioli*, *Salis dulcis*, *Succus Citri*: *Alumen febrifugum*, *antifebrile concharum* Pharm. Bat. *Decoctum Ambrosianum*, *Decoctum Citri*, *Card. bened. Crocus Fl. Calendulæ*. *Pulvis Cantianus*. *Rad. Contraier*. *Sal. Absinth. Card. bened. Ruthæ.* &c. *Succi herbarum* harum & similium *inspissati*. *Mixtura* simplex &c. Ex hisce & similibus variæ possunt concinnari formulæ ex. gr.

℞. *Aq. Ruthæ.*
Meliss.
Acet. Bezoard. aa ℥jß.
Oc. Cancri tenuiss. pulv.
Cremor. diaphoret. aa ʒß.
Croci Britannic. ℈ß.
Syr. è Succo Card. ben. ℥j.
M.

Non admodum dissimilis est mixtura, quam præscripsit *P. Barbette* capite de Febribus.

℞. *Aq. Prophylact.* ℥jß.
Borrag.

Card.

Card. bened. aa ℥j.
Julap. Rosar. ℥jß.
Sacchar. perlar. ʒij.
M.

Si cui forma pulveris magis arrideat, is sequenti uti poterit:

℞. *Lapid. prunell.* ʒj.
Bezoard. mineral.
Unicorn. ppt.
Sacchar. perlar. aa ʒß.
F. Pulvis pro iv. dosibus.

Spirituum dissipationi, cui & virium defectus adscribendus est, occurritur, vigilias continuatas, Coma vigil, Phrenitidem, quam ocissimè tollendo; hæc enim symptomata spiritus animales dissipant, & sæpe Carum præcedunt. Deinde etiam spiritus blande excitando, quod fit imprimis per acida, tam interne quam externe adhibita. Novi plurimos, abhinc aliquot annis, medicos contra aciditatem acuisse stylum: ego tamen nullo modo vereor, in hisce & similibus morbis, de meliori nota commendare acida. Provoco ad experientiam, nonne ab acidis sæpe optimè habuerunt ægroti? Nonne acida, naribus admota, sæpissimè languidos & lypothymiâ correptos excitarunt? Est ergo egregius acidorum usus. In quo autem casu potissimum, nisi ubi spiritus, ab æstu languidi, sunt excitandi? Vidit id *Timæus* qui in febribus non semel præscripsit acida, quorum formulas duas tresve subjungere libet. Quomodo spirituum dissipationi occurratur?

℞. *Aq. Endiv. Acetos. Endiv. aa* ℥vj.
Syr. Acetosel. Granator. aa ℥ij.
Succi Citri recent. expreß. ℥jß.
M. F. Jolabium.

℞. *Aq. Acetosel.* ℥vj. *Fl. Borrag. Bugloß. aa* ℥iij.
Syr. de Rubo Idæo. Berber aa ℥ij.
Sp. Vitrioli q. s. ad gratam aciditatem.
M.

℞. *Aq. Endiv. Acetosell. Cichor. aa* ℥vij.
Syr. è succo Acetos. Endiv.

Vini Granator. aa ℥jß.
Succi Citri recent. expreſſ. ℥ijß.
M.

Ad ſpiritus blandè excitandos etiam utile eſt, *acetum*, vel *Rutham hortenſem* viridem *aceto* madidam, naribus admoviſſe. Utiliſſimum quoque eſt, ſi vapor *Aceti Celendulæ*, *Sambucini* vel ſimilis nares ægroti feriat. Excitatur hic, ſi lateribus candentibus inſpergatur *Acetum* modo laudatum. Odor talis admodum eſt penetrans, adverſus malignitatem utilis, ut & aëris emendationem. Hunc vaporem quoque commendat *Avicenna*. Utile quoque dicit *Theriaca*, aut *Mithridatio* palatum & labia inungere, quibus aliquid Caſtorei addi poteſt. Subjungit: efficaciſſima in hoc genere eſt *Confectio Anacardina* cùm *Aceto Scyllitico*, ſi FEBRIS EAM ADMITTAT. Hæc cautela utiliſſima eſt; quis enim ubi ſummus eſt æſtus, oleum camino addat?

Cura ſpecialis Primæ ſpeciei. Abſolutis indicationibus generalibus, videndum quid ſingulæ ſpecies habeant peculiare, ad quæ attendere neceſſe eſt. In prima ſpecie, V. S. larga & repetita, purgationes, vomitoria, audacius in uſum revocanda: refrigerantia, ſudorifera, acida efficaciora uſurpanda. Nec tantum ſpiritus excitandi ſunt blandioribus externis, quorum ſuperius eſt facta mentio, ſed & cucurbitulæ & veſicatoria in uſum vocari poſſunt. Jubet *Sennertus* ad primam vel ſecundam vertebram Cucurbitulas, vel Phænigmos, aut veſicantia applicare. Poſſunt etiam *Cantharides*, vel *Emplaſtrum Cantharidum*, cruribus imponi, & ulcuſcula vel conſolidari, vel aperta ſervari, pro variâ circumſtantiarum ratione, & medici prudentia.

Secundæ. In altera Cari ſpecie remedia potentiora ſunt omittenda, ac ſi ſpiritus ſint excitandi, illud fiat blandioribus. Prima ſpecies eſt ſymptomatica, hæc aliquando critica; ubi autem natura criſim molitur, eam tunc interturbandam eſſe, nec ratio, nec experientia docet. In hoc ergo caſu Enemata imprimis in uſum vocantur, & cardiaca temperatiora, in quem finem laudantur *Aqua Cordialis* Herculis Saxoniæ, *Carbunculi*, *Cinnamomi cum fl. Borraginis abſque vino deſtillata*. Utiliter quoque exhibetur *Gelatina C. C.* cui aliquid *Succi Citri recent.*
&

& *Saccharum Cryſtallinum*, vel *Perlarum* ad gratiam eſt additum. Inter externa imprimis conveniunt *ſupplantalia è fermento*, *ruta*, *aceto.* Hoc pacto enim æſtus temperatur, & particularum acrium per cutem evaporatio promovetur, quia ſcilicet æſtus febrilis in extremitatibus corporis noſtri eſt manifeſtus. Cucurbitulas & veſicatoria, in hac ſpecie, ut plurimum omittendas eſſe cenſeo, ut & in tertia ſequente. Si enim Carus ſit criticus, naturæ negotium committendum eſt; ſin autem mortis ſit prænuncius, quis ab omni humanitate ita ſit alienus, ut in his extremis anxietatibus addere velit moleſtias? Alia Cari, alia Comatis aut Lethargi eſt ratio. Si in hiſce poſterioribus caſibus ſpiritus ſint excitati, ſi ſomnus ſit excuſſus, affectus ipſe magnam partem eſt ſublatus, in Caro autem, licet ſomnus ſit ſuperatus, non tamen omni periculo defunctus eſt æger, non tamen febris ſuperata, non tamen vires reſtitutæ. Itaque quæ de colloquiis, vellicationibus, ſtrepitu, ligaturis, frictionibus dicuntur, ea vel prudenter in uſum vocanda, vel prudenter omittenda ſunt.

In tertia Cari ſpecie periculum indicandum, & quieſcendum eſt, niſi quod ſitis, æſtum, ariditas linguæ lenienda veniant. A nimia ſiti fatiſcunt ſani, multo magis febricitantes, & à ſymptomatum vehementia exhauſti. Julapium ſequens in hac & priori ſpecie poteſt exhiberi, quod Tertiæ.

℞. *Decoct. Scorzoner* & *C. C.* ℔j.
Sp. Nitri d. ℈ß.
Rob. Ribeſior. ℥j.
M.

De ſomno carotico non eſt quod multa addamus, quandoquidem eadem eſt curationis methodus. Remediorum efficacia morbo reſpondere debet. Maturè occurrendum, ne levior ſpecies in graviorem degeneret. Somni carotici.

In Caro convulſionibus ſtipato, majus imminet periculum. V. S. hic requiritur liberalior, ſi in principio contingat, purgantia validiora. Medicamentis reliquis addenda ſunt ea, quæ adverſus Convulſiones laudantur, ſed temperatiora: neque enim ita convulſiones ſunt reſpiciendæ, ut febris negligatur. Cari cum convulſionibus.

Reſtat ut paucis ſubjiciamus diætam. Aer ſit purus, tempe- Diæta.

peratus, ad frigiditatem vergans, vapore *aceti* imbutus. Tempore hiberno in foco ignis luceat. Cubiculum sit spatiosum & amplum, vitetur invisentium vel salutantium turba. Victus sit tenuissimus, qualis in morbis acutis requiritur. Potus sit itidem tenuis, vitentur cerevisiæ generosiores, imprimis eæ in quibus *Sclarea*, aut *Coriandrum* sese exserit. Vinum ut plurimum vitetur, nisi acidulis parvâ addatur quantitate. Somnus ipse est affectus, de quo agimus, cujusque superandi modum in superioribus proposuimus. Motus hic locum non habet, mutatio lecti non tantum concedatur, sed & imperetur, nisi sudor aut virium debilitas impediat. Alvus servari debet libera. Passionum impetum Carus obruit, si iis posset esse locus, lætitia spiritus excitans conveniret.

CAPUT OCTAVUM.

De Lethargo.

Explicationis Lethargi difficultas.

EXplicationem Lethargi difficilem reddit, tum vocis ambiguitas, tum varii, qui in auctorum scriptis irrepserunt, errores. Ambiguitatem vocabuli ante me observavit *Sennertus*, scilicet Lethargi vocem non minus quam vocabulum Comatis & Cari, generaliter pro omni sopore profundo, & difficilis expergefactionis usurpari. Ambiguitas & homonymia vocabulorum ansam dedit confusioni, de qua capite præcedenti egimus. Erroribus variis occasionem dedit, ignoratio circulationis sanguinis, & conatus è quatuor humoribus omnes morbos deducendi. Errores è descriptione vulgari elucescent, quæ talis proponitur à *Jonstono*.

Descriptio vulgaris examinatur.

Lethargus *est inexplebilis in somnum propensio, cum febre lenta, oblivione & torpore, è pituitoso sanguine in posterioribus cerebri sinubus putrescente, exorta.* Non est Lethargus in somnum propensio, quod & Comati convenit, sed & sopor profundus. Febris, quantum ego observavi, non est dicenda lenta, cum revera sit gravior, quamvis non negem febrem, per se consideratam, non esse magni momenti, nisi adesset Lethargus, qui fe-

febrem multo graviorem efficit. Quæ de oblivione dicuntur procul dubio Etymologiæ vocis tribuenda ſunt, de qua prolixè diſputantem vide *Schneiderum de Morbis capitis.* Cap. de Lethargo. Oblivio ita intelligenda eſt: ægri excitati non ſunt præſenti animo, ſed quaſi attoniti, uti illud etiam ſanis aliquando contingit, qui, mediâ nocte ſubitò excitati, ſtupent: ſi aliquomodo excitati reſpondeant, tamen poſteà ejus non meminerunt: alias memoriam eſſe læſam, non memini me obſervâſſe. *Caſpar Hofmannus* apud *Schneiderum* l. c. meritò ambigit, an in Lethargo ſemper lædatur memoria? q. v. Non memini me etiam obſervâſſe delirium, cujus *Sennertus* in deſcriptione facit mentionem, nec quadrat illud cum reliquis deſcriptionis partibus. Delirium acutarum febrium ſymptoma eſt, non lentarum. Delirium non à principio febris ad finem uſque infeſtat, ſed in augmento morbi, vel circa ſtatum ingruit. Delirium ſpiritus agiles requirit, non torpidos. Quæ de pituitâ in poſterioribus cerebri ventriculis putreſcente adduntur, craſſam ignorantiam ſapiunt. Quamvis enim non negem ſerum aliquando in cerebri ventriculis inveniri, nego, quod illi ſupponunt, ventriculos ſpirituum animalium eſſe promptuaria: nego pituitam ibi putreſcere: nego putredinem illam eſſe cauſam febris. Non eſt neceſſe has opiniones refutare, cum *Platerus* jam dudum contenderit, à putredine pituitæ, præſertim in capite, nequaquam incendi febrem, nec eundem humorem frigiditate ſuâ ſoporem gravem, & calore febrem accendere: quia unum idemque & frigidum & calidum eſſe nequit. *Plateri* ſententiam probat *Sennertus*, qui videri poteſt.

Lethargus eſt ſopor gravis cum febre & ſtertore, in quo ægri excitati reſpondent, & iterum in ſomnum relabuntur. Deſcriptio accuratior.

Eſt hæc deſcriptio Lethargi tanquam ſymptomatis, ut ex eâ ſtatim natura ejus, & diſcrimen quod huic cum præcedenti intercedit, eluceſcat. Quanquam enim ego præferam deſcriptiones morbi ipſius naturam exprimentes, in hoc tamen caſu, nimium mihi diſcedendum eſſet à practicorum conſueto more, & à conceptu, quem vox Lethargi nobis ingerit, ſi ſanguinis, ſpirituum & cerebri potiſſimum facerem mentio-

 nem

nem. Deinde ſopor eſt genus adæquatum, pluribus affectibus commune, à quibus per ea quæ adjecta ſunt diſtinguitur. Febris aliquando eſt gravior, aliquando levior, ita tamen ut febris non producat Lethargum, quemadmodum illud Cari eſt proprium, ſed eadem cauſa Lethargum producens producit etiam Febrem, quod cum antiqui non intelligerent, finxerunt pituitam in cerebri ventriculis putreſcentem. Totum autem hoc negotium verius & facilius explicari poſſe, è ſequentibus patebit.

Stertor. Stertor ſemper Lethargum comitatur, quantum ego hactenus obſervavi, verum is non conſtituit eſſentiam Lethargi, cum is in aliis quoque morbis obſervetur. Stertor adeſt in Comate, ſtertor adeſt in Caro, ſtertor adeſt aliquando in Apoplexiâ. Novi auctores narrare in Apoplexia reſpirationem ceſſare, quod etiam fortaſſè verum eſt, morte inſtante, alias ego non memini me hactenus vidiſſe Apoplecticum, quin reſpiratio adeſſet manifeſta & laborioſa, aut cum ſtertore. Fortaſſe auctores, qui talia memoriæ mandarunt, non ſatis diſtinxerunt Apoplexiam à Syncope.

Lethargi & reliquorum affectuum ſoporoſorum diſcrimen. Dicet fortaſſe aliquis: ſi in hiſce variis caſibus obſervetur ſtertor, qua ratione Apoplexiam & Lethargum diſtinguis à reliquis affectibus? Reſpondeo: id debere fieri per notas characteriſticas jam explicatas, & in ſequentibus ulterius explicandas. Breviter. Apoplexia ſubito invadit, motus & ſenſum prorſus abolet, abſque præcedenti febre. Carum ſemper præcedit febris ſatis gravis. In Lethargo excitantur ægroti, reſpondent & levius febricitant. In Comate ſomnolento plerumque non ita graviter, vel à cauſâ externâ, in ſomnum incidunt ægroti abſque febre. Vel ægrotos ante comatis invaſionem vexavit ſegnities ſcorbutica: vel præceſſit aut comitatur Iſchuria.

Ægri loquuntur, & iterum in ſomnum labuntur. Ægros excitari, ad interrogata reſpondere, atque iterum in ſomnum relabi conſtans medicorum eſt ſententia. Quamvis enim circa morbi gravitatem differant, nec ſemper iiſdem modis loquendi utantur, ſolent tamen, ut probent oblivionem comitari hunc affectum, adducere hoc exemplum, ægrotos matulam petere, & oblviſci ſe eam habere. Verum ſi

ſi ritè calculum ponamus, debile & infirmum eſt hoc argumentum oblivionis, illud enim & ſano ſomnolento contingere poteſt, num ideo cenſendum eſſet iſtius memoriam eſſe læſam? Hinc autem manifeſtiſſimè evincitur, lethargum eſſe ſomnum è quo excitantur, loquuntur, & iterum in ſomnum relabuntur ægri. Deinde differentia Hyſtericæ paſſionis & Lethargi in eo conſtituitur, quod in hoc affectu ægri reſpondeant & febricitent.

Non agam hic prolixè de ſomno, aut de propenſione ingenti ad ſomnum, quæ tum in ſanis, tum in ægris obſervatur; ſuppono enim lecta & meditata eſſe ea quæ de hac materia fuſius in *Cogitationibus meis de inſtauratione Medicinæ diſputavi.* Sufficiat obſervâſſe repletionem arteriarum carotidum, cerebri externam ſuperficiem, & meningem tenuem perreptantium, eſſe cauſam preſſionis cerebri atque nervorum, unde primum languor ſenſuum externorum, deinde quies ſequitur. Repletio hæc arteriarum majoris eſt efficaciæ, ſi ſpiritus animales ſimul ſint vel diſſipati vel torpidi. Breviter ſomnus attingitur.

Cauſæ itaque Lethargi erunt quæcumque repletionem præternaturalem efficiunt, quæque ſpiritus torpidos reddunt: deinde in genere omnia, quæ preſſionem medullaris ſubſtantiæ & nervorum majorem producunt. Oportet igitur hic conſiderare cerebrum, ſanguinem, humorum colluviem, ſpiritus animales. Cauſæ Lethargi.

Si cerebrum ſit humidium, facile concipimus illud ſubſidentiæ & compreſſioni magis eſſe obnoxium; tale autem cerebrum poſt mortem non ſemel inventum eſt. Vid. *Boneti Anat. Pract. l.* I. *ſect.* III. *obſ.* 3, 4, 8. Eodem modo Hydrocephali comes poteſt eſſe Lethargus. *Vid. ibid. obſ.* II. Huc pertinet quoque abſceſſus & pus, Apoſtema & Spacelıſmus cerebri. *Vid. ibid. obſerv.* 33, 34. Similis quoque eſt ratio ſi meninges vel cerebri exterior ambitus tumore phlegmonode ſint obſeſſæ. *obſ.* 36. Cerebrum.

Sanguis peccat vel nimiâ copia, vel lentore nimio. Copia ſanguinis ſequitur victum liberaliorem, vitam ſedentariam, evacuationes ſuppreſſas. Si ergo in hoc caſu morbum, morbi cauſam, & ſymptoma diſtinguere placeat, morbus erit reple- Sanguis peccat copiâ.

tio vaſorum & cerebri depreſſio, ſanguinis nimia copia erit cauſa morbi, ſomnus ſymptoma. Adeo ut repletio vaſorum, & cerebri depreſſio, quæ ſymptomatis ratione dicuntur cauſæ, revera ſint id, quod morbi eſſentiam conſtituit, ſcilicet diſpoſitio p. n. actiones lædens. Revera autem ſanguinem hoc modo producere Lethargum, ex eo fit manifeſtum, quod poſt mortem etiam vaſa tenuis meningis ſanguine turgida fuerint inventa. Vid. *Bonet. l. c. obſ.* 16.

Lentore. Lentor ſanguinis oritur, vel à moerore continuato, vel à cibis viſcidis, concoctu difficilibus & pravâ diætâ. Huc referri poſſunt ea quæ habet *Bonetus obſerv.* 19. de ſanguine melancholico, quo vaſa meningum repleta fuerunt in cadavere comatoſi & Lethargici poſt mortem. Quod ſi diſpoſitio ſcorbutica conjungatur, manifeſtior evadit hæc ſanguinis diſpoſitio. Vide *Williſium*, *Eugalenum*, &c.

Humorum colluvies. Sequitur humorum, præcipuè ſeroſorum, illuvies, copiâ & pondere cerebrum deprimens. Ita aqua limpida, & cryſtallo clarior non ſemel poſt mortem in ventriculis cerebri & capite fuit inventa. *ibid. obſ.* 9. 12, 21. Hinc rectè contendit *Car. Piſo* de morbis à ſeroſâ colluvie exortis *Sect.* 11. *Part.* 11. *c.* 6. *Lethargum fieri madefactis cerebri membranis, ejuſque corpore prægnante multo ſeroſo humore, itaque ventriculis potius compreſſis, quam verè obſtructis: quia denique ſenſus non omnino ſunt obruti, eam certè compreſſionem ſive gravitatem corporis cerebri mediocrem eſſe, non ſummam, ut fortè in Apoplexia fateri oportet.* Oportet enim ut à ſe invicem diſtinguantur Apoplexia & Lethargus: nam ſubita illa ſenſus & motus privatio, quæ vulnera capitis non raro excipit, accuratè loquendo, non eſt dicenda Lethargus, ſed Apoplexia. Hæc eſt ratio, quare in hoc capite nullam vulnerum fecerim mentionem. Lethargus non ita ſubito, nec adeo graviter invadit, vel ſi videatur alicui affectus minus gravis dicendus eſſe Lethargus, dicatur repentinus, atque ita patebit, non intelligi Lethargum cum febre ſenſim invadentem, ſed affectum Apoplexiæ cognatum.

Spiritus. Spiritus animales peccant torpore, ſeu motu & agitatione minore: ita enim preſſioni cerebri non multum reſiſtunt, nec facile ad motum excitantur. Cum ſpirituum ani-

ma-

malium torpor à dispositione sanguinis pendeat, eædem sunt causæ spirituum torpidorum, quæ sanguinis lenti.

Quando utraque hæc causa, nempe lentor sanguinis & spirituum torpor, concurrunt, uti fere contingit, quandoquidem una alterius est causa & effectus, gravior solet esse Lethargus. Sanguis quippe difficilius capillaria vasa permeans, premit corticalem cerebri substantiam, meninge tenui undique involutam, spiritus torpidiores depressioni cerebri & compressioni resistendo sunt minus apti, ergo ita comprimitur cerebrum & nervi, ut in somnum profundissimum incidant ægroti. Atque hinc jam patet, quomodo eadem sit causa somni præternaturalis hujus atque febris, & quidem minus vehementis. Difficultas illa transitus sanguinis, cor ad frequentiorem contractionem compellit, adeoque pulsum frequentiorem medico tangendum exhibet, qui ipsi febris indicium præbet. Difficultas illa transitus oritur ab ejusdem lentore, seu minori exaltatione. Idem ille lentor est causa repletionis vasorum, & compressionis cerebri, adeoque somni præternaturalis. Itaque eadem illa causa, quæ producit febrem, producit quoque Lethargum & vice versâ. Hinc jam perspicitur, illa quæ de pituitâ putrescente, ut & pulsu raro à practicis dicta sunt, esse absurda & erronea. Causarum complicatio.

Non putrescit pituita in posterioribus cerebri ventriculis, nec talis post mortem unquam, quod sciam, inventa est. Inventa est aqua limpida, inventum est serum copiosum, inventum est pus, inventum est cerebrum corruptum, pituita putrida inventa non est. Si quis autem ea, quæ de pituita putrescente exarata exstant, de sanguine pituitoso intelligenda esse contendat, is cogitet, sanguinem velut perpetuum esse mobile, putredinem non habere locum in liquoribus continuò & celeriter motis. Non putrescit sanguis, nisi putredinis vox impropriè sumatur. Et si supponatur putrescere, putredo deberet esse universalis, non in solo cerebro, quia sanguis continuo in circulum movetur. Causa erroris est, quod vigilias putaverint excitari à bile fervidâ, versus cerebrum repente. Cum autem vigiliæ & somnus sibi mutuo essent oppositi, causam contrariam excogitarunt somnum producentem, nempe pituitam. Errores vulgares deteguntur.

Pituita autem, humor frigidus & humidus, non videbatur febrem, quam *Hippocrates* πῦρ vocat, productura, nisi putredo succurreret. Quæ de pulsu tardo & raro dicuntur, sunt ejusdem farinæ. Nempe cum Febris signum sit pulsus p. n. frequentior, quomodo febrim adesse judicabimus, si in pulsu nullum ejus appareat indicium? Si autem pulsus rarus & tardus signum sit febris, corruunt ea, quæ circa febrem, diligentissimi observarunt practici. Quid? quod hoc pacto doctrina de pulsu reddatur dubia & incerta?

De vulneribus capitis & opio.

Lethargi causæ etiam statuuntur capitis vulnera & opiatorum usus; verum ego superius statui à capitis vulnere subitâ prehensos ἀφωνίᾳ dicendos esse Apoplecticos, leviorem speciem distincto carere nomine, hinc non uno sub titulo capitis vulnerum à practicis fit mentio. Ab opii usu in somnum incidentes sunt vel Comatosi vel Apoplectici dicendi. Potest etiam ab opii usu in Febribus excitari Carus. Lethargum propriè ab opio non putem produci, quia febris per aliquot dies perseverans, & simul sopor gravis opio soli tribui non potest: si enim nimiâ sumatur copiâ, brevi temporis spatio enecat, si minori, non tam diu perseverat somnus. Si quis tamen imprudenter Lethargico exhibeat opiata, is affectum potest graviorem reddere. Itaque quos *Willisius* Lethargicos dixit *lib.* II. *c.* 3. *de anima Brutorum* in fine, ab usu radicum hyosciami, ego malim dicere comate correptos. Secundum quod idem refert, Lethargi exemplum, ego malim Carum dicere, uti è superioribus est manifestum.

Causæ procatarcticæ.

Inter causas procatarcticas potest etiam referri crapula, si nempe, non tantum Coma citò transiens, sed & febrem atque soporem accersat. Ignavia & somnus protractus, etiam ad Lethargum disponunt. Evacuationes solitæ suppressæ sanguinem copiosiorem & minus defæcatum reddentes, etiam ad productionem Lethargi faciunt. *Hippocrates* Lethargum inter morbos hiemales retulit. *Aph.* 23. *s.* VII.

Differentiæ

Differentiæ Lethargi variæ sunt: alius potest dici per essentiam, scilicet quando cerebrum ipsum affectum est. Ita *Forestus* refert exemplum Lethargi ab abscessu in cerebri parte anteriori. *lib.* X. *obs.* 11. Per consensum, qui oritur ab eva-

evacuationibus ſuppreſſis &c. *Claudinus* in *Empyrica rationali* 111.4. ſtatuit Lethargum per conſenſum naſci, à ſolo diaphragmate, phlegmone pituitoſo obſeſſo. Verum ſi conceptibus noſtris nimium tribuamus, facilè in abſurdas incidemus opiniones. Quæ connexio inter phlegmonem pituitoſum diaphragmatis & Lethargum? Veriſimile eſt potius vigilias aut phrenitidem è tali affectu excitatum iri, quam Lethargum. Adeo difficile eſt ab erroribus circa affectus capitis & ſoporoſos ſibi cavere. Utilior eſt diſtinctio, quod alius oriatur à partium ſolidarum vitio, alius à partium fluidarum. Partium ſolidarum vitium poteſt eſſe tumor ſcirroſus membranarum cerebri, abſceſſus cerebri &c. Vid. *Bonetum Anat. Pr. C.* 1. *ſ.* 111. *obſ.* 21, 33. &c. Inter partes fluidas primum ſibi locum vendicat ſanguis, qui ſi ſit copioſior, vel minus aptus promptè circulari per minimas arteriarum propagines, facile Lethargum producet. Alius Lethargus eſt gravior, alius levior. Proponitur & hæc differentia ab auctoribus, quod alius ſit legitimus, de quo hactenus diſputavimus, alius nothus, quando nomen tribuitur affectui congeneri, qui propriè lethargus dici non poteſt. Hæc diſtinctio non in praxi, ſed auctorum ſcriptis pervolvendis alicujus utilitatis eſt, quandoquidem nomen lethargi tribuitur affectui, qui revera Lethargus non eſt, uti in ſuperioribus vidimus. Febris aliquando intenſior, aliquando minus intenſa, habet etiam quandoque ſuas exacerbationes.

Signa, ex iis quæ dicta ſunt, fiunt manifeſta: ægri alto ſopore obruti ſtertunt & febricitant: excitantur atque iterum in ſomnum relabuntur. Pulſus dicitur eſſe magnus, reſpiratio rara & imbecilla. De pulſu in ſuperioribus vidimus: de reſpiratione non eſt neceſſe multa addere, cum ego, omnibus accuratè & attente praxin exercentibus, putem eſſe manifeſtiſſimum, inter pulſum & reſpirationem eſſe quandam proportionem; ubi pulſus eſt febrilis, ibi etiam reſpiratio itidem eſt febrilis. Adeo ut mihi admodum ſit ſimile vero, plurimos medicinæ practicæ ſcriptores ſequi antecedentium gregem, non qua eundum eſt, ſed qua itur. Id quod priores in chartam conjecerunt, ſine ſufficienti examine, à ſequentibus iterum repetitur, atque ita non tantum crambe bis co- Signa.

cta,

cta, ſed errores, civitate, ut ita dicam, donati, apponuntur. Non eſt neceſſe urinam excerni turbidam, ſufficit ſi refrigerata talis reddatur. Oculis ferè clauſis jacent. Nonnulli dicuntur tuſſire, quod tamen non eſt neceſſarium. Signa ſeri in capite redundantis ſunt tumor faciei & palpebrarum: gracilitas pedum antea tumidorum. &c.

Prognoſis. Prognoſis ita inſtituatur, quod Lethargus ſit morbus periculoſus non tam reſpectu febris, quam quidem ſoporis profundi: afficitur enim pars princeps, & viſcus molle. Periculum majus eſt, ſi partes ſolidæ ſimul afficiantur, ſi abceſſus in cerebro, aut tumor ſcirroſus in membranis lateat. Periculoſum quoque, ſi latex ſeroſus cerebrum inundet, ſive corpore univerſim repleto, ſive etiam ubi pedes tumidi ſubito detumeſcunt, & ſerum copioſius verſus caput defertur. Lethargo affectos in ſeptem diebus interire, ſi autem ſeptimum diem excedant ſervari dixit *Hippocrates*, quod ego malim de Lethargo in latiori ſignificatione, adeo ut etiam Carum complectatur, intelligere. Quanto ſopor eſt profundior, quanto ægrotus magis in ſenium vergit, tanto periculoſior eſt lethargus. Convulſiones vel motus convulſivi juncti lethargo, periculum majus denunciant. *Hippocratis* effatum eos qui à lethargo ſervantur, fieri empyicos, merito rejecit *Mercurialis* niſi prudenter explicetur. Tremor & ſudores frigidi, malum.

Indicationes. Indicationes generales in hoc affectu ſunt: depreſſionem cerebri tollere, & ſpiritus excitare, non neglectâ febri.

Curatio. Curatio depreſſionis cerebri reſpicit cauſas depreſſionis, ſcilicet ſanguinem nimis copioſum, tenaciorem, ſerum in cerebro redundans, quo referri poteſt ipſa cerebri conſtitutio humidior.

Venæ ſectio. Si ergo ſanguis peccet nimiâ copia, ſi evacuationes ſolitæ ſint ſuppreſſæ, is promptè V. S. eſt imminuendus. In hoc caſu nulla fit revulſio, neque enim motus alius ſanguini imprimi poteſt, quam juxta circulationis leges, à corde per arterias verſus corporis extremitates, ab extremitatibus per venas verſus cor. Ratio autem quare V. S. proſit, è natura preſſionis ſanguinis deducenda eſt. Quandoquidem arteriæ ſunt re-

repletissimæ, etiam in statu sanitatis, quandoquidem sanguis vi pollet elasticâ, quandoquidem sanguis cordis validâ contractione exprimitur in arterias, necessum est, si pulsus reddatur frequentior, & sanguis magis dilatetur, cerebrum, viscus molle, magis comprimi, atque ita somnum gravem cum febre induci, à pressione præter naturam auctâ. Ubi autem sanguis V. S. educitur, deplentur primum quidem venæ, verum cum jacturam hanc sanguinis resarcire debeant arteriæ, arteriarum repletio etiam imminuitur, ac proinde non infertur tanta vis cerebro, nec tantum imminet periculum apostematis aut disruptionis vasorum. Res sese eodem modo habet uti in aggeribus, quibus à nimiâ fossarum, vel alveorum fluminum, repletione, vis infertur. Efficacia aquæ, fossis, aut fluminibus contentæ, moli ejusdem proportionatus est, adeo ut major repletio canaliculos antea clausos, vel conniventes aperiat, eosdem sensim reddat magis patulos, & nisi occurratur, aggerem perrumpat. Ubi autem recessu fluminis alvei aliquantulum exhausti sunt, cessante ingenti illa pressione, clauduntur, vel saltem non amplius conspiciuntur illi canaliculi, atque adeo nullum est periculum sata læta, boumque labores prostratum iri. Ut ad sanguinem revertamur, videmus quantâ vi is è secta vena prorumpat, quando ligaturâ ejus refluxus versus cor impeditus est. Videmus quam citò, ligaturâ solutâ, arteriæ sanguinem novum in locum deperditi subministrent. Videmus etiam quantum levamen in affectibus capitis afferat venæ sectio.

Venæ sectionis tamen in Lethargo, non eadem semper est necessitas. Nolim enim facile venam secari decrepitis, debilibus, hydropicis, aut Leucophlegmaticis, sanguinis evacuatione copiosâ exhaustis, neque etiam quibus latex serosus in capite redundat. Autumno etiam & hieme parcius detrahi sanguinem mallim, quam vere & æstate. Longè parcius etiam in hoc casu detrahendus est sanguis, quam in Caro vel Apoplexia. Quantitatem sanguinis evacuandi determinabunt ejusdem copia, soporis gravitas, ægroti æstus, consuetudo, vires, genus vitæ, tempus anni. *Willisius* in hoc casu venam jugularem, præ brachiali, pertundendam consulit. Mihi

Ea non semper in usum vocanda.

ſatisfaciunt venæ ordinariè ſecari ſolitæ.

Vomitoria. Sanguinis viſciditati occurritur, ſi ipſi pabulum ſubtrahatur, ſi viſciditas imminuatur, ſi corrigatur. Pabulum tenacitati ſubtrahitur, ſi ventriculus vomitorio exhauriatur. Rarò vel nunquam ſanguis peccat viſciditate, quin ſaliva glutinoſior concurrat, vel tanquam cauſa, vel tanquam effectus. Tanquam cauſa, quando ejus minor fluiditas non ſatis ſufficienter diſſolvit alimenta ingeſta, nec eadem ſatis ad fermentationem debitam diſponit. Tanquam effectus, quando à ſanguine magis cohærente particulæ tenaciores, ope glandularum ſeparatæ, per vaſa ſalivalia verſus os & ventriculum deportantur. Itaque vomitorium, in hoc caſu, magni eſt uſus, quandoquidem ventriculum ſaburrâ liberat, & ſimul magnam ſalivæ viſcidæ partem educit. Quid? quod vehemens illa concuſſio non parum ad excitandum ægrum faciat? Exhibendum autem eſt ſtatim in principio, ſi vires ferant, nec circumſtantiæ aliquæ ejus uſum impediant. Sunt enim aliquando delicatuli & molles non tantum ægri, ſed & adſtantes, ſibi ipſis & medicis moleſti. Notandum autem, in Lethargo exhibenda eſſe in majori doſi, quandoquidem irritatio alias non percipitur, nec laudabilis ſequitur effectus.

℞. *Vini Emetic. ex infuſ. vitri antim.* ℥jß.
Oxymellis Scyllit. ʒij.
F. Hauſtus.

Vomitum ſuſpectum eſſe dixit *Hercules Saxonia*, quia caput replet, neque excitandum niſi in ea Lethargi ſpecie, quæ è ventriculo ortum habet. Non dubitavit tamen præſcribere,

℞. *Trochiſc. Alhand. gr.* x.
Mellis aut *Syr. de Beton.* aut *Oxymell.* ſimp. q. ſ.
M. F. Pilulæ ij. vel iij.

Verum *Colocynthis* aliquando non minores turbas in corpore excitat, quam medicamentum vomitorium. Et quotuſquisque laborat Lethargo, in quo ventriculus culpa vacat? *Riverius* non malè *Sereni* verſiculum adducit: *Medici hæc potiora putant, quam dulci morte perire.* Atque hoc *Cornelii Celſi* effatum: *multa in præcipiti periculo rectè fiunt, quæ aliàs eſſent omittenda.* Commendat igitur *Aquam benedictam* è *Croco metallorum* paratam, atque addit: *bonâ fide teſtari poſſum, me virum nobilem, ex*

ex primoribus hujus civitatis, vidisse, ter intra biennium ab Apoplexia hoc solo remedio liberatum. l. 1. c. 7.

Viſciditas ſanguinis imminuitur, ſi purgantia exhibeantur potentiora, amaricantia, ſimul incidentia. Ex. gr. Purgantia.

℞. *Elect. Hieræ. picræ.* ℥iij.
Sal. Tartar. gr. viij.
Aq. Salviæ. q. ſ.
M. F. Hauſtus.

Non eſt quod amaricantia metuamus: ſi lingua & palatum valide afficiantur, facilius excitabitur æger. Pulvis ſequens etiam ſatis eſt efficax:

℞. *Rad. Gialapp.* ℈j.
Rhei elect. ℈ß.
Sal. Abſinth. gr. v.
Trochiſc. Alhand.
Diagrid. aa gr. ij.
F. Pulvis.

Williſii ſunt ſequentes formulæ:

℞. *Sulph. Antimon. gr.* v.
Scammon. ſulphurat. gr. viij.
Cremor. Tartar. gr. vj.
M. F. Pulvis.

℞. *Scammon. ſulph. gr.* xij.
Cremor. Tartar. gr. xv.
Caſtor. gr. iij.
F. Pulvis.

Quod ſi pilulæ in uſum vocari poſſint, *Pilulæ Vaticanæ* non ſunt inconcinnæ. *Fr. Dekkers* nunc Profeſſor *Lugd. Bat.* præſcripſit:

℞. *Extract. Cathol.* ℈j.
Caſtor. ℈ß.
Ol. Succin. g. ij.
M. F. Pilulæ no. vij.

Viſciditas corrigitur medicamentis Cephalicis dictis, Stomachicis, Amaricantibus, Antiſcorbuticis. Eligenda autem talia, quæ etiam ratione febris, & ſymptomatum febrilium maximè ex uſu ſunt. Ex. gr.

℞. *Fol. Taraxac. cum toto. m.* ij.
Ruthæ.
Trifol. aquat. aa m. j.
Cort. Citri recent. ℥ij.
Coq. s. a. ex *aq. pura* colat. ℥xxiv. Add.
Syr. è Succo Card. bened. ℥j.
Sp. Nitri dulc. ʒß.
M.

Willisius tale præscripsit Julapium:

℞. *Aq. Fol. Polon. Cerasor. nigr.*
Ruth. Jugland. s. aa ℥iij.
Pœon. compos. ℥ij.
Castorei nodulo inclusi & in vitro suspensi. ʒij.
Sacchar. ʒiij.
M. F. Julapium.

Dentur cochlearia iiij. vel v. tertia vel quartâ quaque horâ: porro singulis hujus dosibus adde *sp. C. C. Succini.* vel *Sal. Armon. gr.* xii. vel chartam pulveris sequentis,

℞. *Pulv. Rad. Pœon. Macis, Cranii human.*
Rad. Serpentar. Virginiam Contraier. aa ʒj.
Bezoar. Margarit. aa ʒß.
Corall. ppt. ʒj.
F. Pulvis dividendus in 12 partes.

Fr. Dekkers hanc præscripsit mixturam:

℞. *Aq. Puleg.*
Betonic. aa ℥jß.
Prophylact. ℥j.
Tinctur. Castor. ʒj.
Sp. Sal. Armon. ʒß.
Syr. Sthæchad. ʒvj.
M.

Utilis quoque est in Lethargo *Tinctura herbæ Thee* aqua bulliente extracta, & ordinario modo usurpata; hæc enim creditur somnum excutere. Convenit quoque decoctum lignorum, *Guajaci*, *Sassaphras*, & similium; præterquam enim quod hoc incidendi & attenuandi magna vi polleat, etiam calida istius-

istiusmodi liquoris copiosa assumptio palatum & fauces vellicat, diluit, movet, attenuat sanguinem, spiritus animales mobiliores reddit, atque ita pluribus indicationibus satisfacit. Quod si comparatio sit instituenda inter Tincturam *Thee* & tale Decoctum, facile patet, illam quidem sitim exstinguere, ventriculo autem flaccido, qualis hic occurrit, esse minus utilem copiosam aquei hujus potus ingurgitationem. Decoctum autem lignorum ventriculum debilem minime offendit, & in constitutione scorbutica utile est. Ego sanè, aliis medicamentis minus proficientibus, tale decoctum reliquis palmam præripuisse expertus sum. Formulæ variæ apud Auctores reperiuntur, lubet tamen sequentem, non magnâ simplicium farragine onustam subjungere:

℞. *Rad. Salf. parill.* ℥ij.
Rof. Lign. Guajac. ℥iv.
Cort. ejusdem.
Ligni Sassafras aa ℥j.
Liquent. ʒij.

Infundantur, per noctem in *aq. puræ* ℔viij. tum decoque ad tertiæ partis consumptionem: colatura detur pro Decocto.

Qui plures descriptiones tam alterantes quam purgantes desiderat is adeat *Mynsigtum* in Armamentario, *Quercetanum* in Pharmacopoeâ dogmaticâ restitutâ, *Petrum Poterium* in Pharmacopœâ spagyrica &c.

Absolvi priorem indicationem generalem, & docui quomodo depressio cerebri sit tollenda, restat altera, quæ præcipit spiritus esse excitandos. Antequam autem hanc aggrediamur, quæstio hæc examinanda est: an particulæ narcoticæ sulphuris vitriolici, aut narcotici æmulæ in corpore nostro generentur? Occasionem huic quæstioni dedit, quod, dum hæc scribo, auctores recentiores magni nominis hanc sententiam tueri videam. Ego autem non vereor liberè profiteri, me ab hac sententiâ quam maximè alienum: atque acriter defendo, tales particulas esse meras chimæras, & ignorantiæ asylum. Mirum sanè videri possit, perspicaci hoc seculo, in quo homines rident facultates veterum medicorum, concoctricem, reten-

Discutitur quæstio, an in corpore nostro generentur particulæ narcoticæ?

tricem, expultricem, qualitates occultas, & plura ejusdem commatis antiquorum placita, mutatis nominibus eandem agere fabulam. Quid enim aliud est statuere particulas narcoticas, quam particulas qualitate occultâ, facultate somnifera præditas? Nisi videatur ille toto cœlo errare, qui facultatem statuit narcoticam: illum autem rem acu tangere, qui particulas statuit narcoticas: illum termino uti ridiculo, qui qualitatem dicit occultam, illum autem termino uti distinctissimo, qui particulas dicit, easque ab effectu, quem supponuntur habere, denominat, somniferas. At hoc id ipsum est quod quæritur, unde somnus hic producatur? Tu dicis à particulis somnum producentibus: ego respondeo, hoc est idem per idem, antiquorum modo, explicare. Excipiet fortasse aliquis, has particulas explicari, quando dicuntur sulphureo-vitriolicæ; verum rem ipsam penitius inspiciamus. Sulphuris vox à Chymicis in medicinam introducta est, & significat unum ex ipsorum principiis, quæ tanquam elementa corpora mixta constituunt. Non dicam jam, litem de principiorum horum veritate adhuc sub judice esse; illud dicam, tale sulphur in corpore nostro non reperiri, nisi quis velit corpus nostrum laboratorio chymico planè esse simile, & operationes utriusque, vasa & viscera, ignem & calorem, omnino convenire. Eadem est *Vitrioli narcotici* ratio, cujus processus longo temporis spatio, nullâ accedente humiditate, præterquam V. S. rectificato, perfici debet. Cum autem nec *vitriolum pulverisatum* in corpore nostro inveniatur, nec illud *ad albedinem lento calore exsiccari possit*, cum nec *spiritus vini rectificatus* detur, nec *mariæ balneum*, nec *organa destillatoria*, nec *recipiens*, manifestum est, tale *vitriolum narcoticum* in corpore nostro non inveniri. Constat ergo, frustra aliquem contendere has particulas explicari, cum termini advocantur chymici: finguntur tantum vocabula nova, & talia corpuscula qualia in corpore nec dantur, nec dari possunt. Relinquitur ergo, has particulas, è Chymia transsumptas, esse metaphoricas, & obscuras, adeoque evidentiam significationis deberi peti ab adjuncto epitheto, quod diximus esse ejusdem valoris cum facultatibus & qualitatibus occultis. Non oportet aliquid

quid statui in corpore nostro generari, & symptomata producere, nisi simul explicare possimus quale illud sit, & demonstrare illud revera dari. Hæc ubi præstare non possumus, non debet videri mirum, talia rejici tanquam chimæras. Ubi autem talia adhibemus explicationis loco, quæ verba sunt, & præterea nihil, termini vagi & metaphorici, ad ignorantiæ asylum recurrimus. Relinquitur igitur, auctores illos cum somni naturalis rationem ignorarent, nec præternaturalis causas, ex veris principiis, explicare possent, obtrusisse particulas narcoticas, seu qualitates occultas. Ego nulla suppono incerta principia, nullas particulas, nulla elementa, nisi quæ in corpore nostro inveniri nullus ambigit, sanguinem copiosiorem, viscidiorem, laticem serosum, spiritus torpidiores, quæ revera dari nemo facile ibit inficias, nec aliis fictitiis causis mihi est opus, cum ex hisce solis totum negotium explicari, & distinctè concipi possit. Argumentum, quo horum auctorum sententia nititur, omnino ficulneum est, scilicet pathologiam spasmodicam non alia ratione tradi posse, quam per *corpuscula* quædam *extranea*, velut *nitro sulphurea*, quæ *spiritibus adhærentia*, & ab iis *denuo elisa*, ipsorum impetus quasi *explosivos*, hoc est, *convulsivos* cient. Quemadmodum autem è superioribus manifestum est, mihi particulis narcoticis, ad Lethargi naturam explicandam, non fuisse opus, ita è sequentibus patebit, nec hasce nitro sulphureas particulas, ad explicationem convulsionis, requiri. Hæc ergo argumentatio incertum per æque incertum, vel potius, falsum per id, quod nullo nititur fundamento explicare frustrà annititur.

Spiritus torpidiores (ut è diverticulo in viam redeam) excitantur *Salibus volatilibus*, *acribus*, & *fætidis*, imprimis autem *spiritu Salis Armoniaci*. Excitant quoque spiritus torpidiores medicamenta *cephalica* dicta *Elixir cephalicum*, *Tinctura Succini*, *Spir. vini succinatus*, *Essentia cephalica*, qualia collegit *Matthias Tillingius* in Prodromo praxeos chimiatricæ Classe II. Tit. 3. Conveniunt hic quoque ea, quæ ad sanguinem corrigendum præscripsi, quandoquidem materia spirituum est sanguis, & ordinariè inter hosce liquores est quædam proportio. Ad spiritus excitandos faciunt & enemata, ex gr. [Quomodo spiritus excitentur.]

℞. *Rad.*

℞. *Rad. Angelic. Lilior. alb. Bryon. aa* ℥ß.
Fol. Origan. Salviæ, Ruthæ
Rorismarin. aa m. ß.
Flor. Sthæchad. Chamomill. aa p. j.
Coq. s. a. ex *aq. pura* colat. ℥x. Add.
Elect. Diaphænic.
Hieræ picræ aa ℥j.
Sal. Gemm. ʒj.
M. F. Enema.

Saxonia ad hunc modum præscribit:
℞. *Centaur. utriusque aa m.* ß.
Puleg. Origan. Tragorigan.
Thymi, Calaminth. aa m. j.
Colocynth. in pet. ligat. ʒij.
Bulliant simul usque ad consumptionem medietatis & facta expressione
℞. *Prædict. decoct.* ℔j.
Hieræ diacolocynth. ℥ß.
Mellis Ros. Sol. ℥iij.
Ol. rut. ℥iij. *Sal.* ʒj.
M. F. Clyster.

Dolæus hanc habet formulam:
℞. *Herb. Absinth.*
Centaur. min.
Fol. Ruth. Betonic. aa m. j.
Rad. Pyrethri. ʒiij.
Pulp. Coloc. in petia leg. ʒjß.
Coq. in s. q. *aq. com.* colat. ℥viij. Add.
Elect. hier. c. agar. ℥j.
Fellis taurin. inspiss. ʒj.
Vitelli ov. j.
F. Clyster.

Quidam *vinum emeticum* colaturæ addunt, qualium enematum formulas superius, ubi de Comate vigili egi, è *Riverio* exhibui.

Ad spiritus excitandos etiam non parum conducunt cucurbitulæ tum siccæ tum etiam scarificatæ. Scarificatorum impri-

mis egregius eſt uſus, quando V. S. non ſufficiens ſanguinis quantitas educta eſt.

Eidem ſcopo inſerviunt ligaturæ dolorificæ, frictiones cum pannis aſperis, ſternutatoria. Tale præſcribit *Dolæus*: Sternutatoria.

℞. *Pulv. Tabac. Virgin.*
Majoran.
Lilior. convall. aa ℈j.
Sal. Volat. urin.
Pulv. Hellebor. alb. aa gr. iv.
M. F. Pulvis.

Sequenti errhino cum inſigni ſucceſſu uſus eſt *Fr. Dekkers.*

℞. *Turbith. mineral.* ℈ß.
Glycir. pulv. ʒß.
M. F. Pulvis tenuiſſimus.

Commendantur quoque veſicatoria ampla cervici & cruribus applicata. Refert *Williſius* ſe noviſſe maximum juvamen collatum à veſicatorio amplo, ulcuſcula plurimum manantia in toto ambitu capitis excitante. Veſicatoria ſincipiti adhibita multum præſtare affirmat quoque *Dolæus.* Veſicatoria.

Laudantur etiam Apophlegmatiſmi, non quidem ſtatim in principio uſurpati, ob metum novæ fluxionis, ſed poſtmodum. Inſerviunt hi ſalivæ viſcidiori expurgandæ. Imprimis autem huic fini inſerviunt vomitoria ſpiritus potentius excitantia, & materiæ tenacis magnam copiam evacuantia, uti in ſuperioribus explicui. Simulac enim quis nauſeâ corripitur, ſtatim ſaliva copioſè ad os confluit. Manifeſtum etiam eſt ea, quæ per vomitum educuntur, non fuiſſe omnia contenta ventriculo, verum in ipſo vomendi actu eò confluxiſſe. Probè hæc ſunt obſervanda, hinc enim explicatio petenda eſt curationum ſtupendarum, quæ unius vomitorii uſum ſæpe ſecutæ ſunt, fruſtra & diu aliis medicamentis incaſſum adhibitis. Exempla in Aſthmate, Orthopnæâ, ſtrangulatu apud *Rulandum* exſtant. Quemadmodum itaque in ſuperioribus ad ſanguinis viſciditatem emendandam laudavi vomitoria, ita eadem hic iterum commendo, tanquam ſpiritus excitantia & ſalivam viſcendam educentia. Apophlegmatiſmi.

℞. *Tartar. emet.*
Sal. Absinth. aa gr. v.
F. Pulvis, cum cerevisiâ tepidâ exhibendus.

Quod si crapula huic morbo occasionem dederit, tanto magis ea requiruntur.

Castoreum purgantibus additum.

Veteres solebant uti, tanquam medicamento magnarum virium, *Castoreo* cum *Scammonio* mixto: ad quorum imitationem præscribere licet

℞. *Castor. opt.* ℈j.
Diagrid. ℈ß.
Sal. Tartar. gr. v.
F. Pulvis.

Spiritus torpidos etiam excitant *Oleum Succini* aut *Balsami cephalici* temporibus & faciei illiti.

Cataplasmata.

Pedibus imponuntur cataplasmata è *Ruta*, *Piperide* & *Ranunculo*, cum *sapone nigro* & *sale marino* in pultem contusis.

Febris non est negligentia.

In fine indicationum generalium addidi, non negligendam esse febrem. Febris quippe pulsum frequentiorem, & sanguinis dilatationem majorem efficiens, somnum profundiorem inducit. Hæc est ratio quare non præscripserim Aquas spirituosas, *Apoplecticarum* aut *antiparalyticarum* nomine superbientes. Facile speciosis hisce appellationibus decipimur, res ipsa potius spectanda est. Quomodo hæ aquæ somnum abigent ægrotantium & lecto affixorum, cum constet etiam sanos, ex horum usu copiosiori, in ebrietatem & somnum incidere?

Decipimur specie recti.

Hæc est ratio quare in superioribus præscripserim Apozema. Nolim tamen hæc ita accipi, quasi omninò à spirituosis esset abstinendum, illud volo, ea non esse semper, per se, aut magna quantitate usurpanda. Respicere oportet circumstantias varias, ætatem, vires, magnitudinem morbi, vitæ genus, consuetudinem ægrotantis. Inter spirituosa non infimum obtinet locum *Tinctura Castorei* aquis cephalicis phlegmaticis commixta, & cum cerevisia, aut vino parva quantitate exhibita. Ex gr.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. Betonic. Cochlear. aa* ℥jß.
Tinctur. Castor. ʒjß.
Sal. Volat. Fulig. gr. v.
Ol. Succin. g. iij.
M.

Sumat subinde cochleare unum patiens.

Non tantum *Tinctura* sed & *Castoreum* ipsum in substantia exhibitum magnarum est virium ad excutiendum somnum; medicamentum ingratum quidem, sed præstans. Potest itaque præscribi hic aut similis pulvis,

℞. *Castor. opt.* ʒß.
Sal. Volat. Succin. ℈ß.
F. Pulvis pro ij. dosibus.

Vel si æstus insignis vexet, potest minori quantitate medicamentis magis temperatis jungi. Ex. gr.

Sal. Absinth.
Cremor. diaphor. aa ℈ß.
Castor. gr. iv.
F. Pulvis.

Dolæus habet sequentem specificum,

℞. *Pulv. Castor.* ʒj.
Sem. Sinap. Nasturt. hortens.
Ciner. hirund. succin. ppt. aa ʒj.
Ambræ grisea. ʒß.
Fol. Auri. no. iij.
F. Pulvis specificus.

& hanc mixturam,

℞. *Aq. Ruthæ.* ℥iij.
Cephalic. ad intra. ℥j.
Oxymell. Scyllit. ℥jß.
M. Pulvis hac mixtura assumi potest.

Dixi respiciendum esse ad vitæ genus & consuetudinem: neque enim eadem medicamenta conveniunt aquæ & vini potoribus, si itaque necesse sit in usum vocare spirituosa, quandoquidem plures exstant formulæ medicamentorum admodum efficacium, en aquam trium florum laxantem non contemnendam, sed magis temperatam:

AQUA TRIUM FLORUM.

℞. *Flor. Salviæ.*
Tunicæ.
Lavendulæ. aa m. iij.
Spir. Vini. ℔iij.
Aquæ Cochlear. ℔vj.

Deſtillentur ſ. a. in arena, abſtrahendo circiter tertiam partem, in qua infunde per octiduum
Rhei elect.
Gialapp.
Aloës lucid.
Croci Britannic.
Rad. Angelic. aa ʒij.

Colatura ſervetur in Phiala vitrea probe obturata.
Doſis eſt ab ℥j. ad ℥iij.

Diæta. Breviter ſubjungenda eſt diæta. Aer ſit purus, lucidus, calidus, quod ſi talis natura non ſit, exſtruatur ignis é ligno juniperino: frigus enim nocet. Vitetur cibus glutinoſus, difficilis concoctionis, pravi ſucci: juſcula condiantur herbis cephalicis; nocet ſatietas. Cereviſia ſit recens, modice lupulata. Vinum Rhenanum Enulatum, ſalviatum modica quantitate concedi poteſt. E ſomno ſæpius excitetur æger, exhibeantur medicamenta palatum & fauces afficientia, ne cito in ſomnum relabatur. Quandoquidem morbus exercitia impedit, exercitii loco æger è lecto ſurgat, erectus ſedeat, adſtantes linteis aſperioribus membra fricent. Alvus ſemper ſervetur libera, exhibeantur purgantia, injiciantur enemata, glandibus acrioribus irritetur alvus. Inter animi pathemata nocet mœror, homines torpidos & abjecto animo reddens, prodeſt gaudium, ſpes ſanitatis brevi recuperandæ, itaque ſodalitium amicorum, ægro quam maximè acceptorum, ad ſoporem arcendum & confabulandum, convenit.

CAPUT NONUM.

De Hydrophobiâ.

SI ullum eſt ſymptoma horrendum, certè id eſt Rabies, quippe cum omnibus aliis morbis & ægrotis auxiliares admoveamus manus, atque ſi illos tollere aut curare non poſſimus, ſaltem conamur mitigare ſymptomata. Hydrophoborum unicorum alia eſt ratio, hi ſoli dicuntur ſuffocari, &, tanquam inutilia, imo tanquam ſummè noxia reipublicæ membra, reſecari, ne partes ſinceræ trahantur. Hydrophobia ſymptoma horrendum.

Non eſt admodum frequens hic affectus, neque novi me ad tales ægrotos fuiſſe vocatum (non loquor de vulneratis, ſed de hydrophobia in ſummo gradu) niſi ſemel tantum ad virginem, quam referebant amici à cane fuiſſe vulneratam; erat autem garrula, inquieta, potum averſabatur, ſeſe diu poſſe vivere negabat, imo ſeſe illa ipſa nocte exſpiraturam affirmabat, cum videretur adhuc ſatis robuſta, id quod etiam contigit. *Liſterus Exerc.* 3. ait. *Idcirco providentiam divinam magnopere laudo, à morbo etiam longe ſæviſſimo, humanum genus, etiam invitum, tueri velle.* Gaudeo ac Deo gratiam habeo & ago, plures tales ægrotos curæ meæ non fuiſſe commiſſos; neque enim ſine aliquo metu adfui, cavens ne ſaliva ejus commacularer. Potuiſſem itaque hoc ſymptoma ſicco tranſire pede: verum cum auctores in enumerandis ſymptomatibus ferè conveniant, nolui meam mentem de hoc affectu premere. Non eſt admodum frequens.

Eſt autem Hydrophobia *aquæ & potulentorum fuga atque horror, è morſu potiſſimum canis rabidi contractus, cum febre, æſtu, ac delirio.* Ejus deſcriptio.

Quamvis hic affectus etiam Rabiei nomine veniat, malui tamen Hydrophobiæ appellationem retinere, ob ſingulare illud ſymptoma, quo ab omnibus aliis morbis internoſcitur, quodque ſigni pathognomonici loco eſſe poteſt. Nominis ratio.

Non dixi hunc affectum delirium, aliorum auctorum more, tum quandoquidem delirii vox admodum generalis ſit, & plurimis morbis accidat, tum quod delirium propriè ad mentem Delirium non ita commode dicitur.

pertineat; pravæ autem diſpoſitionis corporeæ genus tale non debet ſtatui, quod mentem, non autem corpus, reſpicit. Non nego me in fine deſcriptionis etiam delirii feciſſe mentionem, ſed aliud eſt dicere corpus ita graviter affectum eſſe, ut ratiocinatio noſtra exinde pervertatur, aliud pravam diſpoſitionem corpoream eſſe ipſam mentis læſionem. Hiſce addi poteſt, *Petrum Salium* teſtari ſe adfuiſſe hoc morbo correptis, quibus mens planè conſtabat, etiam tum cum à liquidis admodum abhorrerent.

Fuga & horror potûs. Fuga potus rectè tanquam genus conſtituitur, cum ea ſit etiam aliis morbis communis. Non ſemel obſervavi ægrotos cauſo laborantes potum reſpuere conſtanter; quamvis enim lingua & fauces aridæ eſſent & ſiccæ, imo ad nigredinem vergentes, oblatum potum tamen nolebant aſſumere, atque os & labia claudebant. Eſt autem hoc ſymptoma ſatis moleſtum & θανάσιμον. Quando vero additur horror, ſive cum horrore, tum ſtrictius ſignificatur qualis ſit ea fuga, ſoli enim Hydrophobiâ laborantes non tantum averſantur potum, ſed & horrent ſimul ac liquor admovetur propius. Toto corpore, & omnibus artubus contremiſcere, non hominibus ſolis, ſed & brutis convenit.

Morſus canis rabidi. Dico illud potiſſimum eſſe contractum è morſu canis rabidi. Quos canis rabidus momordit maximè obnoxii ſunt hydrophobiæ; non tamen neceſſe eſt dentibus fuiſſe læſum rabioſum, ſpuma etiam veſtibus adhæreſcens inficit, atque ita abſque morſu communicatur hoc venenum. Poteſt fortè contingere, à rabie aliorum animalium etiam affici homines, verùm canes frequentius corripiuntur, & ob fidelitatem paſſim in ædibus & plateis oberrant, adeo ut illorum morſum non ita facilè effugiamus. Refert. *Fernelius l.* 11. *c.* 14. *de abditis rerum cauſis*, venatores quoſdam lupum in varia obſoniorum apparaſſe, omnes autem quicumque eſitarant, non multo poſt tempore, rabie correptos. Cum tamen ſymptomata horum non enumeret, an Hydrophobiâ omnes affecti fuerint non liquet.

Cur rabies canum frequentior? Cur autem canes præ ceteris beſtiis corripiantur rabie, operæ pretium eſt inveſtigare. Ego ita exiſtimo. Canes gaudent ſan-

ſanguiue admodum mobili, expanſioni apto, adeoque comminutioni & fervori. Hoc patet ex inſigni agilitate: motu, curſu, ſaltu gaudent canes. Canes ſunt admodum ſalaces. Quando cultello anatomico ſubjiciuntur, odor, è viſceribus exhalans, eſt fœtidus, nares acriter feriens. Hinc meritò concluditur, ſanguinem eorum eſſe admodum mobilem. Quemadmodum autem curſus tanquam effectus conſideratus indicium præbet ſanguinis mobilis, ita idem curſus continuatus, tanquam cauſa, ſanguinis motum, agitationem, expanſionem multum intendit, unde liquores ſecreti neceſſario evadunt acriores. Neceſſe habent canes ore aperto, & lingua exerta creberrimè reſpirare, unde vaſorum ſalivalium ſequitur exſiccatio, minor & acrioris ſalivæ ad os affluxus, adeoque ſitis intenſa. Si itaque aqua priventur, ſi neque ſanguis neque ſaliva à recenti liquore diluantur, ſi acris accedat æſtus, non mirum, ſi particulæ rigidiores ſeſe exerant, exagitentur, acrimoniam acquirant, atque volatilitatem præternaturalem & quidem venenoſam, fauces atque os malè mulctantem, explicatu arduam, vel difficilem. Cum autem venenum hoc ſalivam potiſſimum afficiat, mirum videri non debet, ſi morſu aliis communicetur. Caro viperina medicamenti loco uſurpatur, morſus viperarum gravia infert ſymptomata. Forſitan ἰδιοσυγκρασία canum quoque aliquid facit ad rabiem ſuſcipiendam.

Adeſt in Hydrophobia febris, æſtus, & delirium: ſcilicet quando morbus ad eum ſtatum pervenit, ut ægri revera potum averſentur; neque enim ſtatim in principio hæc ſymptomata ſeſe exerunt. Afficit venenum hoc ſanguinem, & ſpiritus animales, adeoque majorem illius preſſionem, horum motum inordinatum efficit, uti in ſequentibus adhuc videbimus. Nec nos movere debet *Petri Salii* delirium negantis auctoritas; quamvis enim è pluribus ægris aliquis minus deliret, vel dilucida habeat intervalla, non ideo negare oportet ſymptoma, quod ordinariè cum Hydrophobiâ conjungitur. *Adjuncta Hydrophobiæ.*

In hoc conſiſtit ſumma difficultas, quare hoc affectu correpti, conſtanter omnia potulenta averſentur? Hunc nodum ergo intricatiſſimum ut ſolvam, proponam aliquas animadverſio- *Quare ægri potum averſentur.*

ſiones, verum hæſitans, quandoquidem difficile eſt hac in parte ſibi & aliis ſatisfacere.

Salivæ vitium.

Obſervo itaque ſalivam in hiſce ægrotis eſſe infectam, atque mediante ſalivâ infectionem aliis communicari. Mirum autem videri non debet, ſalivam in ſalivam, ſimile in ſimile, agere, quamvis vulnus pedi aut brachio fuerit inflictum, cum conſtet, etiam Mercurium ſolâ inunctione ſalivam afficere. In hoc autem conveniunt ſalivationes hæ ambæ, quod ſaliva à naturali ſtatu multum deſciſcat, & partes oris malè afficiat. Immutatio ſalivæ poſt inunctionem odore ſeſe manifeſtat, hydrophobiâ correptorum contagio; ſive quod ſaliva maximè accommodata ſit recipiendo huic veneno, ſive quod venenum à ſalivâ in actum deducatur.

Ulterior explicatio.

Ut mens mea clarius percipiatur, duo obvia experimenta in memoriam revocare oportet. Aqua fortis talibus gaudet particulis, & poris, ut argentum, æs, ferrum facile diſſolvat & contineat, aurum autem argento admixtum non attingat. Ex alterâ parte, mercurius vivus aſſumitur crudus in Ileo morbo abſque ulla noxa, idem mercurius, ab aqua forti diſſolutus, ita immutatur & activus evadit, ut pauca ejus grana maximas in corpore turbas excitent. Ita etiam res ſeſe habet in morſu canis rabidi, vulnera inflicta ſatis facile ad cicatricem perduci poſſunt, adeo ut venenum morſu communicatum ſeſe non multum exerat in partibus ſolidis; verum ubi ope lymphæ & ſanguinis ad ſalivam uſque pervenit, tum noxia ejus vis ſeſe exerere incipit. An autem ſaliva debeat tantum conſiderari tanquam veneni vehiculum? An vero tanquam ſuſcitans latentes ejus vires, dum ſanguini erat admixtum, ut noxias facultates poſtmodum exerat, difficile eſt determinatu, forſan utrumque habet locum. Et hæc eſt ratio, quare, per aliquod tempus, poſſit deliteſcere venenum, ac poſtea ſuis indiciis ſeſe prodere.

Suffocationis metus.

Salivæ hoc vitium partes vicinas primum inficit, imprimis fauces, forte etiam epiglottidem, ut ſeſe claudere non poſſit, poſtmodum ulterius ſerpit. Vitium illud faucium ſui generis eſt inflammatio, à qualitate venenata producta, & deglutitionem liquidorum omnino impoſſibilem reddens. Hinc eſt quod po-

potulenta ita adverſentur & horreant. Quis enim amet ſuffocari? Quotuſquiſque morti repentinæ ſeſe facilè exponat? Habeo conſentientem *Petrum Salium*, cujus hæc ſunt verba: *Sciant omnes vim deglutiendi in rabidis hominibus præpeditam eſſe.-- Hinc timent iſti extingui & ab aſſumptis, præcipuè autem à liquidis ſuccis omnibus & potulentis: quapropter & hæc maximè omnium rerum potiſſimum abominantur.-- qua de re oppreſſa aſpera arteria, ſuffocationis periculum impendet, quam læſionem rabidi perſentientes, etiam liquida hinc præcipue abhorrent, tanquam ea à quibus ſuffocari debeant. Interrogati enim, ut pluries expertus ſum, cur bibere non audeant, potumque omnem fugiant, reſpondent, potulenta nec poſſe penetrare nec permeare fauces gulamve, ob earum magnam anguſtiam & conſtrictionem.* Hactenus *Salius*, quem poſtquam legi, admodum confirmatus ſum in ſententia mea ſuperius propoſita. Refert quoque *Martinus Liſter. Exerc. 3. Jacobum Corton* Hydrophobia correptum ſibi ſerio multoties aſſeveraſſe ſe ſalivam propriam ægre deglutiviſſe, id quod vel morte pejus erat. Non eſt mirum igitur, ſi ægroti, ob inſignem hanc & morte graviorem moleſtiam, potum omnem expaveſcant.

Quamvis autem, ſtatim poſt morſum canis rabidi, nec ſanguis nec ſpiritus videantur malè affecti, non poſſunt tamen non ſenſim à veneni contagio iidem lædi, id quod è cauſis & ſymptomatibus eſt manifeſtum. Deglutita enim eſt magna ſalivæ quantitas & ope venarum lactearum, ac ductus thoracici ad cor delata, antequam morbus ad ἀκμὴν perveniat. Hinc ejus craſis ſenſim vitiatur, à maligna np. qualitate eidem impreſſa. Indicium ejus præbet febris, quam adeſſe in deſcriptione ſignificavi. Febris hæc adveniens ſanguinem magis exagitat, atque graviora producit ſymptomata. Sanguinis & ſpirituum animalium vitium.

Inter hæc eſt æſtus; nempe preſſio ſanguinis aucta caloris præternaturalis cauſa eſt. Major ſolet hic eſſe quando inflammatoria diſpoſitio, aut inflammatio conjunguntur febri. In hoc caſu autem inflammationem faucium adeſſe, ex horrore & fuga potulentorum liquet. Non mirum ergo, ſi oculi evadant ignei & rubicundi, quandoquidem preſſio major ſanguinem eo majori vi propellit, arterias diſtendit, atque ſpiritus animales magis agitatos producit, nervorum ope per univer- Æſtus.

ſum corpus, & ſenſuum externorum organa copioſius diſtribuendos. Dicuntur oculi ſpeculum animi, præcipuè hanc ob cauſam, meo judicio, quod agitationis ſpirituum varia indicia in oculis ſeſe manifeſtiſſimè prodant.

Delirium. Non mirum ergo ſi delirent ægri, ſpiritibus animalibus nimium agitatis, tum à febre, tum à malignitate. Hinc enim ſedata illa & tranquilla objectorum conſideratio: veſtigiorum, cerebro ante impreſſorum, inſpectio: atttenta imaginatio, judicium, ratiocinatio præcipitantur & pervertuntur.

Animi pathemata. Ubi autem & ſanguis eſt agitatus, & ſpiritus animales, non poſſunt non vehementes oriri animi paſſiones. Hoc eſt hominum ingenium, ut non conſiderent res abſolutè & prout ſunt, ſed relativè, quatenus nobis commodum aliquod, vel incommodum afferre poſſunt; cum autem vehemens illa ſpirituum agitatio impetuoſè nobis aliquid, tanquam bonum vel malum, repræſentat, eodem tempore neceſſe eſt ſpiritus in præcordia cum impetu inſigni influere, unde ſanguinis motus, & cordis ſyſtole ac diaſtole vehementiores excitantur, ſpiritus iterum perturbantur & agitantur, atque adeo paſſiones vehementes excitantur.

Ira. Eadem hæc ſpirituum & ſanguinis commotio cauſa eſt iracundiæ, & animi ad lædendum diſpoſiti: vindictæ cupiditas eos exagitat, par pari referre geſtiunt, læſi alios etiam, nihil mali meritos, lædere. Quamvis enim *Petrus Salius* referat quoſdam vix, aliquâ febre fuiſſe exagitatos, & ſatis benè ratiocinatione uſos; ſi tamen ad ea, quæ ab aliis practicis dicuntur, ſi ad ea quæ ſana dictat ratio attendamus, vix videtur fieri poſſe, ut (faucibus à veneno particulari ita diſpoſitis, ut omnem potum averſentur ægri) febris nequaquam infeſtet. Ubi enim inflammatio, ubi difficilior in parte magni uſus ſanguinis adeſt circulatio, hinc ſtatim preſſio per univerſum corpus fit major, pulſus, diaſtole ac ſyſtole cordis frequentior. In hoc caſu autem, ob liquidorum fugam, & ſalivæ defectum, ſanguis celeriori circulationi eſt minus aptus, unde neceſſum eſt preſſionem, & pulſum celeriorem, adeoque febrem, ſanguinis & ſpirituum inſignem commotionem, adeoque delirium, indies augeri. Verum in explorando pulſu febrili

brili antiquos errâsse, cum doctrina de febribus admodum esset obscura, non est mirum, novimus enim etiamnum de febris præsentiâ vel absentiâ perversè admodum judicare & practicos. Nempe qui antiquorum præjudiciis sunt imbuti, existimant pulsum debere esse inæqualem (saltem tales ego audivi ratiocinationes) cum sufficiat, si pulsus inveniatur præter naturam frequentior. In judicio circa signa morborum, etiam admodum obvia, non semel ego peccatum esse vidi. Ut ad iracundiam revertar: dicitur aliquis exæstuare irâ, & revera ubi sanguis æstuat, ubi spiritus sunt commoti, non est mirum si ira facile erumpat. *Cartesius* in hac passione animi vult bilem commoveri; verum sine spirituum & sanguinis commotione bilis efficacia sola non sufficeret. Quicquid sit, ex iis quæ explicata sunt abundè patere arbitror, non esse à ratione & causis enumeratis alienum, si vehementiora animi pathemata comitentur hydrophobiâ correptos.

Observant quoque auctores convulsiones jungi huic affectui, id quod facile è sanguinis dispositione & febre deduci posset. Verum convulsionis explicatio est majoris indaginis, adeoque è sequentibus erit petenda. Convulsio.

Singultus exinde oritur, quod salivæ particulæ quædam subtiliores ad ventriculum descendentes, eundem vellicent, atque spiritus animales alliciant ad ejusdem & diaphragmatis contractionem convulsivam. Quid? quod & sanguinis dispositio venenata, & febris facilè in partibus, copiosissimis vasis donatis, & nervorum truncis satis magnis gaudentibus, adeoque exquisiti sensus, facile tensionem nervorum, repletionem fibrarum musculosarum, adeoque contractiones vehementes & convulsiones excitare possint. Singultus.

Testantur quoque practici spumam circa os apparere, præcipuè ubi ægri debilitantur, id quod non est mirum. Saliva imprimis vitiata est, uti vidimus, adest febris continua cum æstu, salivam viscidiorem reddens: quod si ante morbi ἀκμὴν salivam multam ex ore profuderint, cum potum omnem respuant, necessum est salivam minui & tenaciorem reddi. Deglutitio læsa est, fauces angustiores redditæ, unde sequitur, aërem salivæ admixtum eam in bullas & spumam attollere, Spuma.

quæ cum per æſophagum deſcendere non poſſit, ſurſum verſus labia propellitur.

An ægri in aqua imaginem canis rabidi conſpiciant?

Jam facilè perſpicimus, non opus eſſe ut fingamus, ideo ad aquæ conſpectum admodum expaveſcere ægros, quia imaginem canis rabidi in illa aqua conſpiciunt. Unde illa imago? An venenum aquam, quam æger necdum attigit, immutavit? Si autem aqua nullâ veneni affinitate læſa eſt, quid eſt quod ei canis rabidi imaginem imprimat? Aqua ſpeculi adinſtar ſe habet & objecta oppoſita exhibet, itaque non poteſt aliam quam bibituri formam exhibere. Quemadmodum Narciſſus propriam faciem in aqua conſpectam adamavit, ita hi ad conſpectum non canis, ſed proprii vultus, deberent horrore corripi. Sed non tantum limpidam aquam, verum & opacam, & omnis generis potum averſantur. Quid? quod horreant antequam ori admoveantur potulenta? tum enim necdum, tanquam in ſpeculo, imaginem canis rabidi cernunt. Refert *Petrus Salius* ægrotos tales affirmaſſe, ſe non poſſe deglutire potulenta. Horrent igitur & valdè averſantur omnem potum, quia ſentiunt faucium anguſtiam, & deglutitionis difficultatem à ſalivâ vitiatâ; metuunt ne ſuffocentur. Facit hic quoque peculiaris veneni diſpoſitio: cumque ſpiritus animales & ſanguis ſint valde commoti, paſſio hæc animi multo, quam in ſanis, eſt vehementior.

An homines ſponte in hydrophobiam incidere poſſint?

Dubitatur, an homines ſponte, nullo præcedente morſu, nec ſalivæ inquinamento in Hydrophobiam incidere poſſint? Mihi equidem id non videtur ſimile vero, nec unicum exemplum id probare aptum eſt. Quamvis enim ægroti & adſtantes negent ſimile quid accidiſſe, aut vulnus præceſſiſſe, fieri poteſt illos non advertentes à ſalivâ fuiſſe infectos. Latet aliquando virus per aliquod tempus antequam erumpat. Latet per dies plures, per menſes, &, ſi auctoribus fides, per integrum annum. Narrat *Cælius Aurelianus*, ſartricem quandam, cum veſtem, à rabido cane commorſam, ore & linguâ, ad eam ſarciendam, contrectaſſet, hunc morbum incurriſſe. Deinde cum tot ægroti inflammationibus faucium, febribus vehementibus, & diverſiſſimis infeſtentur ſymptomatibus, plures medici ſymptomata hydrophobia correptorum in ægrotis aliis obſervâſſent, imo hæc accidentia eſſent longe fre-

frequentiora. Neque hisce obstat observatio *Fabritii Hildani Cent.* 1. *obs.* 86. quæ talis est. *Daniel Persin* anno 1602 tempore messis à fele rabioso scalpturam in dextro pollice acceperat, adeo ut epidermis vix offensa esset. Scalpturam nullus sequebatur dolor, nulla inflammatio, aut aliud symptoma, eaque non diu post sponte coaluit. Postmodum tamen juvenis, qui levissimam hanc læsionem neglexerat, cepit fieri melancholicus, & tandem rabiosus. Non obstat, inquam, hæc observatio, quandoquidem non sponte, sed læsus in rabiem incidit juvenis, sive illud factum sit à cane, vel fele rabioso perinde est, quæstio autem erat, an absque vulnere vel salivæ inquinamento aliquis posset affici? Forte hic ægrotus à saliva fuit infectus; nam cum post dimidium annum & ultra in hydrophobiam inciderit, procul omni dubio non satis exactè omnes circumstantias in memoria habuit, aut narravit. Nimium timidus est *Zacutus Lusitanus*, cujus hoc est præceptum L. v. qu. 23. in comment. *Quare caveant medici, & adstantes ne circa rabiosos versentur, aut eos alloquantur; nam in his tanta humorum est corruptio, ut illorum veneficam auram, & maximè contagiosam, continuo ab ipsorum exspiratione elevatam, & aëri communicatam nemo possit effugere.*

Differentiæ Hydrophobiæ proprie tantum petuntur à circumstantiis, ratione sexus, ætatis, & similium; verum hoc modo hujus morbi tractatio exigui est usus, cum signa sint lethalia, prognosis funesta, curatio nulla. Ut igitur utilior evadat hujus symptomatis investigatio, distinguenda est Hydrophobia in confirmatam, & eam, quæ est in principio. De Hydrophobiâ confirmata hactenus disputatum est, sc. quando jam omnino aquam & omnia potulenta aversantur & horrent ægri; eam quæ est in principio hanc dico, quando vel vulnus, vel saliva rabidi canis metum sequuturæ hydrophobiæ incussit, quamvis à potu non abstineant ægri. Quemadmodum enim in omni morbo, ita hic præcipuè principiis est resistendum, ne post serò paretur medicina. Differentiæ.

Signa incipientis mali traduntur anxietas & iracundia, nec non ventriculi gravitas & similia. Quippe sanguis nimium commotus & expansus, ventriculique vasa copiosissima replens, Signa Hydrophobiæ incipientis.

non poteſt non producere has anxietates; fruſtra enim ſunt ii qui hanc ςενοχωρίαν ab halitibus, vaporibus & flatibus ſemper deducunt. Quamvis enim flatus aliquando producant anxietates, aut ſaltem eas aggravent in hypochondriacis & ſcorbuticis, potiſſima tamen cauſa in febribus vaſorum repletio & expanſio eſt, præcipuè difficili accedente per vaſa capillaria tranſitu. Iracundia à ſanguinis nimiâ & turbulentâ preſſione, nec non ſpirituum animalium vehementi agitatione oritur, imprimis autem ab horum fluxu & refluxu, ut ita dicam, reciproco. Influunt à cerebro verſus cor, pulmonem, præcordia ſpiritus animales eaque vehementer commovent, commotionis & agitationis ſenſum iterum ad cerebrum deferunt iidem ſpiritus, atque ita fluunt & veluti refluunt: hinc paſſionum oritur vehementia, id quod probè obſervandum. Ab eâdem illâ preſſione & expanſione ſanguinis oritur ventriculi gravitas; etenim cum viſcus hoc copioſiſſimis vaſis ſanguineis gaudeat, eorundem diſtenſio gravitatis ſenſum infert. Et hæc eſt cauſa frequentiſſima appetitus dejecti ob repletionis ſenſum, in febribus.

Signa canis rabidi.

Galenus in libro de *Theriaca* ad Piſonem rectè monet, medicum debere examinare, an æger à cane rabido ſit demorſus? Hunc in finem proponit ſigna canis rabidi. Idem à *Dioſcoride* & aliis factum eſt, ſunt autem talia. Averſantur canes rabidi cibum ac potum, ingrediuntur auribus & cauda demiſſis, vocem amittunt, aut raucam edunt, oculi ſunt inflammati, lingua exerta, ex ore & naribus larga ſpuma & pituitoſa colluvies profluit, ſegnius ferè incedunt, oculis torvis & rutilantibus homines intuentur, in quoſvis notos, ignotos, familiares irruunt, ac ſine latratu mordent. Non eſt tamen neceſſe ut ſigna hæc omnia adſint, nec morſus canis tum demum nocet, ubi omnino in rabiem eſt actus, ſufficit ſi principium rabiei latitet. Ita celebris ille juriſconſultus *Baldus* miſerè periit, à catulo læſus quem in deliciis habebat, quemque rabie incipiente laborare ignorabat. Quod ſi quis dubitet an vulnus ſit inflictum à cane rabido, medulla panis &c vulneri imponitur, & Gallo vel cani objicitur devoranda. Vide *Sennertum* in praxi, & *Hoeſerum* in Hercule medico.

Ubi

Ubi vero ulterius ſerpſit malum, accidit membrorum quædam veluti diſtenſio, adeſt totius corporis & præſertim faciei rubor, ob ſanguinis preſſionem, motum nempe inteſtinum & progreſſivum majorem, hinc etiam ſudor. Æger fit anxius, ſive illud contingat à repletione & expanſione vaſorum, vel à metu quem morbus incuſſit miſerabilis, vel etiam à flatibus circa ventriculum & in inteſtinis hærentibus. Habent rabidi oculos torvos & adſpectu horribiles, ab agitatione tum ſanguinis, tum ſpirituum, tum febre malignâ. Cum autem febris hæc non à cauſis externis & ordinariis, ſed à veneno, toto genere præter naturam originem ducat, non mirum ſi omnia ſymptomata ſint vehementiora. Quemadmodum autem ii qui brachium vel crus fregerunt, ſæpe in ſomno exſiliunt, tanquam iterum in ſimile infortunium incidentes, ita non mirum ſi terrorem, à morſu canis rabidi, & ſpirituum agitationem nimiam non omnino ſedet ſomnus, ſi ægri turbulentè dormiant, ſi cum clamore evigilent. Dicuntur quidem etiam more canum latrare, quod tamen mihi minimè fit veriſimile, tum quod non ſemel contingat adſtantes res longe aliter narrare, quam revera contigerunt, tum quod præjudicia ita hominum mentes ſæpe obfuſcent, ut ea ſe videre, quæ non vident, ea audire, quæ non audiunt, imaginentur. Non nego tamen ſonum inconditum in convulſionum paroxyſmo aliquando excitari, qui fortè à quibuſdam fuit latratûs nomine donatus. Accedit tandem potus fuga & horror, de quo in ſuperioribus eſt actum. Quæ autem traduntur de catulis in urina apparentibus, de fruſtis canis cum dolore excretis apud *Zacutum Luſitanum* l. v. Hiſt. 10. fabuloſa, omnino ſunt. Signa morbi confirmati.

Prognoſis ita habet: ſi à cane rabido demorſi ſtatim benè tractentur, ſi medicus diligenter curationi incumbat, ea non eſt ita difficilis, quandoquidem morbus eſt in principio: ſi autem morbus ſit confirmatus, ſi ab omnibus potulentis abhorreat æger, ſi convulſionibus infeſtetur, curationis proſperæ nulla eſt ſpes reliqua, nec interitus longe abeſt. Prognoſis.

Indicationes ſunt, vulnus debito more curare, venenum illud in principio ſuffocare vel expellere, in progreſſu efficacius inſiſtere, tandem, in caſu deſperato aliorum læſionem præcavere. Indicationes

De

Curatio vulneris.

De Curatione vulneris non eſt neceſſe hoc loco agere, cum hæc ab auctoribus, tum antiquis tum recentioribus, abunde explicata ſit, videri poteſt *Hildanus* in obſervationibus aliquoties de hac materia diſputans. Emplaſtrum à *Galeno* laudatum vide ſis apud *Hoeferum l.* v.*c.* 2. Herc. Med. & *Sennertum. Theriaca* impoſita etiam præſentaneum eſt remedium docente *Gal. de Theriaca* ad *Piſonem. Cardalucius* habet deſcriptionem cataplaſmatis, cujus vires admodum prædicat. Illud addere lubet, cum venenum morſu viperæ communicatum ejuſdem viperæ pars applicata extrahat, forſan utile admodum futurum, ſi vulneri à cane rabido inflicto ejuſdem canis pars vel inteſtina adhuc calentia imponantur, cavendo ſalivam. Vel ſi quis ab hoc remedio abhorreat, alium canem ſtrangulet, & eum calentem vulneri imponat, vel partem vulneratam ejuſdem ventri immergat. Anſam hæc cogitandi mihi dedit mira recens mactatorum animalium vis, ſi partibus læſis vel dolentibus applicentur. In ſpecie hoc experimentum retuliſſe non erit inutile. Juvenis, quem ego tractavi, aliquot annos laboraverat carie oſſis in tarſo pedis: pes vehementer intumuerat, fruſtra varia in uſum vocata erant remedia, noctes dieſque quieſcere non poterat. In hoc ſtatu pedem abdomini calenti recens occiſi canis inſuit, cum ſummo ſucceſſu: noctem totam placide dormit, mane pes detumuerat ob copioſum puris effluxum, canis removetur admodum fœtens. In Indiâ occidentali adverſus venenatorum animalium ictus utuntur Oleo in quo talia animalia ſunt ſuffocata, cum ſummo ſucceſſu.

Immergendi in aquam conſuetudo.

Imprimis ad curationem in principio, noſtræ regionis incolis perſuaſum eſt plurimum facere, ſi æger vel vulneratus ſubitò immergatur aquæ marinæ, ut ita ipſi inſignis incutiatur terror. Itaque ægrotis verba dant, & cum ad mare perventum eſt, ipſos nec opinantes in mare præcipitant, & iterum extrahunt. Exiſtimant liquoris averſionem, pathognomonicum in hoc affectu ſignum, & moleſtiſſimum ſymptoma, hoc pacto præcaveri. Quod ſi occaſio denegetur ad mare ægrotos deducendi, in fluvium demergunt eundem, vel etiam frigidâ copioſè perfundunt, ad terrorem incutiendum. Non eſt nuperum aut novum hoc remedii genus, meminit ejus

ejus *Celsus* l. iv. c. 27. his verbis: *Sed unicum tamen remedium est, nec opinantem in piscinam non ante ei provisam projicere, &, si natandi scientiam non habet, interdum deprimere, ut invitus quoque aquâ satietur; sic enim simul & sitis & aquæ metus tollitur.* Ad suffocandum itaque venenum hoc auxilium in usum vocari potest.

Ad expellendum autem venenum varia ab antiquis excogitata sunt remedia, imprimis decantatissima *Theriaca*. Hæc communi appellatione *Antidotorum* donarunt, quarum tres statuebant differentias, quædam sumebantur adversus venena, quædam adversus morsus animalium, quædam adversum morbos è pravâ diæta originem ducentes. Cum autem *Mithridates* & *Attalus* in captivis experimentum cepissent, quid simplicia valerent medicamenta adversus venena & morsus animalium, prior ille omnia illa miscens antidotum composuit, quæ ab ipso nomen mutuata est. Hujus quotidianus usus tantum dicitur valuisse, ut postmodum ipsi venena nocere non potuerint, referente *Galeno* de Antidotis l. 1. p. m. 424. Postmodum *Andromachus Neronis* medicus quædam adimens, quædam addens, imprimis carnem viperinam *Theriacam* composuit, cujus usus postmodum invaluit. De *Theriaca* tantam conceperat opinionem Cæsar *Aurelius Antoninus*, ut eâ quotidie uteretur. Hujus encomia & vires adversus morsus animalium, canis rabidi &c. ac diversos morbos versibus complexus est *Andromachus* elegantibus, qui apud *Galenum* d. l. p. 428 & 429. videri possunt. Iisdem in libris diversæ aliæ diversorum exstant compositiones. Non contentus *Galenus* amplam hic fecisse *Theriacæ* mentionem, duobus adhuc libris ad *Pisonem* & *Pamphylianum*, de *Theriaca* & ejus usu scripsit. Cum autem hæc medicamenta ab *Opio*, tanquam non infimæ notæ ingredienti, & nomen & efficaciam non contemnendam nanciscantur, & *Athanasia* superius laudata, & similia hic etiam locum habere possunt. *Guernerus* Neuhausen, in Homine Hydrophobo, laudat è *Wedelio Orvietanum*.

Venenum expellendum.

Laudatur etiam cinis Cancri fluviatilis in sarmentis vitis albæ cremati, tanquam specificum, contra morsum canis rabidi.

Cinis cancri fluviatilis.

Antidotum illam verſibus deſcripſit & mirè deprædicavit *Damocrates*, quorum hoc eſt initium :

Ἀντίδοτός ἐςι πρὸς τὰ τῶ λυσσόντων κυνῶν
Δήγματα φέροντα παρακοπὰς ὑλακτικὰς
Φόβȣς ἀλόγȣς τε παντὸς ὑγρȣ̃ καὶ ποτȣ̃,
Ὡς κἂν ἴδωσι παντελῶς ὕδωρ βραχὺ,
Τρόμοισι καὶ σπασμοῖσι κατέχοντ' ἀυτίκα,
Ἐν ἀγρυπνίαις τε καὶ παρακοπαῖς συνεχέσι
Διάγοντες ἀποθνήσκȣσι συντομώτατα. &c.

Ipſius deſcriptio eſt ut ſumantur *cineres Cancrorum* uti dictum eſt part. ij. *Rad. Gentianæ.* p. j. *Gal.* de Antid. l. 11. p. m. 453. *Convenit Dioſcorides*, *Theriac. c.* 2. Habet aliam deſcriptionem *Galenus* de ſimpl. Med. fac. l. 11. p. m. 148. qua *Æſchrion* empyricus, expertiſſimus ſenex & Ipſius præceptor, utebatur. Nempe *Thuris partem unam*, *Gentianæ* v. *Cineris Cancrorum* x. commixtas & aquæ inſperſas dabat quotidie ad cochlearis ſatis magni quantitatem, quadraginta diebus. Quod ſi non protinus ab initio, ſed poſt aliquot dies uti cœpiſſent demorſi, quotidiè duo cochlearia aquæ inſpergebat. Hoc medicamento ſe fidere addit, quod nullus unquam mortuus ſit, hoc uſus medicamento. Poſtmodum addit qua ratione *Pelops* cauſam reddiderit efficaciæ hujus medicamenti, breviter ſuam ſubjungens opinionem, de qua jam diſputare non vacat.

Remedia recentiorum.

Noſtro tempore varia excogitata ſunt ad morſum canis rabidi, & venenum ſuſceptum ſuperandum. Ita in Pharmacopœa *Bateana* videre eſt *decoctum ad morſum canis rabidi* fol. 33. Laudatur etiam *Bezoardicum volatile*, *Tinctura bezoardica*, *Sal. Volat. viperarum. C. C. Cranii humani. Succus Citri*, *ſedi majoris*, *Acetum Bezoardicum*, *Camphora*, *Oleum vitrioli cum Aqua Abſinth. Nitrata*, *Bezoardicum* Lunare. Vid. *Guerneri* Neuhauſen Hominem Hydrophobum. §. 28. Laudatur etiam *Alexipharmacum Palmarii* quod apud *Sennertum* videri poteſt. Non inutilis quoque eſt *Pulvis Antilyſſos Renodei* ad hunc modum compoſitus :

℞. *Fol. Rutæ*, *Verben.*

Sal-

Salviæ min.
Plantag. Polypod.
Absinth. vulg.
Menth. Artemis.
Meliss. Betonic.
Hyperic. Centaur. min. aa m. j.

Omnia ex arte siccentur & in tenuissimum pulverem reducantur.

Quod si autem ex iis, quæ ab auctoribus traduntur, adscendere placeat, & videre ad quas classes medicamenta quæ laudantur sint referenda, facile videbimus ea imprimis esse sudorifera & hypnotica, unde conclusio evadit manifesta, talibus imprimis esse insistendum. Sudoriferis, quandoquidem verisimile est particulas venenosas, antequam ad sanguinem & salivam perveniant, hac via optimè expelli. Hypnoticis, non tantum, quia in somno sudor optimè provocatur & copiosè profluere solet, verum etiam quandoquidem hæc omnem acrimoniam egregiè leniunt. Ego crediderim *decoctum ligni fraxini*, instar decocti lignorum usurpatum eximii futurum usus, si æger cubitum iturus non nihil *Opii* ritè præparati assumat, & singulis dosibus addat aliquid *lapidis prunellæ*. Oportet autem tale decoctum non semel atque iterum, sed per aliquot hebdomadas assumere, ut omnino malum hoc superetur. Post assumptionem sudor expectandus, & stragulis æger cooperiendus est. Quandoquidem autem quædam dicuntur certo certius hunc morbum expugnare, cum interim tales descriptiones premantur, non inutile judicavi si ego quoque ex iis quæ legendo didici, vel ratiocinando collegi, formulam unam atque alteram proponam, quæ si non satisfaciant, aliæ commodiores substitui possunt.

℞. *Rad. Scorzoner.* ℥jß.
Vincetoxic. ℥ß.
Fol. Thlaspios Alyssi dicti.
Acetosæ.
Anagallid. terrestr. aa m. ij.
Cap. papav. alb. no. ii.

Coq. s. a. ex *aq. pura* colat. ℔ij. Add.

Syr. Acetos. Citri. ℥iß.
Acet. Scyllit. ℥j.
M.

Poteſt hujus Apozematis aliquoties quotidie aſſumi hauſtus calidus, ſub horam ſomni imprimis, & ſudor, exſpectari, vel ſi ſequens magis arrideat, eodem modo uſurpetur:

℞. *Rad. Lapat. acut.* ℥iß.
Gentian. ℥ß.
Fol. Cardiacæ (hanc plantam putant eſſe Alyſſon *Galen.*)
Rutæ hortens. aa m. ij.
Pom. Citri no. j.
Capit. Papav. alb. ʒij.
Ficuum pinguium no. x.
Coq. ſ. a. ex *aq. pura* colat. ℔ij. Add.
Syr. Violac. ſ. ℥j.
Lapid. prunell. ʒj.
M.

Imprimis magni uſus futurum exiſtimo *Acetum Rutaceum*, *Calendulæ*, *Sambucinum*, *Scylliticum* & *Bezoardicum* ſuperius deſcriptum. Sumat æger cubitum iturus hunc hauſtulum.

℞. *Antimon. diaphoret.* ℈j.
Oc. Cancri ppt. ℈ß.
Laud. opiat. gr. j.
Acet. Bezoard. ℥ß.
Syr. Diacod. ʒij.
Cum Decocto Allii.
F. Hauſtus.

Commendat *Platerus Angelicæ radicem* cum *Nitro*, & *Vincetoxici radices* cum *aqua Card. bened.* quadraginta diebus potas, *Matthioli* remedium.

An V. S. conveniat?

Diſputant auctores an V. S. in Hydrophobia conveniat nec ne? Videri poſſunt *Codronchus* de Rabie l. 11. c. 6. *Petrus Salius*, *Sennertus* &c. Plerique V. S. rejiciunt, quia metuunt ne V. S. venenum verſus partes internas attrahatur. Verum poſt detectam ſanguinis circulationem manifeſtum eſt, ſanguinis motum à corde per arterias verſus extremitates, ab extremita-

mitatibus per venas verſus cor continuo peragi, nec V. S. contrarium induci ſanguini motum, unde facile liquet, hunc metum eſſe inanem. Quantum ad V. S. in principio ad commotionem animi ſedandam, de ea mihi videtur nullum poſſe eſſe dubium, ſi nihil eam impediat. Si enim quis è terrore in variolas, peſtem, febrem poſſit incidere, nullum eſt dubium, quin utiliſſimum ſit terrorem, à morſu canis rabidi ſuſceptum, quamprimum ſuperare. Quid ni enim ingentis illius commotionis impetus à V. S. aliquod recipiat levamen, ubi ſanguinis imminuitur moles, ubi motus vehementia, pulmonem & arterias citius & vehementius replens, ſedatur? De V. S. in progreſſu morbi inſtituendâ non idem eſt judicium. Plures circumſtantiæ expendendæ veniunt. Examinandum eſt vitæ genus, conſideranda ætas, conſuetudo, abundans vel minor ſanguinis copia, imprimis autem vires. Si enim ſupponamus ægri vires eſſe adeo debiles, ut, V. S. inſtitutâ, ab Antidotis aut medicamentis diaphoreticis nullus, vel ſaltem non ſufficiens exſpectandus ſit ſudor, non quidem attrahetur virus verſus cor, verum per circumferentiam corporis & cutis poros expelli non poterit, quod quidem è re ægroti non eſt. Quod ſi autem ab hac debilitate nullus ſit metus, putem ego convenire V. S. & quidem largam. Si enim venenum preſſionem ſanguinis ejuſque dilatationem augeat, ſi febrem acutam producat, ſi ſpiritus animales multum commoveat, an non conducit V. S.? V. S. ſanguinem imminuendo validæ illi preſſioni occurrit. V. S. pabulum ſubtrahendo ſpiritibus animalibus, furorem eorum mitigat. V. S. non tantum repentinis animi pathematibus compeſcendis, ſed & febri & æſtui inde productis mitigandis, imo & futuro delirio præcavendo imprimis utilis. V. S. ergo pluribus nominibus hoc in caſu prodeſſe mihi videtur.

Celſus, ait, quoſdam poſt rabioſi canis morſum protinus in Balneum mittere ægrum, eumque ibi pati deſudare, dum vires corporis ſinunt vulnere aperto, quo magis ex eo quoque virus deſtillet: deinde multo meracoque *vino* excipere, hocque omnibus venenis eſſe contrarium. Huic ego omnino aſſentior, non tantum in principio, ſed & in progreſſu morbi, quamvis Externa.

 re-

repugnet *Sennertus*. Si enim ſudor proſit, quid ni proderit balneum non tantum ſudores promovens, ſed & omnem acrimoniam cuti impactam temperans. Quod autem *Sennertus* ex *Aureliano* &c. metuit, balneum nociturum ex eo, quod ægri aquas horreant, frivolum eſt, etenim quando eouſque morbus ſerpſit, ut ægri aquam horreant, jam tuto quidvis in uſum vocari poteſt; niſi enim aliquod præſentaneum in uſum vocetur remedium actum eſt de ægro. *Senecæ* monitum: *Qui ſperat nihil, deſperet nihil*, hic locum habet: & *Hippocratis*: *Extremis morbis, extrema remedia.* Aph. 6. 1. Tandem *Celſi*: non poſſe vehementi malo, niſi æque vehemens remedium ſuccurrere. l. 11. c. 11.

In progreſſu efficacius inſiſtendum

In progreſſu morbi, præter ea quæ jam propoſita ſunt, conveniunt opiata in majori doſi ſudoriferis, vel etiam catharcticis, miſta, & purgantia validiora. *Pilulæ Mathæi* in Pharmacopœa Bateana deſcriptæ. *p.* 81. hic non tantum ob *opium*, ſed & *Helleborum* utrumque, de quo ſtatim agam, conveniunt. *Petrus Salius* commendat *Rad. Hellebori albi*, eorumque utendi modum docet. *Martinus Liſter* cum prius ab *Helleboro albo* eſſet alienior, poſtea tamen, lecto *Petro Salio*, non multum repugnat. *Platerus* è *Dioſcoride* commendat *Hieram colocynthidis*, & *Helleborum*: dein & alia purgantia, imprimis ea quæ melancholico humori deſtinata ſunt. Commendatur & *Bryonia*, quæ in majori doſi exhibita ſatis validè evacuat, & forſan non infimæ notæ in Hydrophobia eſt medicamentum.

In morbo confirmato, quid agendum?

Quod ſi morbus ſit confirmatus, perſuaſum eſt multis ægrum debere ſuffocari, ne alios lædat: ego exiſtimo tum non diu ſupereſſe; ſi enim febris ſit vehemens, ſi ab omni potu abhorreant, ſi delirent, ſi convulſionibus & ſingultu vexentur ægri, qua ratione eorum vita protrahetur? Si *Opium* exhiberi poſſit, exhibeatur majori quantitate: vel V. S. ægroto adimantur vires. Hæc autem, quandoquidem ſufficienti deſtituor experientia, nolim aliter, quam tanquam conjecturas, conſiderari.

Diæta.

De diæta Hydrophoboicorum, ſeu potius à cane rabido demorſorum agit *Dioſcorides* p. m. 425. adeo ut non ſit neceſſe huic immorari. Commendantur *Allium*, *Porrum*, *Cepa*, *Vini* me-

meracioris potus. Commendatur *Scorzoneræ* radix ejusque succus, ut & *Melissophyllum*. Cibi aromatibus condiantur. Hujus ratio à *Dioscoride* traditur : δυσμετάβλητα γὰρ τῇ συστάσει πάντα τὰ ἀρώματα ταῖς δυνάμεσι καὶ ταῖς οὐσίαις. c. 3. *Theriaces.* Vide quoque *Codronchum* de Rabie l. 11. c. 4.

CAPUT DECIMUM.

De Paralysi.

QUamvis Paralyseos tractatio prima fronte videatur satis facilis, nullus enim non videt, & quidem sæpius, Paralyticos, & videtur intelligere naturam ejus in debilitate consistere; tamen, re probè perspecta, ejus distincta tractatio non minus est difficilis, quam reliquorum cerebri morborum. Difficultatis hujus plures mihi videntur esse causæ, quas expendisse non erit inutile. Prima causa est, quod vox ipsa, auctorum culpâ, sit reddita ambigua. Altera, quod natura ejus non satis distinctè ob oculos ponatur, quando dicitur in Paralysi motum posse permanere integrum sensu abolito. Tertia, quod causa Paralyseos statuatur nervorum obstructio. Quarta quod ea, quæ è cadaverum sectione deprompta sunt, sint pleraque ambigua. Denique quod ea, quæ de motu musculorum traduntur non sint satis expedita. Breviter hæc percurramus.

Paralyseos tractatio est satis difficilis.

Dixi vocem Paralyseos, auctorum culpa, redditam esse ambiguam. Quemadmodum enim voce Apoplexias apud *Hippocratem* aliquando Paralysis intelligitur, ita etiam Paralyseos nomine aliquando Apoplexia indigitatur. Videri possunt *Foësius* in Oeconomiâ *Hippocratis*, *Gorræus* in definitionibus medicis, *Stephanus* in Lexico; *Dietericus in* Narthecio. Hinc factum putem, ut ea quæ Apoplexiæ convenirent tributa sint Paralysi, & distinctionem esse ortam Paraplegiæ ab Hemiplegiâ, quasi paraplegia esset resolutio omnium partium totius corporis excepto capite, Hemiplegia dimidii tantum lateris. Ego non eo inficias, eos qui stuporem in membris quibusdam percipiunt, aut hemiplegia sunt affecti, posse etiam corripi Apoplexia,

Ob vocis ambiguitatem.

adeo-

adeoque ambas hasce affectiones posse complicari, non nego etiam, post Apoplexiam superatam, posse remanere hemiplegiam alterius lateris, sed contendo distinctum tamen utriusque debere formari conceptum, ut causæ singulatim fiant manifestæ, & curatio tanto exactius possit tradi. Fatentur auctores Paraplegiam seu Paralysin universalem esse raram, ego existimo eam numquam dari, nisi fortè statuatur insignis læsio spinalis medullæ principii cerebro illæso, quæ tamen, vitâ superstite diu continuari non potest. Ratio, quæ me movet ut hoc statuam, est, quod in Paraplegiâ deberet affici utrumque latus, quemadmodum in Hemiplegia unum afficitur: id è naturâ oppositionis est manifestum. Jam autem in Hemiplegiâ non tantum partes sub capite, sed capitis ipsius afficiuntur partes variæ, lingua adeo ut vocem articulatam proferre nullam possit, musculi varii faciei, oris, adeo ut musculi antagonistæ faciem & os distorqueant. In Paraplegia itaque non tantum sub capite partes, sed ipsum caput deberet affici, id quod hypothesin Paraplegiæ evertit. Quis vidit unquam caput, & sub capite partes resolutas nisi in Apoplexiâ? Non datur ergo Paraplegia ab Apoplexiâ distincta. Id amplius evincitur, si consideretur proportio inter cerebrum & spinalem medullam. Cerebrum in homine est viscus amplum, copiosos producens spiritus animales, qui proinde è spatiis amplioribus in magis angusta coacti, vi & motu gaudent vehementi, qui facile omninò supprimi non potest. Quemadmodum impetus fluminis major est, ubi angustis pontium repagulis coercetur, ita spirituum non minus quam sanguinis vis est major, quando è loco ampliori, & scaturigine capaciori, in angustiores coguntur tubulos. Hinc est quod illi, qui hemiplegia correpti in principio nec manum nec pedem loco movere possunt, postmodum tamen, licet imperfectius, obambulent per plateas, atque manuum & pedum ministerio fruantur. Est ergo Paraplegiæ descriptio formata, è confuso Paralyseos & Apoplexiæ conceptu. Refert quidem *Petrus Salius Diversus* Paraplegiæ ab ebrietate ortæ exemplum, subsequente paralysi omnium sub capite partium, quæ tamen intra tertium diem omnino sanata est. Annot. in librum *Donati ab Altomari* c. 14. Verum si aliud non

non detur exemplum Paraplegiæ, quam id quod à *Diverſô* affertur, ego nullam dari Paraplegiam exiſtimem. Quid? An vaporoſa materia, ad principia nervorum tranſmiſſa, obſtructionem in iis inducere, ſpiritus animalis viam intercipere, & motum inferiorum partium inhibere poteſt? An aliquis ab ebrietate tanta paralyſi repente fuit occupatus, ut mente conſtans (dicitur enim nocte mediâ cum timore maximo expergefactus) perforationem acus profundè factam, nec gladioli ſcarificationem omnino non ſentiret, & ad omnem motum ineptus eſſet? Cum Paralyſis, minorem ſtuporem habens comitem, affectus ſit curatu ſatis difficilis, quomodo hic tantummodo factis quibuſdam revulſionibus, & inunctionibus intra tertium diem omninò fuit ſanatus? Hiſtoria hæc abundè teſtatur medicos non eſſe immunes à ſtupenda narrandi κακοζηλίᾳ, adeoque non omnia ab auctoribus tradita promiſcuè fidem mereri. Poteſt & illud addi argumentum, quod nempe in principio Hemiplegiæ mens aliquando planè ſit obnubilata. Credemusne igitur Paraplegiam occupaturam omnes omninò ſub capite partes, mentis functionibus integris permanentibus? id quidem mihi minus videtur veriſimile. Inſcriptio c. 18. l. III. apud *Paulum Æginetam* mihi favet, quæ ita ſonat: περὶ ἀποπληξίας, καὶ ἡμιπληγίας ἤτοι παραλύσεως.

Malè etiam dicitur ſenſus aboleri in Paralyſi, motu integro remanente. Ego libenter fateor me illud numquam vidiſſe. Vidi ſtuporem hujus aut illius partis non ſemel; verum aliud eſt ſtupor, aliud paralyſis, hi affectus minimè ſunt confundendi. Paralyſeos natura ex ipſo nomine fit manifeſta, membra affecta laxa, mollia, frigidiora ſunt h. e. reſoluta, id quod cum vocis ſignificatione optimè convenit. Quis igitur erit adeo imperitus rerum æſtimator, ut putet membra poſſe eſſe flaccida & reſoluta, remanente motu integro? An flacciditas ſenſum non autem motum tollet, vel omnino vel ſaltem ex parte? Si autem ſenſus tollatur, nullâ flacciditate in membro remanente, luce meridianâ clarius eſt, non adeſſe tum Paralyſin ſed quemlibet alium affectum. Habeo mihi adſtipulantem *Rondeletium* cujus hæc ſunt verba: *Neceſſe quoque eſt ſenſus & motus amiſſionem eſſe ut propriè dicatur Paralyſis. Nam ſi*

Quod ſenſus dicatur aboleri motu integro remanente.

ſen-

ſenſus tantum lædatur vel amittatur, ſtupor eſt.

Quod in Paralyſi ſtatuatur nervorum obſtructio.

Cauſa Paralyſeos ſtatuitur obſtructio nervorum ab humore pituitoſo. Ego autem putem cuilibet attendenti manifeſtiſſimum eſſe, non poſſe à pituitâ in nervos influente eoſdem obſtrui. Sive enim cerebrum, ſive ſpiritus animales, ſive etiam nervos reſpiciamus, non poteſt in nervis ſtatui talis obſtructio. Et cerebrum quidem quod attinet, illud generationi non pituitæ, vel materiæ glutinoſæ, ſed ſpirituum animalium eſt dicatum: itaque cerebrum in nervos tranſmittere non poteſt humorem pituitoſum, quem non producit. Neque hic objici poteſt, ſæpenumero humores ſeroſos reperiri in ventriculis cerebri; quia id quod ventriculis cerebri continetur, in nervorum cavitates depluere non poteſt. Diſtingui debet actio cerebri ab actione & munere plexus choroidei, & membranarum cerebri. Novimus per membranas viſcerum diſpergi copioſè vaſa lymphatica, quæ tamen in viſcerum ipſorum ſubſtantiam profundè ſe non inſinuant. Quando dixi cerebrum eſſe dicatum generationi ſpirituum animalium, cerebrum in ſpecie intelligo quatenus à plexu choroideo, membranis, glandula pineali, pituitaria, infundibulo &c. diſtinctum eſt. Poſſunt humores hi ſeroſi & ſimiles, extra ambitum cerebri coacervati, vel mole vel acrimoniâ magnas producere moleſtias, poſſunt premere medullam oblongatam, verum in nervorum cavitatem illabi, & infarctu obſtructionem producere non poſſunt. His adde quod nervi ſint continuationes medullaris cerebri ſubſtantiæ & medullæ oblongatæ, quæ conſtant è tubulis innumeris non pituitam aut ſerum, ſed ſpiritus animales continentibus, qui idcirco etiam ſoli in nervorum cavitates defluunt. Non poteſt materia ventriculis contenta in nervos illabi, quandoquidem, uti *Williſius* docuit, ventriculi in inane veluti ſpatium deſinunt. Forte hæc opinio ortum habuit è perverſo quam habuerunt de Catharris opinione, de quibus ſuo loco agendum. Si ergo cerebrum ejuſque munus reſpicimus, obſtructio nervorum ab humore pituitoſo in nervos illapſo non habet locum. Quod ſi ſpiritus animales reſpiciamus, hi ſunt adeo ſubtiles & mobiles, ut obſtructioni in nervis producendæ minimè ſint pares. Etenim quis eſt humor magis ſubtilis,

lis, quam ſpiritus, quos nemo mortalium oculis luſtravit unquam? Quid? quod nomen ipſum ſatis indicet, eos à tenacitate, quæ ad obſtructionem producendam requiritur, quam longiſſimè diſtare? Novi ſpiritus eſſe aliquando minus ſubtiles, novi etiam aliquando eſſe torpidos; verum quantumvis ſint parum defæcati, quantumvis videantur ſegnes, ad obſtructionem tamen producendam ſunt omninò inhabiles. Varia figmenta excogitarunt auctores: ſtatuerunt ſpiritus acres, acidos, congelatos & coagulatos, nemo tamen, quod ſciam, eos adeo degenerare dixit à naturali ſubtilitate, ut obſtructiones producerent. Ergo obſtructio non debetur ſpiritibus animalibus, neque ea horum reſpectu locum habere poteſt. Obſtructio etiam locum non habet nervorum reſpectu. Eorum fibrillæ & tubuli adeo ſunt ſubtiles, ut nullus adhuc cavitatem eorum (proceſſus mammillares excipio) ſenſu aſſequi valuerit. Ratiocinatione colligimus, debere cavitatem aliquam inveniri in nervis, verum eandem oculis nullus detexit. Quomodo ergo in tubulos anguſtiſſimos influet humor tenaciſſimus obſtructionem producturus. Si autem cavitates ſubire non poſſit humor viſcidus, neque etiam à tali cauſa obſtructio orietur. Novi etiam ab auctoribus mentionem fieri liquoris nervei, & ſucci nutritii; verum non ſufficit nova nomina effingere; oſtendendum erat præter ſpiritus animales alium humorem per nervos diſtribui. Ego nego alium liquorem nervis contineri præter ſpiritus animales, quem ſi alio nomine denotare placeat, per me id licet, verum facilè appellationum multitudine confunditur Lector, nec utile eſt, entia multiplicare citra neceſſitatem. Qualicumque autem nomine donentur ſpiritus animales, non ideo erunt minus ſubtiles, & ſoli apti ad nervorum tubulos minutiſſimos ſubeundos. Nervorum hanc anguſtiam animadvertentes Antiqui, ſtatuerunt, facultatem animalem nervos tranſire, quemadmodum radii ſolis aërem aut aquam pertranſeunt.

Concludo quum nec cerebri, nec ſpirituum animalium, nec nervorum reſpectu obſtructio oriri poſſit, obſtructio ab auctoribus excogitata fictitia eſt, adeoque hinc paralyſis deduci non poteſt. Conſentientem habeo mihi *Felicem Platerum* inſignem

practicum, qui, postquam de causa Paralyseos pituitosæ egisset, subjungit: *ut non opus sit, obstructionem quandam in nervis hic, qui solidi sunt, aut ex filamentis consiti, nec cavitatem ullam, quæ humorem illum crassum, uti quidam scribunt, excogitare.* Tom. 1. l. 11. c. 2. p. m. 294. Huic *Rolfincius* l. 11. Cons. 19. contradicere studens, nihil affert quod modo laudati Viri sententiam aliquomodo labefactare possit.

Quod ea, quæ è cadaverum sectione depromuntur, sint ambigua

Dixi etiam ea quæ post mortem in paralyticorum cadaveribus reperta sunt, esse admodum ambigua: adeo ut hinc vera paralyseos causa difficulter admodum erui possit. Res exemplis fiet clarior: serum copiosum intra utramque meningem collectum, & in ventriculis repertum, nec non ex ostio magno occipitis promanans, statuitur causa motus impotentiæ. Vid. *Boneti sepulchretum* Lib. 1. sect. xv. obs. 3. &c. Verum seri copia etiam sæpe reperta fuit in cadaveribus eorum qui paralysi nequaquam fuere correpti. ex. gr. post Cephalalgiam. ibid. l. 1. s. 1. obs. 7, 14, 16, 17, 25, 26, 27, 30. &c. post Hemicraniam. obs. 18. &c. post Apoplexiam. ibid. sect. III. obs. 40, 41, 45. 47. &c. post Lethargum. ibid. sect. III. obs. 1, 2, 4. post Comatosum affectum. ibid. obs. 12. post Carum. obs. 10. post Coma vigil. obs. 45. post Catalepsin. ibid. sect. IV. obs. 1. post insomnia & incubum. ibid. sect. V. obs. 1. post delirium & amentiam. ibid. sect. VII. obs. 27, 28. post vertiginem. ibid. sect. XI. obs. 3. 4, 11. post Epilepsiam. ibid. sect. XII. obs. 5, 6, 8, 9, 10, 11, 12. &c. post convulsionem: ibid. sect. XIII. obs. 1, 4. &c. *Adeo ut ego Wepfero* omnino assentiar statuenti Paralysin non oriri à sero nervos nimium humectante: ejus verba adscribere non pigebit. p. 381. *Colluvies equidem seri ingens inter meninges & in ipsis cerebri ventriculis sectione reperta, vix non quemlibet persuasisset, quin graviores noxas actionibus animalibus, imo ipsam Apoplexiam attulisset; nisi diligenti observatione contrarium animadversum fuisset; nam ad ultimas usque horas omnibus sensibus valuit, sana locutus est; manuum & pedum digitos, ipsosque artus aliquantulum movit: atque manifeste docuit, nervos medias intra undas natantes nunquam ita emolliri, aut structuram ipsorum eousque destrui, quin spiritus integre conservent liberumque transitum concedant, nisi pre...antur, aut à circumfluo humore corrodan-*

dantur & sphacelo enecentur. Hæc de sero sufficiant, quamquam multo plura afferri possent, ut pateat caussam frequentissimè in dissectione paralyticorum inventam, non tantum in hoc casu, sed & pluribus aliis habere locum. Refert etiam *Fernelius* exemplum resolutionis omnium partium quæ sunt sub capite, verum cum tam multorum affectuum, quos recensuit, caussam non aliam proponat *quam bilem sinceram eamque prassinam circum jecoris cava libræ pondo membranis coercitam, cujus portio etiam in spinæ nervos obrepserat:* manifestum est, vel ipsum non satis accuratam institutisse anatomen, vel ea quæ invenerat mutila admodum descripsisse, vel hæc tantum adduxisse ut ipsius inservirent hypothesi, adeo ut hinc nihil certi concludi possit. Vid. *Fernel. Pathol.* l. IV. c. 10. Non sum ego is, qui auctoritati tanti Viri quicquam detractum velim; verum cum hac in parte manifeste hallucinatus sit, album errori calculum adjicere nec volui, nec potui. Vidit illud ante me *Gulielmus Rondeletius* ante sesquiseculum, nempe cum auctoritati plus tribueretur, in schola Monspeliensi Professor regius, cujus verba *Meth. curand. morbos.* c. 32. hic repetere non erit inutile: *Non ergo satis mirari possum, quod tantus vir tam leviter, etiam sine ratione in hanc sententiam præcipitanter adductus sit, ut quod sub finem febrium intermittentium paralysin ortam, aliquando conspexerit, a bile in spinam dorsi, & nervorum originem effusa concitatam credidit, quasi bilis, quæ tunc evicta est & pauca, ad locum adeo dissitum & remotum accessu difficilem permeare queat. Quod enim pauca eo tempore sit, & coacta, non dubium est, cum morbus in declinatione sit. Sed quis ille aditus ad spinalem medullam esse potuerit? Aut enim a cerebri sinu posteriore delapsam esse, aut per vertebrarum foramina ad spinam pervenisse oportet. Quod si per cerebrum, cur non phrenitim potius in illis febribus excitavit? cur non etiam in ardentibus? Quod æquius videtur. Idem etiam præstat. Quod cum non fiat, nec in febrium intermittentium declinatione per hanc viam fieri putandum est. Per vertebrarum autem foramina, quia cum sanguine simul deduci oporteret, subiisse cum sanguine, bilis videri non debet, aut in venis contentam fuisse. Quare ardentem aut continuam potius, quam intermittentem concitavisse oportuit. Adde quod venæ illæ, quæ per ver-*

vertebrarum foramina intra ſpinam pervadunt, nutritionis eſſe vertebrarum tantum, aut perioſtii interioris, quod efficere tertiam ſpinæ membranam crediderim, conſtitutæ ſint. Quæ cum nec duram, nec tenuem ipſius membranam attingant, nec bilem etiam ad illas deferre poſſe credendæ ſunt. & quæ ſequuntur. Hæc ſufficiant, ut conſtet, judicio opus eſſe in legendis auctoribus, ne falſa pro veris nobis obtrudi ſinamus. *Williſius* in cerebri anatome c. 13. refert, ſe aliquoties cadavera à longâ paralyſi, & graviſſimâ nervorum reſolutione defunctorum aperuiſſe, & deprehendiſſe ſemper corpora ſtriata præ aliis in Cerebro minus firma, inſtar amurcæ diſcolorata, ſtriis multum obliteratis. Verum cum hæc tantum afferat, ut evincat corpora ſtriata τȣ̃ πρώτȣ αἰσθητηρίȣ munere fungi (de quâ materiâ in capite de Morbo caduco agam) omiſſis aliis circumſtantiis, nec hinc certo concludere licet, quæ cauſa produxerit paralyſin? Non nego hæc eſſe vera, verum poſſunt adfuiſſe, imo proculdubio repertæ ſunt plures anomaliæ, quæ ad naturam paralyſeos intelligendam non parum profuiſſent. Suffecit auctori ea recenſuiſſe, quæ ipſius confirmarent hypotheſin. Ut rem in pauca contraham, recenſentur etiam exempla eorum qui poſt vulnera in Paralyſin inciderunt, in quorum capitibus poſt mortem inventa ſunt abſceſſus, ſanguis, ſanies, ingens puris copia, meninx livens, cerebri ſphacelus. Vid. *Bonet. Sepulchret.* L. 1. Sect. XIV. obſ. 18, 19, 20, 21, 26. &c. Verum quandoquidem iiſdem cauſis adſcribuntur Sopor, Carus, Lethargus, Phrenitis, Delirium, Epilepſia, Convulſiones (Vide eundem. l. 1. S. III. obſ. 23, 26, 32, 37, 38. Sect. VII, 10, 23. XII. 21, 23. XIII. 14. &c.) luce meridianâ clarius eſt, ea quæ in cadaveribus hactenus ſunt obſervata, non ſatis cauſas Paralyſeos illuſtrare.

Quod ea quæ de motu muſculorum traduntur non ſint ſatis expedita.

Dixi tandem, ea quæ de motu muſculorum diſputata ſunt, non eſſe ſatis expedita. Hoc apparet ſi quis ea quæ *Williſius*, *Steno*, *Borellus* &c. de hac materiâ memoriæ prodiderunt, expendat. Hæc me movit ratio ut in *Cogitationibus meis* ea depromerem, quæ negotium hoc magis illuſtrarent. Non eſt ergo neceſſum hiſce immorari. Sufficiat obſervâſſe, ad naturam Paralyſeos intelligendam non eſſe inutile, diſtinguere inter

motum voluntarium, convulſivum, & automaticum. Motum automaticum illum appello, qui à ſpirituum in nervos influxu dependet, abſque voluntatis imperio, cerebro non parum læſo. Talis obſervatur in Catalepſi, uti poſtmodum videbimus. Hûc referri poteſt ille qui in Caroticis, ſomnambulis, & incubo vexatis obſervatur. Motus convulſivus eſt ille qui abſque voluntatis imperio, violentè, aut cum facultatum principum læſione perficitur, talis in Epilepſiâ & Convulſionibus contingit: diſtinguitur à priori, quod hic cum impetu & violentiâ, iſte autem moderatè peragatur. Voluntarius eſt ille, in quo ſpiritus animales à voluntate noſtrâ in muſculos hos vel illos determinantur, ad varios motus animales perficiendos.

Cum de motu automatico & convulſivo in ſequentibus ſit agendum, hic obſervare ſufficiet, ad motum voluntarium debitè perficiendum requiri 1. cerebri ejuſque appendicum, medullæ ſpinalis & nervorum debitam diſpoſitionem 2. ſpirituum animalium in muſculorum fibras determinatum & ſufficientem influxum. 3. Fibrarum muſcularium debitam tenſionem. 4. denique ſanguinis, ad muſculos replendos, ſufficientem impetum. De motu voluntario.

Requiruntur quidem plura, uti ex. gr. oſſium debita unitas; neque enim motus membrorum perfici poteſt, ſi oſſa ſint fracta, aut malè affecta. Articulatio integra, quandoquidem membra luxata ad voluntatis imperium moveri non poſſunt. Artus debito modo conſtituti, quandoquidem nec in Rheumatiſmo, nec in variis arthritidis ſpeciebus motus membrorum, ad voluntatis noſtræ imperium perfici nequit. Verum cum hæc vitia pleraque à paralyſi longiſſimè diſtent, ea enumerare non fuit neceſſum. Non eſt tamen ſicco pede prætereundum, quoſdam ab ortu hujus vel illius partis laborare Paralyſi, ob pravam conformationem in utero materno contractam.

Cerebri diſpoſitio debita conſiſtit in ejus expanſione moderatâ, tubulis patentibus, & ſubſtantia ritè diſpoſita. Ab expanſione dependet vigilia, hilaritas, omnium ſenſuum alacritas & vigor; quanto autem ſenſuum major eſt vigor naturalis, tanto motus etiam perfectior edi poteſt. Tubuli patentes ſpirituum animalium ſecretioni, & motui inſerviunt. Ad illum perficiendum requiritur: cerebri diſpoſitio debita.

Huc

Huc facit quoque ejusdem consistentia debita, & integritas. Medullæ oblongatæ & spinalis eadem est ratio, quandoquidem horum ope & sensationes ab objectis externis excitatæ ad sensorium commune deferuntur, & spiritus per eorum tubulos ad membra & viscera distribuuntur. Nervorum opera spiritus animales ad omnes partes confluunt, adeoque eorum tubuli patuli, integri, firmi requiruntur. Verum non tantum horum omnium cavitates considerandæ sunt, sed & membranæ hæc viscera tegentes, quandoquidem à sanguine, eos debitè irrigante & nutriente, eorum functiones imprimis dependent.

Spirituum determinatus & sufficiens influxus.

Ad motum voluntarium peragendum requiritur quoque spirituum determinatus & sufficiens influxus. Nisi enim spiritus animales à voluntate nostrâ versus has vel illas partes determinentur, oriuntur motus convulsivi & automatici, quos à voluntariis distinguendos esse statim monuimus. Debet etiam esse sufficiens; alias enim excitatur Paralysis. Neque enim in omni Paralysi spirituum influxus aboletur, sed non sufficienter peragitur, uti patet in Paralyticis ambulantibus, partem affectam extendentibus, flectentibus, & sic porro. Atque hac in parte videmus auctores non satis circumspectè loqui, quando ajunt Paralysin esse abolitionem sensus & motus: neque enim hæ functiones semper omninò abolentur, sed debilius atque imperfectius obeuntur. Novi *Galenum* c. 5. l. 1. de causis symptomatum dixisse, membra prorsus sensus motusque expertia fieri in Paralysi; verum hæc verba cum grano salis accipienda sunt. In graviori Paralyseos principio motus omninò perit, si membrum resolutum elevetur, decidit, sensus est obtusior; verum id in omni Paralysi locum non habet. Videmus enim multos Paralyticos obambulare per plateas, omnia sua munia obire, altero latere existente debiliori: sunt tamen & per plures annos remanent Paralytici. Non debet *Galeni* auctoritas plus apud nos valere, quam quotidiana experientia & rerum usus.

Fibrarum muscularium tensio debita.

Dixi etiam, ad motum voluntarium peragendum, requiri, fibrarum muscularium debitam tensionem. Fibræ musculares duplicis sunt generis, nerveæ aliæ, aliæ carneæ. Hæ à sanguine arterioso intumescunt, uti statim videbimus; illæ ab influ-

fluxu ſpirituum animalium. Hæ duæ tenſiones & motui voluntario & ſenſui excitando inſerviunt, adeo ut non opus ſit cum *Carteſio* ſupponere in nervis filamenta ad ſenſum verſus cerebrum deferendum, & ſpiritus animales per tubulos nervorum ad muſculos deferendos. Totum hoc negotium evadit manifeſtum, ſi hæc, quæ de fibris & tenſione dixi, probe percipiantur. Tenſio hæc duplex eſt, alia quæ reſolutioni, alia quæ relaxationi opponitur. Prior tenſio ordinariè & ſemper in ſanis locum habet, ſive agant, ſive ceſſent, ſive vigilent, ſive dormiant. Oritur à jugi ſpirituum verſus partes inferiores influxu, nervos eorumque filamenta modicè replente. Ab hac tenſione dependet ſenſus; ab hac eâdem tenſione, tanquam cauſâ ſine qua non, dependet calor, firma partium conſiſtentia & nutritio. Hæc tenſio minuitur in Paralyſi atque hinc oriuntur ſenſus imminutio, frigiditas, mollities, & nutritionis debitæ defectus. Cum ergo in hac tenſionis imminutione eſſentia paralyſeos conſiſtat, ea breviter explicanda eſt. Quemadmodum fides ſonum aut nullum aut obtuſum edunt, niſi tendantur: quemadmodum baculus aptus natus eſt ad regendum veſtigia in tenebris, uti *Carteſius* rectè obſervavit, quandoquidem nos per baculum intermedium diverſa corpora occurrentia percipimus, ad quæ viſus acies non pertingit: quia ſimulac una pars impingit in corpus aliquod obvium, manus, aliam tenens extremitatem, ab impulſu illo movetur, cui uſui funiculus non eſſet aptus, quandoquidem debitâ rigiditate deſtituitur. Eodem modo ſeſe res habet in corpore noſtro: niſi filamenta nervea, per univerſi corporis noſtri muſculos & membra diſperſa, tendantur, ſeu debitè ſpiritibus repleantur, impulſus objectorum externorum ad cerebrum non ſatis vividè deferetur, adeoque ſenſus erit imminutus. Senſus enim non conſiſtit in eo, quod objecta externa inſtar filamenti aut funiculi trahant nervoſos tubulos, *quemadmodum trahendo unam funis extremitatem, campanam quæ pendet ab extremitate altera, eodem tempore ſonare facimus*; ſed ſenſus conſiſtit in eo, quod filamenta nervea ſpiritibus animalibus repleta, ſimulac premuntur, motum, pulſum, ſeu niſum quendam ad cerebrum deferant, qui ad ſenſorium commune delatus va-

um ſenſum, pro varietate impulſus ab objecto externo membris noſtris illati, excitat. His explicandis nolim ulterius immorari, quandoquidem poſſunt videri Philoſophica magis quam medica; itaque ſufficiet ſententiam hanc paucis confirmare, & ab objectione ſatis difficili vindicare: hoc modo exiſtimo negotium hoc intricatum evaſurum manifeſtiſſimum.

Confirmatur experimento.

Vidimus corpus ſolidum, ſi ab una parte impellatur, ſtatim eundem motum altera extremitate exhibiturum. Oſtendendum jam eſt, idem habere locum in fluidis, quandoquidem nervi, ope fluidi in ipſis contenti, ſpirituum animalium nempe, eundem motum cerebro communicant. Hoc patet è ſequenti experimento. Sumatur tubus vitreus, cujus una extremitas veſicâ ſuillâ laxè circumligatâ claudatur: repleatur illa aqua ad ſummum uſque: tum altera extremitas veſicâ ſtricte claudatur, manifeſtum evadet, ſimulac extremitas una, adeoque aqua impellitur, ſtatim eundem motum ſeſe alteri extremitati communicaturum. Si autem tubus ille ex parte tantum ſit repletus, & teneatur perpendiculariter, ſtatim quidem jucundo ſpectaculo, videbitur ſubſultus aquæ, non tamen in altera extremitate ullus percipietur motus, quandoquidem aqua eouſque pertingere non poteſt. Si idem ille tubus ex parte repletus teneatur horizontaliter, vix aut ne vix quidem motus ad aliam partem pertinget. Eodem modo ſeſe res habet in nervis, ſi nervi à ſpiritibus animalibus, corpore fluido, ſufficienter ſint tenſi, ſimulac extremitates verſus membra protenſæ, ab objecto externo impulſæ, motum illum verſus cerebrum deferunt, ſtatius excitatur ſenſus manifeſtus: ſi autem flaccida ſint illa filamenta, nec ſpiritibus ſufficienter tenſa, tum ſenſus magis vel minus erit imminutus. Id habet locum in paralyſi, adeoque putem me rectiſſimè ſuperius dixiſſe, requiri tenſionem ſufficientem ad motum perficiendum. Quamvis enim jam tantum de ſenſu agam, idem illud tamen reſpectu motus habet locum uti in ſequentibus videbimus. Tenſionis hujus quoque meminit *Rondeletius. Paralyſis fit tendonum vel nervorum relaxatione.-- Debent enim ſecundum naturam tendi, quo leviſſima contractione facta, partem, cui tendo inſeritur, trahere queunt.*

In

In eo maxima eſt difficultas, quod hoc pacto ſtatuatur duplex in ſpiritibus animalibus motus, alter ab extremitatibus verſus cerebrum, ad ſenſum perficiendum, alter è cerebro verſus membra, qui cum ſint contrarii, non videntur ſimul poſſe habere locum, ſed potius ſeſe invicem debere deſtruere. Hæc non parva eſt difficultas, quæ proculdubio *Carteſium* coëgit recurrere ad ſupponendum in nervis filamenta ſenſui dicata, ut nempe motus ope ſpirituum animalium poſſet ſine ullo impedimento peragi: quemadmodum in organis muſicis ope filamentorum ductus quidam aperiuntur, quibus apertis ſtatim flatus eò penetrat ad ſonum efficiendum. Verum hæc difficultas evaneſcet, ſi conſideremus, & in corporibus ſolidis, & in fluidis duplicem poſſe eſſe niſum ſive motum, quorum tamen neuter alterum abolet. Ex. gr. Statuamus duos homines *Alexandrum* & *Adrianum* baculum intermedium tenentes: *Alexander* ad ortum conſtitutus trudat baculum verſus occidentem, ubi *Adrianus* eſt conſtitutus; horum autem amborum vires ita exactè ſint pares, ut baculus loco non moveatur. Manifeſtum eſt utrumque percepturum motum protruſionis, alter verſus occidentem, verſus orientem alter. cum tamen baculus loco non moveatur: uterque impulſum ſentit, nec motus vel niſus hic contrarius impedit, quo minus ambo eundem motum manifeſtè perſentiſcant. In fluidis res adhuc eſt multo manifeſtior: ſtatuamus tres homines (& quod de tribus dico de decem & pluribus poteſt affirmari) *Petrum*, *Philippum*, *Paulum* eodem tempore idem ſpeculum intueantur: *Petrus* directè ſpeculo ſit oppoſitus, *Philippus* & *Paulus* obliquè, adeo ut *Paulus Philippum*, *Philippus Paulum* intueri. Manifeſtum eſt radios luminis à facie *Petri* directè debere incidere in ſpeculum, ut imago ejuſdem in ſpeculo poſſit efformari, radios luminis eodem tempore debere reflecti à ſpeculo verſus oculos *Petri*, ut ipſe faciem ſuam in ſpeculo contemplari poſſit: itidem manifeſtum eſt, radios luminis à facie *Philippi* debere incidere in ſpeculum & oblique reflecti verſus faciem *Pauli*: eodem tempore radios luminis debere incidere à facie *Pauli* in ſpeculum, & reflecti verſus faciem *Philippi*: & tamen nulla viſus obſervabitur confuſio. *Petrus* ſeſe ipſum diſtinctè contem-

Difficultas removetur.

plabitur, *Paulus Philippum*, *Philippus Paulum*, cum tamen radii luminis non tantum versus contrarias ferantur partes, sed etiam sese mutuo decussatim intersecent. Hoc exemplum notatu evadit dignius, si consideremus omne lumen à radiis solis derivari, adeoque eodem tempore debere radios luminis oblique à sole versus inferiora derivari, ut *Petrus* se ipsum, *Paulus* & *Philippus* se invicem possint contemplari. Eodem modo sese res habet in nervis & spiritibus nostris, duplex potest esse nisus ad sensum & motum efficiendum, atque uterque peragi, absque ullâ confusione. Spiritus animales sunt subtiles non minus quam radii luminis, & quando de sensibus fit sermo, metaphoræ, à visu desumptæ, sunt adeo solemnes, ut sæpe metaphoricè loquamur, existimantes non vocabulis uti in propria significatione. Libet hic adscribere *Willisii* verba: *Quamvis autem satis constat*, *tales spiritus* (animales) *functionum animalium auctores existere*, *ipsiusque* animæ hypostasin *constituere*; *attamen quid ipsi secundum propriam suam essentiam fuerint*, *explicatu difficillimum videtur*, *quia scil. vix quidquam in rerum natura occurrit*, *cui in omnibus conferantur.* -- *Quapropter longe melius*, *juxta hypothesin nostram*, *hos* spiritus, *è sanguinis flammæ emissos*, lucis radiis, *saltem iis auræ*, *aërique intertextis*, *similes dicamus. Nam sicut* lux *ad visibilium*, aërque *ad audibilium omnium impressiones* configurantur; *ita* spiritus animales, *illorum*, *ac insuper odorum*, *& qualitatum tangibilium* εἰκόνας *impressas excipiunt easque* πρώτῳ αἰσθητηρίῳ *sistunt.* &c. de Anima Brutorum p. 1. c. 4.

Hujus tensionis usus.

Docui hactenus quomodo sensus dependeat à tensione, sive repletione fibrarum nervearum per universum corpus dispersarum, dixi ab eâdem tensione dependere calorem, firmam partium consistentiam & nutritionem, verum tanquam à causâ sine quâ non. Ostendi antea à pressione sanguinis dependere calorem nostrum, verum ut ille communicari possit, requiritur ut vasa sint patula, ne partes vicinæ flaccidæ influxum sufficientem sanguinis impediant. A spiritibus animalibus, fibras nerveas sufficienter tendentibus, dependet influxus sufficiens & satis validus sanguinis arteriosi, adeoque ab iisdem tanquam à causâ sine quâ non deducendus est calor partium. Ab

eâdem

eâdem illa tenſione dependet debita partium conſiſtentia: quia niſi filamenta nervea debitè tendantur, ſanguis minimos tubulos ſufficienter replere non poteſt, id quod ad firmitudinem partis requiritur. Ab eâdem tenſione dependet nutritio, quia ſcilicet nutritio requirit & calorem, & tubulos ſatis patulos, per quos ſanguis influere poſſit. Non inconcinne membra noſtra tentorio comparari poſſunt hujus reſpectu. Quemadmodum enim tentorium habitationi, & ſupellectili commodè diſponendæ, non eſt ſatis aptum, niſi clavi ſint confirmati, funes debitè extenſi, aulæa ritè compoſita; ita etiam nutritio commodè peragi non poteſt, niſi fibræ nerveæ, firmitudinem membris præſtantes ſufficienter ſint, â ſpirituum animalium influxu, extenſæ. Dixi tamen nutritionem hinc dependere tanquam à cauſa ſine qua non, quandoquidem nutritio non minus quas calor noſter nativus à ſanguine dependet. Cum hæc non ſatis obſervaſſent *Angli*, finxerunt ſuccum nutritium à ſpiritibus animalibus & ſanguine diſtinctum, cujus quemadmodum nulla eſt exiſtentia, ita nulla eſt neceſſitas. Argumenta ad hunc ſuccum ſtatuendum excogitata nihil aliud evincunt, quam emanationem ſpirituum debitam requiri ut nutritio abſolvi poſſit. Hoc veriſſimum eſſe è jam dictis, patet; verum ille influxus ſpirituum animalium non nutrit, ſed partes ad nutritione debitâ fruendum diſponit, quia ſanguineos tubulos patulos reddit, ad ſanguinem ſufficienter advehendum, qui proinde nutritionis cauſa principalis haberi debet. Si ergo tenſio hæc deficiat, minor evadit calor, nutritio non ſatis debite peragitur, membra ſunt flaccida.

Explicui hactenus tenſionem priorem, quæ reſolutioni opponitur, reſtat altera quæ relaxationi opponitur. Ea eſt, quando ad voluntatis noſtræ arbitrium ſpiritus in muſculi fibras tendinoſas & nerveas influunt, ad ſanguinis motum progreſſivum aliquomodo ſufflaminandum, unde tum repletio fibrarum carnearum ſequitur, muſculi ventrem inflans, & membrum, cui tendo inſertus eſt, ad ſe trahens. De hac tenſione in *Cogitationibus meis de Inſtauratione Medicinæ* egi. Itaque hic obſervâſſe ſufficiat, tenſionem hanc priori eſſe proportionatam, adeo ut hæc validè & ſufficienter fiat, ubi

Tenſio Fibrarum altera.

prior illa non deficit, & è contrario hanc debilius peragi, ubi illa deficit, ſive ubi membra reddita ſunt paralytica. Quamvis enim ſupponamus aliquos ſpiritus influere in muſculos, quos movere eſt animus, tenſio tamen hæc ſufficienter non fit, quandoquidem prior illa reſolutio ſuperata non eſt. Et hinc patet illos falli, qui exiſtimant in Paralyſi aliquando ſenſum tolli motu ſuperſtite, uti in ſuperioribus vidimus. Nempe ſpirituum copioſior influxus, fibrarum tenſio major requiritur ad motum, quam ad ſenſum peragendum, unde videmus in principio Paralyſeos, quando membra omninò reſoluta ſunt, ſenſum tamen, licet obtuſiorem, eſſe ſuperſtitem. Rectè huic affectui nomen παραλύσεως impoſitum eſt; membra enim affecta ſunt laxa, mollia, frigidiora. Quis ergo adeo imperitus erit rerum æſtimator, qui putet membra poſſe eſſe flaccida, & reſoluta motu integro remanente? An flacciditas ſenſum, non autem motum tollet vel omnino, vel ſaltem aliquâ ex parte? Si autem ſenſus hebetetur, nullâ flacciditate in parte affectâ conſpicuâ, luce meridiana clarius eſt, non adeſſe Paralyſin, ſed quemcumque alium affectum.

Sanguinis in muſculos influxus.

Ultimum quod dixi requiri ad motum voluntarium peragendum, eſt ſufficiens ſanguinis in muſculos influxus. Ab hoc influxu dependet ventris muſculi extenſio, non ab aliqua exploſione, non à contrarietate ſpirituum animalium & ſucci nutritii. Anſam huic commento dedit conſideratio efficaciæ, quam obſervare licet, quando muſculus expanditur, tum enim non ſolum membrum, cui tendo inſertus eſt, trahitur, ſed quicquid ab illo membro ex. gr. manu comprehenſum eſt: elevamus pondera gravia, corpora magna & ponderoſa loco movemus, imo humeris onera ſatis gravia portamus, non exiguo, ſed longo tempore. Dependent hæc omnia à ſanguinis preſſione, & celeri per univerſum corpus circulatione: unde ſequitur, ſi ſanguis aliquomodo cohibeatur in aliquo muſculo, ſtatim illum debere inflari, abbreviari, & magna vi attrahere membrum annexum. Hinc etiam patet muſculos antagoniſtas poſſe reciprocè & celerrimè inflari & relaxari, quandoquidem ſimulac influxus ſpirituum ad cohibendum

dum ſanguinis motum progreſſivum ceſſat, ſtatim ſanguis cohibitus effluit, imo etiam exprimitur ab intumeſcentia muſculi antagoniſtæ. Hinc etiam patet quare magis fatigemur, quando eoſdem muſculos diu inflatos tenere cogimur, non item, quando muſculi antagoniſtæ ſucceſſive agunt. Nimirum ſanguis facile per momentum temporis in muſculo cohiberi poteſt, non item diu, quandoquidem impetus ſanguinis, è corde validis & repetitis pulſibus expulſi, à tergo premens, vim infert tenſioni illi fibrarum tendinoſarum: fibris ipſis carneis à continua illa repletione quoque infertur vis: id quod non ita contingit, ubi ſanguis nunc in uno, nunc in alio brevi tempore cohibetur. Dixerunt antiqui triplices in corpore noſtro dari partes: ſolidas, fluidas ſive contentas, & impetum facientes; per impetum facientes intellexerunt ſpiritus animales; verum ſi rectè calculum ponamus, non ſunt propriè ſpiritus animales illæ partes à quibus dependet impetus, niſi in quantum impetus ſanguinis non deducitur in actum, abſque ſpirituum animalium influxu. Sanguis non tantum primum movens eſt in corpore noſtro, ſed & movens maximarum virium. Quanta vis, quam immenſa requireretur copia ſpirituum animalium, ſi ab illis ſolis deducendus eſſet motus omnis muſcularis? Quanta conjungeretur diſſipatio & jactura ſpirituum animalium, ſi illi diſparerent poſtquam muſculum inflaſſent, neque enim facile ad cerebrum remeare poſſunt? Hæc fuit ratio, quare *Carteſius* valvulas in muſculis antagoniſtis excogitarit, quare alii alia ſuppoſuerint. Mihi abundè ſanguis ejuſque preſſio ſufficit, ad omnia phænomena, quæ in motu muſculari obſervantur, explicanda. Sanguinis hæc actio non premitur difficultatibus, quibus aliæ laborant hypotheſes. A ſanguine nihil perit, adeoque diu motus continuari poteſt: ſanguis celerrimè movetur, adeoque muſculi citiſſimè inflari & detumeſcere poſſunt. Sanguis magna vi & continuis ictibus è corde propellitur, adeoque maximæ eſt efficaciæ. Sanguine non tantum arteriæ ſunt repletiſſimæ, ſed is è majoribus vaſis, in minimas propellitur ſenſim anguſtatas fibrillas, uti alibi explicui. Adeo ut mirum ſit *Raimundum Vieuſſens*, cum utilitatem vaſorum ſanguineorum muſculi conſtructionem

in-

ingredientium & viderit & adſtruxerit experimento canis, cujus ſi deſcendens aortæ truncus valido ſtringatur vinculo, protinus ſubjectæ diaphragmati partes paralyſi laborant; remoto autem vinculo, atque adeo ſanguini libero commeatu reddito, eædem partes ſenſum motumque recuperant. Cum, inquam, hoc experimentum p. 247. referat, eadem tamen pagina ſtatuit, ubi tenuiſſima fila ad ſe invicem accedunt propius, atque eorum interſtitia minora fiunt in inflatione muſculi, tum inde contingere, ut ſanguis ipſis interjectus veluti exprimatur, & ſubito in venas refundatur. Etenim ſi ſanguis exprimatur è muſculo in ipſius actione, omnis ille tumor adſcribendus eſſet ſpiritibus animalibus, quorum tum requireretur maxima copia, quorum contingeret ingens diſſipatio, quod à ratione alienum eſſe non ego tantum, ſed plures ante me viderunt. Si ſanguis è muſculo exprimatur, unde ipſius inflatio, unde tumor? An à ſpiritibus animalibus ſolis? Verum illi nervorum tenuiſſimis continentur filamentis, in expanſione autem muſculi non tantum fibræ nerveæ, ſed & carneæ expanduntur. Hinc inflatio muſculi, muſculi hinc dependet durities vel ſenſui ipſi manifeſta. Quid? quod inflatio muſculorum à ſanguine in muſculos copioſius influente, vel oculis noſtris ſeſe offerat, ubi diligenter attendimus ad tubicines tubâ canentes; tum enim apparet faciem illorum colore ſanguineo eſſe perfuſam. Unde autem hic color? Unde? niſi ab influxu copioſiore & retentione ſanguinis in muſculis, ad inflationem tubæ ſuam ſymbolam conferentibus? Ultimum itaque, quod ad motum voluntarium requiritur, putem me rectiſſimè ſtatuiſſe, ſufficientem influxum ſanguinis in muſculos, ad illos inflandos, & motum perficiendum.

Paralyſis affectus eſt ingraveſcentis ætatis.

Progrediendum jam eſt ad explicationem cauſarum paralyſeos verarum, in quibus detegendis utinam eſſem tam felix, ut amoliri omnes poſſem difficultates, quemadmodum exiſtimo me illas ritè perſpexiſſe! Verum hic opus, hic labor. Optarem ſanè ut mihi aliquot cadaverum paralyticorum fieret copia, cum ea, quæ literis conſignata ſunt, aliquando accommodata ſint præconceptis opinionibus, aliquando debita deſtituantur

tur ἀκριβείᾳ. Non auſim ſpondere me aliis ſatisfacturum, cum mihi ipſi vix ſatisfaciam, dicam tamen ea, quæ mihi maxime viſa ſunt probabilia: ſperans fore, ut praxis medica tandem magis illuſtretur. Antequam autem cauſas detegam, non inutile erit præmittere, id quod *Paulus Ægineta* rectè obſervavit, Paralyſin eſſe morbum ætatis ingraveſcentis. συμβαίνει δε, inquit, τὸ πάθος περὶ τὴν πρεσβυτικὴν ἡλικίαν ταῖς φλεγματικωτέραις κράσεσι. L. III. c. 18. Rarius juvenes invadere hunc morbum, frequentius ætate provectos, non parum facit ad naturam ejus intelligendam. Nempe cerebrum in ſenibus ſenſim evadit magis flaccidum, unde ſpiritus animales, ſecreti ope hujus viſceris, minus ſunt copioſi, minus activi. Adeſt quidem determinatus eorum in muſculos influxus, ſed non ſufficiens, nec ſatis validus. Etenim ſi ſenum mores & motum conſideremus, patebit illos ſegnius, timidè gelideque res omnes adminiſtrare, id quod à ſpirituum minori copiâ, nec non minori vigore dependet. Hinc tremor, tardus & debilis inceſſus. Hiſce ſi addamus, ſenſim poros aliquos obliterari, fibras ipſas reddi minus obſequioſas, interim autem ſanguinem, per arteriarum ramos patentes, copioſè ad cerebrum deferri, manifeſtum eſt, cerebrum magis deprimi, ac magis flaccidum reddi. Flacciditatem auget ſeroſorum humorum copia, ventriculos cerebri replens, atque partes ſubjectas premens. Hinc oculi ſenum ac nares ſero & pituitâ madere ſolent. Hinc oritur nimia in ſomnum propenſio, adeo ut menſæ aſſidentes, inter ipſa colloquia, ſæpe in ſomnum labantur. Si autem nocte non æque placidum capiant ſomnum, illud non raro à nimiâ oritur ſollicitudine. Exactâ viâ viaticum quærunt, liberis proſpiciendi cura torquet. Addamus & illud Poëtæ:

—— Senectus, ſi nihil alind quicquam vitii
Apportet ſecum, cum advenit, unum id ſatis eſt
Quod diu vivendo, multa, quæ non vult, videt.

Hinc moroſi, difficiles, queruli, acti temporis laudatores, cenſores, caſtigatoreſque minorum. Ab eâdem cerebri diſpoſitione, flacciditate, depreſſione, oritur ingenii imbecillitas,

oblivio, animus meticulosus. Non tantum in capite, sed & universo corpore quidam tubuli & pori obliterantur, uti illud è rugis & sulcis apparet: interim quædam vasa sanguinea minora à continuâ circulatione ampliantur, quemadmodum illud ad oculum in manibus senum aliquando conspicitur. Adest etiam in senibus debilior fibrarum tensio, unde sensus externi fiunt hebetiores. Visus minuitur, evadunt surdastri. Nonnunquam de partis hujus aut illius queruntur stupore, qui non rarò paralysin præcedit. Quod si autem tensio ordinaria ad sensum sit imbecillior, non mirum, si eadem, ad motum requisita, quoque sit debilior. Spiritus animales minus activi in fibras tendinosas non ita vividè influunt, ut sanguinis motum sufficienter remorentur, ad validam musculi inflationem perficiendam. Sanguis ipse redditur quasi effoetus, particulis activis minus prægnans, unde ipsius impetus quoque est minor. Cor debilius contrahitur, sanguis minus comminuitur, minori calore, minori vi elasticâ pollet. Cum autem ab hac sanguinis pressione omnes functiones dependeant, ventriculus chylum suppeditabit minus concoctum, unde minor copia talium particularum, quæ spiritibus animalibus pabulum præbere solent. Quid? quod sanguis ipse, particulis minus exaltatis constans, mole sua gravius cerebro incumbat? Quid? quod ipse hic sanguis minus aptus sit promptæ circulationi per minimas meningum & corticis cerebri arteriolas? Hinc spirituum expansio, & mobilis per nervos influxus non parum imminuitur.

Transitio. Hæc fuerunt præmittenda, ut constet quomodo senes ad Paralysin sensim reddantur dispositi, jam explicandum restat, quæ sint veræ Paralyseos causæ, & quomodo hæc dispositio in actum deducatur. Ajunt Auctores Paralyseos causas esse, quicquid influxum spirituum in nervos & musculos impedit: hoc est verissimum; nam ab influxu impedito dependet minor tensio fibrarum, flacciditas & resolutio musculorum, in quo essentia Paralyseos consistit; verum rogo, quid sit illud quod influxum spirituum in fibras musculorum impedit? hic jam culpatur obstructio nervorum ab humore pituitoso & glutinoso, quam ego in superioribus demonstravi locum habere non posse.

Ego

Ego existimo omnem Paralysin oriri à compressione, vel solutione continui nervorum, medullæ oblongatæ, vel spinalis. Causæ compressionis sunt variæ, tumores, sanguis sive extravasatus, vel nimium distendens partes, serum, pus, lympha, ossa. Causæ Paralyseos.

Tumores possunt oriri in cerebro, quemadmodum ego aliquando puerum dissecui, in cujus cerebro reperiebatur tumor durus & subrotundus. Hi tumores tamen Paralysin non producunt, nisi adeo prope medullæ oblongatæ accumbant, ut vel eandem vel nervos comprimant. *Willisius* etiam tumorum scirrosorum mentionem facit, illosque inveniri statuit in medulla spinali. Nolim illud planè inficias ire, ego tamen existimo eos facilius & frequentius in cerebro inveniri. Tumores tales influxum spirituum impedire nemo non videt, unde necessariò sequitur, tensionem fibrarum nervearum ad musculos dispersarum imminui & resolvi, in quo essentiam Paralyseos consistere dixi. Si autem tensio ordinaria, ad sensum requisita, relaxetur & imminuatur, tensio ad motum necessaria & validior imminuitur vel planè aboletur. Possunt quoque oriri tumores prope nervorum exortum, à læsione membranarum, vel earundem vasorum. Hujus rei exemplum memorabile exstat apud *Wepferum* in auctario hist. 14. *Ursula Aberlin Wölfachensis*, virgo 23 annorum plethorica, staturæ mediocris, carnosa, robusta, famula apud Cauponem, magnam graminum farraginem, ac pondere gravem capite gestatam ex agro domum deportavit. Sub onere sensit manifestè aliquid intra cranium ruptum fuisse: paulo post cibaria cum supellectili in loca montana vicina detulit, admodum gravata iterum fragorem intra cranium animadvertit. Ab illo tempore urinam minus retinere valuit, postmodum sinistrum latus motu & sensu privatum fuit. Vixit adhuc annum unum atque alterum, nunc melius nunc pejus disposita. In cadavere, præter serum in capite collectum, apparuit folliculus ovi gallinacei magnitudine, peculiari tunica vestitus, aquam turbidam continens. Hæc fuit paralyseos causa. Historia fusè descripta l. c. videri potest. Huc referri possunt cerebri Apostemata, & similes tumores. Vid. *Boneti Sepulchretum* l. 1. Sect. xv. obs. 18. Vel Tumores.

etiam lapis in cerebro inventus, quale exemplum refert *Bonetus* l. IV. Sect. III. obs. I. §. 2. in eo enim ægro collum relaxatum fuit, & imbecillior motus observatus.

Sanguis extravasatus & vasa distendens.

Sanguis ἐκχύμωμα producens, vel planè extravasatus, etiam compressionem medullæ oblongatæ & nervorum efficere potest. Ita ego præfui Matronæ, sexagenariæ circiter, quæ è gradibus decidua caput non parum læserat: hæc facta hemiplectica feliciſſimè restituta est, adeo ut postmodnm nulla Paralyseos prægressæ indicia remanerent. Non dubito quin circa basin cerebri ἐκχύμωσις satis gravis causa fuerit Hemiplegiæ, quæ, nervos comprimendo, sensum & motum sustulit, quandoquidem à denegato influxu debito spirituum animalium, musculi eorumque fibræ non potuerunt non resolvi. Post vulnera capitis non raro contingit oriri Paralysin. Historiam non unam apud *Bonetum* in Sepulchreto videre licet. Lib. I. Sect. XV. ob. 26. §. 7. 8. &c. Accidit etiam aliquando, anteriorem cerebri cavitatem, aut ventriculos, sanguine & sero repleri, licet vulnus nullum præcesserit. Vid. ibid. obs. 9. 16. Facile autem intelligimus, à quacumque demum causâ sanguis effundatur, dummodo premat nervos, & medullam oblongatam, impediri spirituum influxum, atque adeo fibris nerveis minus tensis, sensu & motu aut magis aut minus privari ægrotantem. Paralysis est morbus ingravescentis ætatis, ac senum, in quibus sanguis solet esse viscidior, & ad motum minus aptus. Hic ab arteriis majoribus in minores propulsus ramificationes, nec facile transiens, producit nimiam earundem repletionem, & extensionem, unde nervi non parum comprimi possunt. Talis dispositio sanguinis reperitur in corporibus cacochymicis, melancholicis & scorbuticis, unde hi homines ad motum fere sunt segniores, & sæpe anhelosi. Observarunt talia auctores, quando illa cum eorum præjudiciis conveniebant in melancholiâ, ubi noverant culpari sanguinem foeculentum. Vid. *Boneti* Sepulchretum l. I. Sect. VIII. obs. 6. & Sect. IX. obs. 2. In Paralysi ad hanc non videntur fuisse satis attenti, cum tamen hæc minime videatur negligenda. Nempe non raro contingit stuporem Paralyseos prænuncium V. S. & medicamentis convenientibus superari. Ratio levaminis mihi

non,

non videtur alia, quam quod incipiens vaſorum tumor imminuatur, ulterior præcaveatur. Quid? quod homines ſatis benè, ut videtur, diſpoſiti ab animi commotione in Paralyſin incidant? Hujus rei non alia videtur cauſa, quam quod ſpiritus & ſanguis validè & turbulentè agitati, tenſionem majorem fibrarum excitando, vaſorum extenſionem & reptatum aliquantulum immutent. Quemadmodum enim ab animi commotione in variis partibus varia excitatur labes, ita non mirum, ſi in quibuſdam etiam nervi eorumque vaſa malè mulctentur. Quædam ab animi commotione in menſtrua inordinata & ſuperflua, quædam in eorum perpetuam incidunt ſuppreſſionem. Quædam in mammillarum tumorem, ſchirrum, cancrum. Quidam in tubercula pulmònis, vomicam, phtiſin. Plura poſſent enumerari. Horum omnium melior non datur explicatio, quam quod ſpiritus tumultuantes in has vel illas partes inordinatè influant, adeoque texturam vaſorum & partium ſolidarum pervertant. Ut ad Paralyſin revertar, non accidit illa ab animi paſſione ita facile juvenibus, quam quidem ſenibus, cujus rei ratio ex iis, quæ ſuperius explicata ſunt, evadit manifeſta. In ſenibus quippe ſponte reptatus vaſorum immutatur, quædam extenduntur, quædam imminuuntur & contrahuntur: ſanguis effoetus circulationi eſt minus aptus, cerebrum flaccidum, ſpiritus minus mobiles, itaque ſi commotio vim afferat vaſis in baſi cerebri, aut circa medullam ſpinalem copioſè diſperſis, quid mirum ſi vaſa à ſanguine glutinoſiore diſtendantur, ſi influxus ſpirituum ſatis copioſus impediatur verſus fibras muſculares debiliores, adeoque ſubſequatur Paralyſis. Quod ſi excipiat dolor & triſtitia, tanto pertinacius cauſa hujus mali hærebit, & vix aut ne vix quidem ſuperabitur. In juvenibus hæc non ita facilè habent locum, præterquam enim quod animi affectus non ſint ita ſtabiles, ſanguinis, cerebri, ſpirituum animalium tantus eſt vigor, ut hic à graviori iſthoc ſymptomate eos eximat. Quamvis auctores in explicatione cauſarum Paralyſeos præcipuè pituitam reſpexerint, fatentur tamen ſanguinem quoque hujus ſymptomatis eſſe cauſam, quem *Rondeletius* c. 3. primo loco enumerat. *Hercules Saxonia* etiam V. S. in Paralyſi à re-

repletione præſcribit l. 1. c. 10. & refert *Vallariolam* ſeptuagenario cum fructu venam ſecâſſe: quæ quidem ad ſententiæ meæ confirmationem non parum faciunt. Etenim ſi ſanguis ſolâ copiâ producat Paralyſin, cur ſanguine imminuto non ſtatim expugnatur morbus? Quæ eſt ratio productionis pertinacis mali? Mihi quidem videtur nulla commodior, & cum ſymptomatibus & diuturnitate affectus magis conveniens poſſe ſtatui quam ea, quam explicuimus, cauſa. Hanc etiam imminuiſſe videtur *Sennertus*, qui è *Galeno*, inter cauſas Paralyſeos recenſet *denſationem ſeu coarctationem, cum nervus craſſiorem, quam pro ſua natura, habitum ſeu conditionem ſuſceperit.* Craſſior hæc conſtitutio mihi, circulationi ſanguinis convenienter, non videtur commodius poſſe derivari, quam ſi à ſanguine nutriente, & vaſa minutiſſima, nervos & membranas perreptante, modo jam deſcripto, vel à lympha modo in ſequentibus deſcribendo, deducatur. Auctores qui ante detectam ſanguinis circulationem vixerunt, faciunt quoque mentionem ſanguinis craſſioris, qui alia ratione, quam modo jam dicto, non videtur poſſe explicari. Quid? quod Paralyſeos prodromus non tantum ſit ſtupor, cujus meminimus, ſed & ſæpe vertigo? Vertiginem autem à repletione nimiâ vaſorum ortum ducere, in ſuperioribus, uti opinor, luculentiſſimè demonſtratum eſt. Exemplum Paralyſeos, quam præceſſerat capitis dolor, oculorum ſcototomia, & vertigo vide apud *Walſmidium* Caſu XIV. p. m. 130.

Serum. Serum poteſt etiam eſſe cauſa Paralyſeos, verum tantum in quibuſdam caſibus, quandoquidem ſæpenumero ſerum in capite copioſum eſt inventum poſt mortem, ubi nulla vexaverat paralyſis: quandoquidem ii qui hydrocephalo laborant, etiam non evadunt ſtatim paralytici. Serum itaque, meo judicio, producit Paralyſin ubi id, circa baſin cerebri & nervorum exortum delapſum, medullam oblongatam, ac nervos: vel ſi idem medullam ſpinalem comprimat. Huc poteſt etiam accedere cerebri ipſius flacciditas, atque ita cauſam hanc, per ſe non ſatis efficacem, in actum deducere. Ita in exemplo, quod affert *Williſius*, ubi corpora ſtriata fuerunt flaccida, fortè latex ſeroſus, vel ſimiles cauſæ adjuvantes una pro-

produxerunt Paralysin. Ad seri in cerebro majorem accumulationem facit, si membranæ spinalem medullam ambientes incrascescant, vel intumuerint à sanguine, uti in superioribus explicatum est. Vide *Boneti* sepulchretum L. 1. Sect. 15. obs. 5. Quod si serum in reduplicatione duræ matris hæreat, & ita nervos premat, facilius Paralysis succedere potest. *Bonet.* ibid. obs. 14.

Non raro etiam contingit Paralysin oriri à pure in cranio collecto. Ita adolescens annorum tredecim fuste ligneâ percussus, absque insigni vulnere, absque cranii fissurâ, aut fracturâ, tamen in Convulsinem & Paralysin cruris dextis & brachii sinistri incidit. Dissecto cranio, è regione partis vulneratæ, inter cranium & duram meningem pus inventum est. *Bonet.* Sepulchret l. 1. Sect. XIV. obs. 20. Similis observatio exstat. L. IV. Sect. III. obs. 9. §. 1. Verum quemadmodum talis Paralysis sequi solet vulnera, vel contusiones capitis, ita non solet esse admodum diuturna, quandoquidem illa sæpuis ægros jugulat. Pus.

Lympham etiam, membranas cerebri, spinalis medullæ, aut nervorum distendentem, existimo præcipuè causam esse Paralyseos, quæ aurifabros à *Mercurii* halitu infestat. *Willisius* explicaturus quomodo halitus *Antimonii*, *Mercurii*, *Auripigmenti* quibusdam, inter Chymicorum & metallorum fornaces *diu* versantibus, membrorum debilitates, tremores & resolutiones inducant, recurrit ad particulas narcoticas & vitriolicas, quibus spiritus profligantur. Ego autem in hoc casu non tam spiritus animales malè affectos, sed imprimis lympham respiciendam esse existimo. Præterquam enim quod difficile admodum explicatu sit, qua ratione particulæ vitriolicæ & narcoticæ solo halitu sese spiritibus animalibus jungant, cum os Ethmoides planè clausum sit, plures sunt rationes quæ meam confirmant sententiam. Primum enim ea, quæ spiritus animales afficiunt, statim vim suam maximè efficacem exerunt, odor *Spiritus Salis Armoniaci*, *Sal. Volat. C. C. Oleum Succini*, *Assa fœtida*, *Acetum* ac similia naribus admota, & spiritus animales in suffocatione hypochondrica, hysterica, animi deliquiis, ebrietate atque pluribus casibus, & ægrotos languidos, particula- Lympha.

rum

rum suarum efficacia, statim excitant. In hoc autem casu, uti *Willisius* experientiæ convenienter rectissimè annotavit, non nisi post longum tempus, ubi DIU inter fornaces fuerint versati, Paralysis sequitur, manifesto argumento, non tam spiritus animales, quam quidem alios humores, aut partes affici, quibus dyscrasia ita subitò induci non potest. Dein hi homines sensim redduntur, quantum ego quidem novi, minus sani, & debilitatis illorum varia sese promunt indicia, antequam in Paralysin incidant, iterum indicio haud obscuro, humores & fortè partes solidas affici magis quam spiritus animales, à quarum debilitate si deduci possint symptomata omnia, non est necesse ad dyscrasiam spirituum obscuram, nec satis probatam recurrere. Ad hæc non raro contingit partes solidas quasdam à *Mercurio* malè mulctari, antequam spiritus animales esse infectos è certis signis colligi possit. Ita ego tractavi Centurionem, qui, cum post usum *Mercurii* sui non satis sedulam habuisset curam, in surditatem incurabilem inciderat: tractavi itidem alium, qui è causâ non admodum dissimili, inciderat in cæcitatem. Si autem spiritus animales afficerentur, non est verisimile, in hoc tantum aures, in alio tantum oculos, vaporum, spiritus animales inficientium, noxam sensuros fuisse. Quid? quod tophi, post *Mercurii* usum in capite &c apparentes, satis indicent, partes solidas vel humores magis lædi à *Mercurio*, quam quidem spiritus animales. Denique symptomata, quæ suffimigium vel usum *Mercurii* sequuntur, satis evincunt, partes solidas & fluidas, præcipuè lympham, magis affici quam spiritus animales. Quippe ante, & in ipsa salivatione solet caput, facies, fauces intumescere. Tumor faciei est ædematosus; talis potius qualis in Cacochymicis observari solet, quam inflammatorius aut erysipelatodes: adeo ut rectè mihi videar colligere in hoc casu membranas à lymphâ copiosius aggestâ intumescere, quæ fortè etiam vasa sanguinea intumescentiâ & copiâ in consensum trahit. Cum autem talis fumus nervis sit infestus, non est mirum si lymphâ & humoribus sensim accumulatis, si membranis & tunicis vasorum tumidioribus redditis, tandem succedat Paralysis, à compressione impedito spirituum animalium influxu, adeoque sensim re-

relaxatis fibris muſcularibus. Dico *Mercurium* eſſe nervis inimicum, non quod credam à *Mercurio* nervos ipſos relaxari, ſeu in majorem extendi longitudinem, ſed quod fumum *Mercurii* copioſiorem ſequatur totius corporis & nervorum refrigeratio. Ita novi, quempiam ab halitu *Mercurii* poſt *Cinnaberis* ſublimationem exſtincti, ſubito conqueſtum eſſe ipſum toto corpore ita fuiſſe perfrigeratum, ut non potuerit calefieri, quicquid ad ejus conſervationem in uſum vocaretur. Si itaque talis refrigeratio ſubſequatur *Mercurii* fumum, non eſt mirum ſi lympha evadat minus mobilis, ſi vaſa & membranæ tumore lymphatico intumeſcant, & fortè ſanguis in conſenſum trahatur. Cum autem hoc ſenſim fiat, in nervis ſtatuenda eſt hoc in caſu compreſſio. *Bonetus* è *Rhodio* refert exemplum Paralytici lue Venereâ inquinati, in quo membranæ cerebri (fortè tumidiores redditæ) cranio carioſo tenaciſſimè adhærebant. l. 1. ſect. xv. obſ. 27.

Oſſium etiam luxatorum faciunt Auctores mentionem inter cauſas paralyſeos, ſi ea ſc. luxatione, vel ſubluxatione nervos comprimant. Quemadmodum enim à diutino inſeſſu ſtupor in pedibus excitari ſolet, quandoquidem ſpiritibus animalibus liber commeatus à compreſſione denegatur, ita facile concipimus, ſi, à luxatione oſſium, nervi vicini premantur, motum illarum partium, ad quas nervi pertingunt, debere ex parte ſenſu & motu privari. Verum, uti è ſuperioribus patet, hanc cauſam minus reſpiciendam eſſe exiſtimem ego, quandoquidem in luxationibus ordinariis muſculi nimium contrahuntur, adeoque à paralyſi ſunt immunes, deinde in luxationibus non tam paralyſis, ſi qua ſit; ſed luxatio ipſa reſpicitur. Itaque hæc cauſa præcipuè locum habet in caſibus extraordinariis, ubi à contorſione, vel malè reſtitutâ luxatione membra incipiunt atrophia laborare, & vigore privari. Oſſa.

Enumeravimus cauſas nervos comprimentes frequentiſſimè Paralyſin producentes, ſi non omnes, ſaltem quamplurimas, reſtat ut ad ſolutionem continui tranſeamus, in qua non eſt magna difficultas, cum facilè concipiamus, ſi nervi continuitas ſit ſoluta, non poſſe ſpiritus animales influere verſus illas partes, ad quas nervus ille in ſtatu ſanitatis pertingebat. Vulnera.

Quamvis enim, quibusdam fibrillis discissis, aliæ illorum vices supplere possint, si tamen nervi major truncus dissectus sit, reliquæ fibræ minus promptè, minus potenter, minus copiosè eò spiritus convehere possunt, unde non est mirum, si pars illa sensu, aut motu vel omninò vel ex parte privetur. Paralysis autem ab hac causâ dependens semper est particularis, quandoquidem insignis læsio principii nervorum contingere non potest, quin plura sequantur symptomata, aut mors repente occupet. *Bonetus* è *Platero* refert puellam nubilem è pago vicino *Basileam* revertentem, resolutam fuisse inferiori corporis parte, exploso sclopeto à quodam. Post mortem deprehensum est, globum plumbeum spinalem medullam disrupisse. Vid. *Sepulchret.* l. 1. sect. xv. obs. 23.

Mala conformatio. Restat adhuc alia Paralyseos causa, nempe prava partium conformatio ab ortu sese prodens. Ita contingit brachium ex. gr. in utero materno malè dispositum esse minus, frigidius & Paralyticum, atque tale per totam vitam permanere.

Causæ antecedentes. Accedendum jam est ad causas Paralyseos antecedentes. Inter eas primo loco enumerandus est sanguis, vel copiâ vel intemperie peccans. Si sanguis copia peccet facilè vasa minima ita repleri possunt, ut inde nervi, vel spinalis medulla comprimantur. Quemadmodum hæc causa Apoplexiam producere potest, uti in sequentibus explicabitur, ita eadem Paralyseos potest esse causa antecedens, quando à causis superius enumeratis in actum deducitur. Intemperie peccat sanguis, quando in effœtis & senibus spiritibus orbatus est, uti de senum dispositione superius vidimus. Huc pertinet sanguinis dispositio scorbutica; nam datur etiam talis Paralysis, uti ab *Eugaleno*, & *Charletono* annotatum est. Cum autem sanguinis dispositio scorbutica in eo consistat, ut vasa minima minus promptè permeare possit, facile intelligimus, hinc posse oriri nimiam arteriolarum, membranas & nervos perreptantium, repletionem, adeoque compressionem. Quid? quod constitutio varicosa vasorum hinc ortum habere possit, quemadmodum ea in cerebro aliquando observata fuit? Quod si sanguis nimium expandatur, expansio hæc etiam nervos comprimere potest. Talem historiam refert *Walsmidius*. Viri literati & ple-

plethorici, qui in ſynocham inciderat cum Paralytica affectione. Caſu 65. Sed neſcio quare ad turbatam ſanguinis mixtionem recurrat, cum in allato exemplo, præter plethoram, adfuerit manifeſta expanſio ſanguinis. Plethoram ipſe rectiſſimè obſervavit, ſcribens, *Plethoram inclinare ad febres.* Expanſionem autem ſanguinis majorem febribus jungi, cuilibet attendenti facile patebit; verum illa ſub conceptu fermentationis vel turbatæ mixtionis quibuſdam imponit; illud autem probare non eſt hujus loci. Inter cauſas antecedentes etiam recenſeri debet nimia cerebri flacciditas, quemadmodum illam in ſenibus habere locum in ſuperioribus oſtendimus. Inter cauſas antecedentes locum ſibi vendicant quoque animi paſſiones, vel ſubitaneæ, vel magis lentæ. Spirituum inordinatus & turbulentus in membranas influxus tenſione præternaturali ſanguinis motum per minimas fibrillas variè immutare poteſt, adeo ut inde exoriatur compreſſio nervorum, & immutatus vaſculorum reptatus, uti in ſuperioribus explicatum eſt. Ab paſſionibus magis lentis, triſtitiâ & mœrore, ortum habet cerebri flacciditas, ſanguinis conſtitutio lenta, glutinoſa, ſcorbutica: ſpiritus animales minus alacres. In genere, varii in diætâ errores ad Paralyſin diſponunt: ſi quis ſæpe vino ſit madidus, ſi quis ſit guloſus, veneri nimium deditus, ſomnolentus, ſegnis, variis ſanguinis evacuationibus exhauſtus; ſi quis habitet in ædibus calce recenter obductis: huc refer aërem humidum & paludoſum, decubitum in lecto humido, moram ſub radiis lunæ: frequens opiatorum uſum quoque valde noxius. Plures aliquando cauſæ concurrunt ex. gr. plethora, diſpoſitio ſcorbutica, ſpirituum motus inordinatus. Arteriarum tunicæ ſuas habent arteriolas à quibus nutriuntur, membranæ gaudent nervorum minimis propaginibus, à quibus exquiſitus earum ſenſus dependet. Si in haſce propagines ſpiritus vel magis vel minus influant, adeoque vel majorem vel minorem producant tenſionem, ſi ſanguis ſit effœtus, lentus, ſcorbuticus, minimæ arteriolarum propagines varie diſtendi poſſunt, nervi comprimi & ſpirituum influxus ſatis copioſus verſus muſculos impediri. Et hæ cauſæ ſunt ſatis efficaces, quandoquidem arte-

riarum & venarum rami minutissimi per membranas copiosè itidem dispergunturꝰ nervorum fibrillis proximè accumbunt, & una mirabilem illam vasorum minimorum texturam constituunt.

Paralyseos descriptio.

Explicatâ hactenus Paralyseos naturâ, non erit difficile descriptionem convenientem subjungere; nempe *Paralysis est relaxatio fibrarum muscularium unius lateris, vel hujus aut illius partis in specie, cum frigiditate, motus impotentiâ & sensu hebetiore, orta à compressione vel vulnere nervorum, ac diminuto spirituum animalium influxu.*

Ea explicatur.

Essentia hujus morbi consistit in relaxatione fibrarum muscularium, uti in superioribus vidimus. Relaxantur fibræ musculares unius lateris, vel harum aut illarum partium in specie, quandoquidem Paralysis universalis omnium sub capite partium non datur, vel saltem rarissimè, nisi simul aboleantur facultates principes, uti illud in Apoplexia contingit. Frigiditatem, motus impotentiam, & sensus hebetiores in superioribus explicui. Dixi autem potius motus impotentiam quam ejusdem abolitionem, cum multi dentur paralytici, in quibus motus nequaquam aboletur, sed qui per plateas obambulant. Itaque vel monendum fuerat abolitionis vocem in latâ omnino significatione sumi, vel aliud substituendum erat vocabulum. Aboletur motus in quibusdam, non omnibus, impotentia in omnibus adest, quandoquidem motus est debilior & imperfectior in parte paralytica. Comprimuntur nervi vel circa eorum exortum à medullâ oblongatâ, vel etiam ii qui à medullâ spinali originem ducunt. Prius illud locum habet, quando Paralysis sequitur Apoplexiam, vel vulnera capitis, vel etiam quando causæ comprimentes, in superioribus explicatæ, circa basin cerebri hærent. Signum est, si musculi dimidiæ partis faciei simul afficiantur. Si autem facies nullo modo afficiatur, sed tales partes, quæ à medulla spinali nervos accipiunt, tum spinalis medulla, vel nervi ab eadem orti afficiuntur. Quod si cui mirum videatur, quare alterum tantum latus afficiatur, is cogitet, & medullam oblongatam, & spinalem gaudere parte dextra atque sinistra, à sese mutuò distinctis. Hinc corpora striata sunt gemina, gemini thalami nervo-

vorum opticorum, nates & testes gemini. Spinalem medullam esse geminam è *Blasii anatomia spinalis medullæ* patet. Vide quoque *Raimundi Vieussens Neurographiam universalem* l. II. c. I. in fine, ut & ejusdem Tab. XIX. Potest quoque reddi alia hæc ratio, quod spirituum transitu in uno latere impedito, impetus in altero fiat robustior, adeo ut obstacula minora, si quæ sint, facilè perrumpat. Quod si tumor comprimens in uno tantum latere reperiatur, spirituum influxus etiam in eodem tantum impedietur. Hæc mihi videntur satis esse manifesta, major est difficultas, quomodo accidat Paralysis unius lateris si sanguis copia & lentore minimas arteriolas repleat, & comprimat, uti in superioribus explicatum est, cum constet non tantum arterias vertebrales & carotides sibi mutuò inosculari, sed & carotides utriusque lateris sibi mutuò jungi. Similis est inosculatio vasorum versus medullam spinalem dispersorum. Verum hæc difficultas evanescit, si consideremus ea quæ superius de animi passionibus disputata sunt. Quamvis in animi pathematibus spiritus animales & sanguis simul per universum corpus afficiantur, tamen hæc aut illa pars sola noxam imprimis luit. Ex. gr. Fœmina valdè commota in una tantum mammilla principia tumoris scirrosi vel cancrosi sentire incipit, quamvis arteriæ mammariæ utrimque ex arteriis subclaviis, non longè ab earundem ex arteria aorta exortu, originem ducant. Quid? quod arteriæ non tantum exteriora perrepant, sed & interiorem substantiam medullarem subeant. Illud ab anatomicis observatur, quandò cerebrum lamellatim, qui antiquorum fuit mos, dissecant. Medulla spinalis proportionaliter non minus copiosè irrigatur à sanguine, quam ipsum cerebrum, non tantum exterius, sed etiam interius, uti ego illud aliquando expertus sum: postquam enim per duos circiter dies medullæ spinalis ovillæ partem aquæ immersissem, atque aquam sanguinolentam semel atque iterum removissem, in dissectæ medullæ ambabus lacunis vasorum sanguiferorum vestigia guttis sanguinolentis erant conspicua. Itaque partes medullares ac molles, & externè & internè sanguine copiosè irrigatæ, ab animi passione, & turbulenta sanguinis commotione comprimi facile possunt.

Errores deteguntur.

Malè deſcribitur Paralyſis, quod ſit abolitio motus & ſenſus in partibus unius lateris. Motus & ſenſus non abolentur ſimul, niſi in Apoplexia aut Gangræna & Sphacelo. Verum gangræna aut ſphacelus totum dimidium latus non occupant, homo exſtinguitur, antequam malum eouſque ſerpat. Apoplexia facultates principes ſimul abolet, quod hic locum non habet, ideoque *Jonſtonus* in deſcriptione Paralyſeos rectiſſimè dicit eam contingere abſque rationis læſione. Cum hi affectus ſint à ſe mutuo ſejuncti, oportet ut talis deſcriptio afferatur, quæ alium ab alio diſtinguat. Non credidi neceſſarium deſcriptioni meæ addere Paralyſin rationem non lædere, quandoquidem eo ipſo, quod ſenſum imminutum dixerim, ſatis patet, ſenſum non eſſe omnino ſublatum, adeoque nec facultates principes.

Confirmatur Paralyſin oriri à compreſſione.

Ex antedictis, ut & deſcriptione Paralyſeos, patet me potiſſimam cauſam ſtatuere compreſſionem, non autem obſtructionem nervorum. Multa ſunt quæ hanc ſententiam confirmant. Nempe Paralyſin frequentiſſimè præcedit ſtupor membrorum. Unde autem ſtupor? Stupor oritur à compreſſione nervorum, uti illud patet, ſi quis diutius ulnæ innixus caput fulciat, ſi quis diutius nervos crurales ſedendo comprimat. Stuporem hunc nos noſtro idiomate ſolemus explicare dicendo: *mijn voet ſlaapt*. Quando compreſſio illa ſublata eſt, animadvertimus influxum ſpirituum iterum inſtaurari, & ſentimus dolorem quaſi pungitivum. Eodem modo, quando poſt inſultum Paralyſeos ſenſus & motus incipiunt reſtitui, in parte affectâ dolor iterum ſeſe exerit: quia ſcilicet ſpiritus incipiunt in partes relaxatas influere. Obſervavi etiam aliquando in membro paralytico ſentiri ſubſultum & motum aliquem, in vehementi conatu ex. gr. exonerandi alvum pigram: manifeſto, ut quidem mihi videtur, argumento, compreſſionem adeſſe non autem obſtructionem. Hoc ut intelligatur oportet conſiderare, id quod alibi explicui, inſpirationem vehementem non parum facere ad motum voluntarium tanto majori vi perficiendum. Inſuper conſiderandum eſt, in illâ inſpiratione cerebrum quaſi extendi, unde tum ſequitur, ſpiritus animales validius ab exteriori cerebri circumferentiâ propelli

pelli verſus tubulos medullares, & nervos ipſos. Illud obſervare licet in parturientibus, quæ ſentiunt in capite moleſtam illam, à vehementi conatu, diſtenſionem, unde, ſi benè memini, aliquando ſequitur ſuturarum cranii hiatus. Si itaque ſpiritus, ab inſpiratione validâ & continuatâ, ita propellantur verſus nervos, non eſt mirum, ſpiritus per nervos compreſſos aliquomodo influere, atque ita motum & ſubſultum aliquem in membro paralytico ſentiri, quamvis eo ipſo paralyſis non ſolvatur. Non oriretur illud, ſi cauſa Paralyſeos eſſet obſtructio; etenim ſi ſpirituum influxus obſtructionem ſolveret motum aliquem excitando, paralyſis ipſa poſtmodum deberet eſſe ſublata, quod tamen ita ſeſe non habet. Eſt itaque cauſa paralyſeos frequentiſſima, compreſſio nervorum.

Manifeſtum evadet hoc idem, ſi ea, quæ ad motum voluntarium requiri, ſuperius indicavimus, breviter percurramus. Cerebrum ipſum propriè paralyſin non producit, quia cerebro validius affecto τὸ ἡγεμονικὸν itidem tollitur, jam autem diſtinguendo Paralyſin ab Apoplexiâ patet, Paralyſin infeſtare abſque rationis læſione. Itaque cerebrum tantum concurrit ad facilius producendam Paralyſin, ſi illud ſit flaccidum, uti in ſenibus contingit: flacciditas autem illa debet conſiderari tanquam cauſa adjuvans compreſſionem. Neque enim audiendus *Williſius* de A. B. p. 11. c. 9. ſtatuens, ubi poſt mentis hebetudinem, oblivionem & ſtupiditatem ſequitur Paralyſis tum materiam morbificam ſenſim delabi verſus caudicem medullarem. Flacciditas cerebri non tam ab humorum id irrigantium copia (tum enim potius tumere deberet) quam à ſpirituum dependet penuria. Vel ſi adſit humorum ſeroſorum colluvies, ea, externè ut plurimum, coacervata potius depreſſionem efficeret. Melius paragrapho ſequenti mecum compreſſionem ſtatuit cauſam Paralyſeos. Meæ ſententiæ favet *Platerus* l. 1. c. 2. de motus impotentiâ: quia ſc. ſenſus interni ſimul cum motu ceſſârent, ſi cerebrum pars princeps afficeretur, quod negat hic fieri: itaque cauſam in nervo, vel in inſtrumento quod movet, muſculo inquirendam eſſe ſtatuit. Quod ſi tumor aliquis in cerebro ſit excitatus, tanto manifeſtius evadit, compreſſionem Paralyſeos eſſe cauſam, uti in ſuperioribus vidimus. Medullam

Ulterior confirmatio.

oblon-

oblongatam quod ſpectat, ea non videtur ita à naturali conſtitutione ſubitò poſſe degenerare, ut inde ſequatur Paralyſis; verum à partibus, vel humoribus, vel tumoribus poſſe comprimi, imo aliquando debere comprimi, perquam manifeſtum eſt in vulneribus & concuſſionibus cerebri. Nervi ſoli, ratione ſuæ relaxationis, non poſſunt eſſe cauſæ paralyſeos, uti è *Wepfero* vidimus: obſtrui non poſſe, putem me in ſuperioribus eviciſſe. Cerebri membranæ cauſa Paralyſeos eſſe non poſſunt, quoniam tantum transmittunt aut veſtiunt nervos, niſi intumuerint, intumeſcentia autem, vel tumor aut humor intra duplicaturam collectus, compreſſionis eſt cauſa. Spinalis medullæ eadem eſt ratio cum medulla oblongata. Quærit *Williſius*, quare in paralyſi muſculi faciei motum ſuum retineant? Reſpondeo illum ſupponere, id quod à veritate eſt alienum, ſc. muſculos faciei in Paralyſi non affici; Verum hoc ſecus ſeſe habet, etenim in Hemiplegia faciei muſculos unius lateris relaxari, & os omnino diſtorqueri quis ignorat? Deceptus fuit proculdubio auctoritate eorum, qui Paralyſin à ſpinali medulla deducebant. Nervos autem à medulla oblongata derivatos affici à caſu, nullo modo affecta ſpinali medullâ, in nupero caſu mihi fuit manifeſtum, etenim mulier gravida, è commotione cerebri, non tantum in convulſionem ſ. Epilepſiam incidit, ſed & poſtmodum planè cœca eſt reddita: eo tempore autem quo viſus erat abolitus, prægreſſa ſymptomata erant ſuperata, nulla rationis, aut motus, in ulla corporis parte, erat imminutio, adeo ut in hoc caſu ſoli nervi optici fuerint affecti. cœcitas autem non fuit diuturna, ſed ipſa paucorum dierum ſpatio omninò reſtituta. Quod ad ſpiritus animales attinet, illi nunquam adeo pauci ſunt vel torpidi, ut ab hiſce ſolis paralyſis poſſit produci. In extenuatis, & à diuturno morbo fractis, adeſt quidem ſumma debilitas, verum ea à paralyſi longiſſimè diſtat. *Williſius* l. c. explicaturus quâ ratione ſpiritus, à particulis narcoticis, eorundem velut exſtinctoriis, item qua ratione in ſcorbuticis & cacochymicis, afficiantur, poſtmodum exemplum affert compreſſionem admodum confirmans. Exiſtimat paralyſin hominibus non ſecus ac uredinem arboribus accidere, in quantum venti nonnulli halitibus pluſ-

quam

quam frigidis, ſcilicet ſpiritu nitroſo aut vitriolico præditi, cum virentes teneroſque frutices ſufflant, eos repentè emarceſcere faciunt, in quantum ſtamina tenella, nervorum inſtar, foliis & frutici paſſim intertexta, maligni aëris afflatu ita penitus conſtringuntur, ut ſuccum è trunco, aut radice ſuppeditatum, non amplius ſuſcipiant, ob cujus defectum exareſcunt. Non abſimili ritu, ſtatuit, particulas extraneas, intra ſenſus & motus organa admiſſas, quatenus una poros conſtipant, & ſpiritus animales dejiciunt, vel à motu ſupprimunt, partibus reſpectivis quaſi uredinem inducere. Verum venti uredinem inducentes externè arbores ita afficiunt, ut pori earum inepti evadant, nutritivo transmittendo ſucco, hic autem ſtatuitur, ſuccum intus contentum, ſc. ſpiritus animales malè affectos eſſe, quod multum differt à cauſâ extrinſecus advenienti, & tubulos ſucci tranſmiſſioni ineptos reddente. Itaque non obſcurè allato exemplo non tantum confirmat, à ſpiritibus ſolis non poſſe deduci paralyſin, quantumvis ſtatuantur pauci, aut minus activi, ſed & illuſtrat ea, quæ ego ſuperius dixi, de texturâ vaſorum à paſſionibus diverſimodè modificatâ. Illud verum eſt, ſi ſpiritus ſint pauci, ſi ſint languidi, uti illud in ſenibus contingit, tum facilius poſſe excitari Paralyſin, quandoquidem eorum influxus à minori & debiliori impedimento facilius ſufflaminari poteſt. A ſanguine etiam ſolo non poteſt derivari paralyſis, quoniam ille non evadit ita paucus, vel effœtus, ut illius minor copia, vel activitas poſſit reſolutionem producere; quantumvis enim magnam jacturam ſanguinis quidam ſint paſſi, quantumvis ſint debiles, non tamen poſſunt dici paralytici. Reſtat Paralyſin effici à ſolà reſolutione fibrarum muſcularium, productâ à minori ſpirituum influxu, ob compreſſos præcipuè, tum etiam vulneratos nervos aut malè conformatos, uti in ſuperioribus explicatum eſt.

Explicata Paralyſeos naturâ & cauſis, videntur mihi jam evaneſcere cauſæ illæ, quæ in principio hujus capitis enumeravi, tanquam reddentes hunc affectum explicatu arduum. Non patiemur nos in errorem deduci ob vocum ambiguitatem, nec ſtatuemus Paraplegiam, ab Apoplexiâ diſtinctam, reſoluturam omnes ſub capite partes, quandoquidem ea ſententia ex eo vi- *Cauſæ in ſuperioribus propoſita examinantur*

detur originem sumpsisse, quod statuerent in Hemiplegia tantum affici principium spinalis medullæ, cum pateat causam sæpe in cerebro hærere, & faciei musculos quoque affici. Non statuemus etiam in Paralysi sensum aboleri, motu superstite; quandoquidem tensio ordinaria sufficit ad sensum peragendum, cum major, & quidem sanguinis motum progressivum sufflaminans, causa requiratur, ut motus voluntarius peragi possit. Non statuemus etiam obstructionem nervorum, quandoquidem ea repugnat cerebri constitutioni & muneri, spirituum animalium subtilitati & motui, nec non nervorum exilitati & ductibus minimis: denique, quandoquidem in explicatione recurritur ad ea, quæ potius fibrarum compressionem evincunt. Non etiam nos à veritatis tramite deducent ea, quæ in observationibus anatomicis occurrunt ambigua. Facile enim intelligimus, seri copiam, membranas cerebri exquisiti sensus vellicantem, producere Cephalalgiam aut Hemicraniam, non item Paralysin, nisi simul comprimat nervos, ex uno latere medullæ oblongatæ prodeuntes. Quod ad serum Apoplexiam, ut videtur, producentem, intelligimus causas congeneres posse producere & Paralysin & Apoplexiam, quoniam post Apoplexiam aliquando remanet Paralysis, adeo ut Apoplexia sit quasi Paralysis universalis & gravior: deinde quod Apoplexiæ jungatur membrorum resolutio: quæ autem ulterius in Apoplexiâ animadvertenda sunt peculiari capite explicabo. Non mirabimur etiam serum post mortem, in cadaveribus Lethargicorum, Comatosorum, Caro affectorum, fuisse repertum, cum in omni somno sit aliqualis cerebri compressio, si itaque cum causis in superioribus explicatis jungatur serum, compressionem cerebri aggravans, non est mirum, si pluribus malis ægri succumbant. Ad Catalepsin quod attinet, ea numquam à solo sero producitur, quamvis possit contingere, eos, qui cerebro gaudent humidiore, in Catalepsin incidere. Deinde, ex iis, quæ postmodum de Catalepsi dicenda sunt, evadet manifestum, Catalepseos causas difficulter, è solis cadaveribus posse erui, cum plura, notatu dignissima, circa ejus fiendi modum sint animadvertenda. Quid? quod Auctores, qui Catalepseos naturam explicare sunt conati, non tam seri, quam spiri-

rituum coagulatorum, aut congelatorum faciant mentionem? Spiritus animales autem tales, quis mortalium unquam oculis ſubjecit? Cum inſomnia & incubus in ſomno contingant, ea, quæ ſomnum reddunt profundiorem, etiam ad horum affectuum generationem concurrere non eſt difficile intellectu. Verum cum in his caſibus non tantum unum cerebrum hemiſphærium, ſed utrumque, nec nervi ſoli ita comprimantur, ut relaxatio fibrarum debeat ſequi, ſed tantum ſomnus ſubſequatur laborioſus; clarum eſt, alio modo in Paralyſi, quam in incubo, inſomniis, aut ſomni ſpeciebus morboſis, cerebrum & nervos affici. Quod ad vertiginem ſpectat, ſi thalami nervorum opticorum ita comprimantur, ut ipſi nervi afficiantur, præcipuè ſi hinc ſequatur major arteriarum carotidum repletio, facilè intelligimus, ſerum ita poſſe concurrere ad vertiginem producendam, cum tamen hi homines à paralyſi ſint immunes, etenim Vertigo, uti vidimus, præcipuè nervos opticos afficit, in paralyſi autem afficiuntur nervi ad muſculos, ac eorum fibras diſtributi. In Epilepſiâ & Convulſionibus plura debere conſiderari, quam ſerum cerebrum madefaciens, tum ex hydrocephalo, tum ex iis, quæ inferius reſtant explicanda, evadet manifeſtum. Ut rem in pauca contraham, ex iis quæ de Paralyſi, quæque de ſingulis ſymptomatibus, aut jam explicata ſunt, aut deinceps explicabuntur, facilè nos extricabimus circa ea, quæ primâ fronte ambiguam reddunt Paralyſeos explicationem. Denique nihil nos movebunt ea, quæ Auctores, ex præjudicio, attulerunt ad motum muſcularem explicandum, cum ego exiſtimem me ſufficienter eum aperuiſſe, non tantum ad Paralyſeos naturam, ſed & longè plura phænomena clariſſimè intelligenda & explicanda. Et ſanè non ſemel miratus ſum, homines ingenioſos, judicioſos, & in praxi non indiligenter verſatos, potuiſſe ita facile adoptare, & ad explicationem ſymptomatum adhibere ſuppoſitiones, anilibus fabulis quam veritati longe ſimiliores: ſuccum nerveum vitiatum, exploſiones, particulas ſpaſmodicas &c. cum totum hoc negotium innitatur, non obſcuris falſis, & inconceſſis principiis, ſed ſimplici & rectè perceptæ œconomiæ animali. Tanto autem magis quiſpiam veritatem acu tetigiſſe cenſen-

dus est, quanto veriora, certiora & pauciora ad explicationem claram adhibet. Atqui ita mihi videor veritati convenienter Paralyseos explicâsse naturam & causas, quod si autem occasio mihi detur cadavera Paralyticorum aperiendi, in id incumbam, ut negotium hoc ulterius detegam.

Paralyseos differentiæ.

Accedendum jam est ad Paralyseos differentias. Paralysis aliquando à solis causis internis habet ortum, aliquando Apoplexiam, vel vulnera aut contusiones capitis sequitur. In primâ specie ægroti absque manifestâ προφάσει (nisi forte stupor præcesserit) membrorum sentiunt relaxationem, & in paralysin incidunt. In altero casu mens primum abolita est, postmodum redit & remanet Paralysis. In reliquis casibus, vel vulnera, vel contusiones aut causæ similes præcesserunt. Paralysis quoque vel dimidium latus occupat, & dicitur Hemiplegia, vel has vel illas partes in specie, & est Paralysis particularis. Paralysis talis particularis aliquando oriri potest ab ingenti refrigeratione musculorum, præcipuè si frigiditati jungatur humiditas. In hoc casu nervorum læsio non adest, nisi in quantum musculi ita affici non possunt quin simul afficiantur fibræ nerveæ per musculum dispersæ. Paralysis quoque est vel nativa, vel adscititia, uti vidimus. Paralysis quoque vel est solitaria, vel comitata. In solitariâ mens constat, in comitatâ unum latus primum resolvitur, ingruit febris, cerebrum obnubilatur instar Apoplecticorum, inquieti sunt ægri, unum latus movent, aliud manet resolutum. Paralysis quoque est vel recens, vel inveterata, gravior vel levior. Paralysis quoque potest distingui, quod alia sit ordinaria, alia scorbutica: de hac posteriori specie videndi *Eugalenus*, *Willisius*, *Charletonus*. Faciunt quoque Auctores mentionem Paralyseos è Colica; hanc tamen ad Paralysin non esse referendam rectissimè, meo quidem judicio, evicit *Franciscus de le Boe Sylvius Praxeos med.* l. 1 1.22.

Signa.

Signa Paralyseos è superioribus sunt manifesta, nempe motus imminutus vel sublatus, cum refrigeratione. Animadvertendum est, an musculi sint flaccidi? An pars elevata sit frigidior? An statim suo pondere decidat? An æger, præ resolutione, membrum loco movere possit, nec ne? Vocatus sum ad ægrum aliquando ego, laborantem Rheumatismo. Hunc

Me-

Medicus & Chirurgus, qui ipsi ante meum adventum præfuerant, tanquam Paralyticum tractaverant: cum nulla adesset membrorum flacciditas, sed æger præ dolore (uti in Rheumatismo assolet) membra loco movere non posset. Summopere mirabantur me Rheumatismi facere mentionem, affectûs qui ne fando quidem ad illorum pervenerat aures. Pravæ autem & malè sedulæ diligentiæ exitus erat funestus; eousque enim ægroti vires, à perversa medendi methodo, erant attritæ, tot symptomatibus ipse afflictus, ut non diu supervivere. Non omnis motus impotentia statim habenda est Paralysis, si æger præ dolore membrum loco movere non possit, ille alio infestatur morbo. Signa differentiarum pleraque sunt manifesta: si enim nulla externa causa præcesserit, interna dispositio produxit Paralysin: vulnera, casus, vel contusiones, tum visu, tum è relatu adstantium, innotescunt. Si à sero producatur Paralysis fluctuatio nonnunquam percipitur. An Paralysis sit solitaria, an comitata, ex eo dijudicari potest, quod mens aliquando planè sit obnubilata, & minor gradus Apoplexiæ jungatur Paralysi: dico minorem Apoplexiæ gradum, quandoquidem in graviori membra sunt resoluta, cum hic non raro ægroti sint inquieti & alterum latus moveant. An Paralyseos minor gradus à febre producatur, colligitur, si febris præcesserit, & paralyseos signa in paroxysmo sint manifestiora. Exemplum Paralyseos à Synocha productæ habet *Walsmidius* Casu LXV. An febris jungatur Paralysi è pulsu, inquietudine &c. non difficulter colligitur. An Paralysis sit recens, vel etiam inveterata, nativa vel adscititia? è relatu adstantium, & inspectione ægroti cognoscimus. Scorbuti signa è tractatione de Scorbuto desumuntur.

In genere Paralysis est affectus difficilis. Si sit vehemens, & plura jungantur symptomata, aliquando ægrum brevi pessumdat, aliquando imminuitur, licet non omnino tollatur. Curatio difficilior est, si ægrotos ætate provectos affligat, si sit inveterata, si Apoplexiæ graviori successerit. Quare autem curatu adeo sit difficilis, ex iis, quæ de causis superius disputavi, evadit manifestum. Si nervi ita comprimantur, Prognosis.

 ut

ut ſufficiens influxus ſpirituum ad tenſionem ordinariam peragendam, deſideretur: qua ratione ad voluntatis arbitrium ſpiritus influent, ad inflationem muſculi abſolvendam? Deinde ſi tumores nervos, vel unum latus medullæ oblongatæ, comprimant, qua ratione illos ſuperabis? Si reptatus vaſorum immutatus cauſa ſit compreſſionis nervorum, qua ratione eum emendabis? Si ſerum ſeſe ad baſin uſque cranii inſinuaverit, aut ſi medullæ ſpinalis fiſtulam repleverit, qua ratione id exhauries? Si fumus *Mercurii* lympham copioſius accumulaverit, manifeſtum eſt, niſi tempeſtivè æger à vaporibus tetris arceatur, & venienti occurratur morbo, poſtea ſerò medicinam parari, ubi per longas moras malum invaluit. Paralyſis à diſciſſo nervo non curatur, quandoquidem nervi non coaleſcunt. Non curatur quoque Paralyſis ab ipſa nativitate infeſtans, quandoquidem pravam conformationem corrigere non valet medicus. Paralyſis à commotione cerebri, vel ecchymomate aliquando non admodum difficulter curatur. Si ab externo frigore, vel humiditate hic vel ille muſculus afficiatur, curationis non parva affulget ſpes. Si membrum paralyticum extenuetur ſpes exigua, vel nulla, curationis affulget. Paralyſis luxationem ſubſequens, ſequitur naturam luxationis.

Indicationes Indicationes generales ſunt: compreſſionem & cauſas paralyſeos tollere, cerebrum nervos & muſculos roborare, ſpiritus animales excitare.

Cura. Curatio compreſſionis pro cauſarum varietate multum variat: tumores, qualeſcumque demum ſint, quemadmodum difficulter cognoſcuntur, ita difficillimè curantur. Si enim tumores illi, quibus manum admovere licet, quibus emplaſtra & cataplaſmata imponere poſſumus, non ſemper emolliuntur, aut diſcutiuntur, quanto difficilius ſuperabimus tumores, ad quos medicamenta non, niſi longo facto tramite, perveniunt? Itaque cum hoc ſit potiſſimum naturæ opus, curatio in tribus potiſſimum mihi videtur conſiſtere: in ſublatione cauſarum antecedentium per purgantia prudenter, ita ut æger non multum debilitetur, exhibita: per incidentia & attenuantia, & externa, quæ, caput à frigore muniendo, ad diſcutiendos tu-

tumores non ſunt omnino inutilia, verum de hiſce in præcedentibus eſt actum, & agetur in ſequentibus.

Curatio ſanguinis extravaſati non uno modo inſtituitur, quandoquidem & copia & circumſtantiæ variæ ſunt. Si enim ſanguis extravaſatus habeat adjunctum vulnus, vel cranii, vel capitis, curatio eſt inſtituenda, quemadmodum illud docetur â ſcriptoribus, qui de vulneribus capitis ex profeſſo ſcripſerunt. Non eſt noſtri inſtituti de hac materia agere, tum quod amplus hic ſeſe pandat campus, quem percurrere mihi non eſt propoſitum, tum quod vulnera graviora, gravioribus quoque ſtipentur ſymptomatibus, Apoplexia, Convulſionibus & ſimilibus, de quibus in ſequentibus erit agendum. Si autem concuſſio cerebri abſqui vulnere necdum graviora produxerit ſymptomata, ſed metus ſit, ne illa brevi ſubſequantur, ſtatim ad V. S. eſt recurrendum. Cum enim cerebrum ſit viſcus molle, & vaſis ſanguineis abundè irrigatum, cum membranæ cerebri copioſiſſimis & tenuiſſimis gaudeant arteriolis, facilè effundetur ſanguis, niſi tempeſtivè huic malo obviam eatur V. S. Quamvis plures hujus poſſint produci rationes, libet jam tantum duplicem indigitare uſum. Prior eſt, quod poſt V. S. vaſa ſanguinea non ita validè extendantur à ſanguinis copiâ, uti illud ordinariè in hominibus repletis locum habet. Quanto autem extenſio eſt major, tanto facilius ſanguis effundetur, ſi vis aliqua vaſis ſit illata. Alter eſt, quod ſanguis tanto minori impetu è corde verſus cerebrum iteratis propellatur pulſibus. Quanto autem impetus eſt minor, tanto minus imminet periculum copioſæ effuſionis ſanguinis. Impetum eſſe minorem, patet ex eo, quod in præcedentibus indicavi, nempe ſanguinis vim moli ejus eſſe proportionatam. Mechanicè functiones noſtræ vitales & animales peraguntur, jam autem in mechanicis eſt apertiſſimum, mallei impetum ejus ponderi eſſe proportionatum, eadem fiſtucæ eſt ratio: quanto fiſtuca eſt gravior, quanto magis in ſublime ab operariis trahitur, tanto vehementius in caput tigni decidit, illudque valido impulſu altius adigit. Exempla hæc ſunt admodum appoſita, quandoquidem ſanguinis vis non tantum ab ejus mole dependet,

Sanguinis extravaſati vulnerum &c.

det, sed & pulsu peragitur. Nec obstat, quod malleus & fistuca sint corpora solida; non enim minor vis est liquidorum, uti patet in molendinis ab aquâ circumrotatis, & aliis machinis hydraulicis. Patet illud quoque in fluminibus & lacubus aggeres perrumpentibus, præcipuè si accedat ventus vehementior, & unda undam premat ac pellat. Hæc ideo sunt inculcanda, quandoquidem pernitiosa caligo aliquorum medicorum mentes ita excæcavit, ut non dubitent affirmare sanguinem laudabilem non posse esse nimium, adeoque eum V. S. nunquam esse imminuendum. Hi homines sunt suffeni, & sibi videntur pulchrè sapere, cum prima praxeos elementa ignorent. Ut ad negotium nostrum revertar, sanguis ideo in validâ cerebri concussione est imminuendus, ut ejus moles & impetus, à quibus gravia, in hoc casu, metuenda sunt symptomata, imminuantur. Et quandoquidem hic V. S. est facta mentio, non erit inutile hic conjunctim tradere ea, quæ circa hanc in Paralysi sunt observanda; neque enim semper utile est venam pertundere, uti rectè ab Auctoribus observatum fuit.

De V. S. quando ea conveniat?

Si Paralysis ortum suum debeat repentinæ & vehementi animi perturbationi, illi, in hoc casu, potissimum occurrendum est V. S. quandoquidem opiata, quæ in animi pathematibus diximus esse insignis usus, in hoc casu suspecta sunt. Itaque statim in principio, antequam spiritus tumultuoso suo influxu fibrillarum nervearum contractionem validam, aut vasorum sanguineorum nimiam intumescentiam, atque nervorum compressionem insignem produxerint, larga instituenda est V. S. habitâ ætatis & virium ratione. Eadem illa V. S. habet locum si nimia adsit sanguinis copia, si stupor partis affectæ præcesserit. Quod si sanguinis viscidiras jungatur copiæ, non ideo omittenda est V. S. Posset hoc alicui videri mirum, cum tamen sit verissimum, itaque hujus rei ratio est reddenda. Nempe sanguinis viscidioris nimia moles, valida cordis contractione, iteratis pulsibus, ad caput, cerebrum, membranasque ejusdem delatum, non potest non vim afferre parti, copiosis arteriis ditatæ, visceri molli, membranis exquisiti sensus, & proximè ossibus accumbentibus. Itaque si V. S. nimia quantitas aliquomodo imminuatur, pressio sanguinis à tergo minori per-

perficietur impetu, adeoque progressivus motus facilius, & cum minori vasorum distensione perficietur. Hac ratione præcavetur partis mollis & medullosæ nimia compressio, ac symptomata inde originem ducentia. Quod si febris ingruat, id quod non rarò contingit, tanto magis requiritur V. S. quandoquidem hoc modo præternaturali pressioni & expansioni occurritur. Quid? quod parte sanguinis, ad motum inepti, eductâ, reliqua facilius emendetur? Quinimo in deperditi locum, convenienti diætâ, alius potest generari sanguis magis mobilis, nec spiritibus ita destitutus. Convenit quoque V. S. in commotione cerebri, metu extravasationis, sanguinis ecchymomate, capitis vulneribus, statim in principio instituta, ubi autem sanguis extravasatus in pus mutatus est, sero recurritur ad remedium neglectum, dum vires adhuc essent integræ.

Tandem convenit V. S. in vulneribus nervorum, non ad curationem Paralyseos; vidimus enim nervorum vulnera consolidari non posse, sed ad præcavenda symptomata. Sive enim nervum dissectum consideres, sive etiam vasa sanguifera simul amputata, necessum est secare venam. Nervorum vulnera sequuntur gravia symptomata, febres, convulsiones, itaque ut hisce eatur obviam, ne sanguis nimiâ mole & expansione molestiam creet, is prudenter imminuendus est. Vasa sanguifera simul amputata eandem requirunt V. S. Nimirum ubi vasa sanguifera, imprimis arteriarum majores rami amputata sunt, hæmorrhagia quidem cohibetur à chirurgo prudenti, verum sanguis continuatis ictibus è corde propulsus, non desinit vim inferre vasis, per quæ transitus est denegatus, cumque ibi vi sibi viam facere non possit, distenduntur arteriæ læsæ, & per alios ramusculos minores copiosius propellitur sanguis, nutritioni & vivificationi membri ultra vulnus inserviturus. Itaque necesse est, partes vicinas intumescere, dolorem, inflammationem & febrim excitari. In dolore spiritus animales excitati, copiosius, non tantum versus partem vulneratam, sed & cor confluunt, unde pulsus frequentior redditur, adeoque major pressio sanguinis excitatur. Jam autem manifestum est, si tempestivè sanguis imminuatur,

 tum

tum & tumorem, dolorem, inflammationem, imo & con-
vulſiones poſſe præcaveri, quandoquidem vis, ejus moli re-
ſpondens, imminuta eſt. Deinde ubi moles eſt imminuta,
expanſio itidem erit minor, adeoque omnia ſymptomata mi-
tiora. Hæc eſt vera ratio juvaminis quod V. S. adferret in
ſimilibus caſibus. Paucis mihi videor multa dixiſſe, quæ la-
tius deducere non eſſet difficile; verum dictum ſapienti
ſat eſt.

Nec eſt quod mihi quiſpiam objiciat, paralyſin eſſe mor-
Objectionis ſolutio. bum ingraveſcentis ætatis, adeoque non eſſe ſecandam venam.
Quemadmodum putem me antea dixiſſe, ita jam repetere li-
bet, ſenes facilius V. S. ferre quam vulgo exiſtimatur, dum-
modo ea moderatè inſtituatur. Hujus rei hoc recens habeo
exemplum, quod mihi retulit Vir celeberrimus dum cogita-
tiones meas de Paralyſi in chartam conjicerem. Is octogeſimo
ſecundo circiter ætatis anno incidit in hæmorrhagiam narium
copioſiſſimam, à qua non niſi poſt ſecundam V. S. fuit li-
beratus. Liberatus autem fuit tanto cum ſucceſſu, ut à va-
riis ſenectutis moleſtiis poſt ſecundam V. S. videretur reſtitu-
tus. Non determino, num nimia ſanguinis copia fuerit edu-
cta, num ſatius fuiſſet hæmorrhagiæ alia ratione occurrere,
nec hæmorrhagiæ nec V. ſectionibus affui ego. Summum
quod ſenſerat levamen ipſus mihi retulit ſatis ſanus & vege-
tus, gratulans ſibi tanquam de re benè geſtâ, & lætus ſe in
illo ætatis flexu tantum robore valere: ego auritus narratio-
nis, oculatus deambulationis ſum teſtis. Eodem tempore
mihi narravit Idem, ſibi ante XIV. annos ſimilem caſum acci-
diſſe, atque tum etiam geminata V. S. feliciter evaſiſſe, &
multos annos ſatis vegetum vixiſſe. Quod ſi quis contendat,
poſteriorem V. S. debuiſſe omitti, huic ego nolim repugna-
re, ſed illud mihi videtur clariſſimum, naturam non niſi ni-
mio onere gravatam hæmorrhagiam provocâſſe, adeoque mo-
deratam evacuationem utilem, quod ſi nimiâ copia fuerit ex-
hauſta, affirmandum eſt, ejus uſum eſſe bonum cujus abuſus
eſt malus, ſaltem vita tot annos incolumis traducta evincit
& hæmorrhagiam & V.S. ſeptuageſimo octavo ætatis anno inſti-
tuta fuiſſe utiles. Inſigne etiam exemplum habet *Valleriola*, is
meam

meam confirmans sententiam l. iv. obs. 4. cujus hæc est inscriptio: *Andræas Gondandus sacrificus, septuagenarius senex optimi habitus magnarumque virium, ex Paralysi dextræ partis solâ sanguinis missione, & purgatione, lenique ad cervicem unctione integrè sanatus.*

Vidimus quando V. S. utiliter institui possit & debeat, videndum jam quando à V. S. sit abstinendum? Non est instituenda V. S. in decrepitis, & quorum vires exhaustæ sunt, ne sanguinis imminutio majorem languorem, ac spiritus animales pauciores & debiliores efficiat. Non est instituenda, in tumoribus strumosis & aquosis, quandoquidem hoc pacto tumores imminui nullo modo possunt. Hæc tamen ita intellecta velim, tumores hosce qua tumores nullam indicare V. S. non rarò tamen contingit alias circumstantias concurrere quæ V. S. suadeant, in quo casu diligenter perpendendum est, quæ indicationes sint potiores. Non convenit V. S. ubi seri nimia copia produxit Paralysin. Serum humor est frigidus & aqueus, cujus copia non rarò producitur, ubi calor nativus multum imminutus est. Itaque si sanguinem imminuas, imminues quoque calorem ad discutiendos humores utilem. Ubi sanguis extravasatus in pus immutatus est, serius ad V. S. recurritur, cum V. S. pus educere, aut in sanguinem laudabilem iterum convertere non possit. Non convenit quoque V. S. ubi à fumo hydrargyri lymphatica vasa nimium repleta sunt. Hæc Paralyseos species, uti in sequentibus videbimus, potissimum requirit sudorifera: sudorifera, nisi à calore sanguinis, in actum deduci non possunt, itaque danda est opera, ne is intempestivè educatur. Ossa luxata, aut nervos comprimentia non indicant V. S. quandoquidem ea hujus ope restitui non possint: potest tamen ea utiliter in usum vocari in hominibus plethoricis, ubi à dolore aut contusione graviora expectanda sunt symptomata. Non convenit etiam V. S. in malâ conformatione partium nativâ, uti illud per se patet.

Quando à V. S. abstinendum.

Si post casum, aut cerebri commotionem, sequatur Paralysis cum symptomatibus mitioribus, & suspicio sit ecchymomatis, illius curationi incumbendum. Fit illud duplici ratione, vel præcavendo novum humorum affluxum, uti medici

Cura ecchymomatis.

dici loqui solent, vel discutiendo sanguinem leviter extravasatum. Priori indicationi satisfaciemus, si ægroto imperetur quies, si validæ corporis concussiones vitentur. Itaque vitanda sunt vomitoria, ac omnia medicamenta validam corporis commotionem producentia. Si sponte ad vomitum sit proclivis æger, ille compescendus est, vel *Sale Absinthii*, vel *Diascordio incompleto*, vel *crusta panis secalitii*, aut etiam *emplastro stomachico* ventriculo imposito: denique iis medicamentis, quæ ad vomitum compescendum esse efficacia in hoc casu usus docuit. Sanguis extravasatus discutitur medicamentis sanguinem fluidum reddentibus temperatioribus, ut & sudoriferis. Conveniunt *Bezoardicum minerale*, *Antimonium diaphoreticum*, *Unicornu ppt. Sal. Card. bened. Absinth. Liquor. Tartar. Nitri fix. Aqua Prophylactica* &c. quorum amplam segetem vide apud *Matthiam Tilingium* in Prodromo Praxeos chymiatricæ.

Ex hisce variæ possunt concinnari formulæ, ex. gr. pulveres sequentes

℞. *Bezoard. mineral.*
Lapid. Prunell.
Bezoar. occid. *aa* ʒß.
Croci Britannic. ℈ß.
F. Pulvis. dividendus in v. doses.

Medicamenta externa.

Dum medicamenta interna usurpantur, possunt etiam externa, si necessitas id flagitet, in usum vocari. Animalia viva dissecta, fomenta, cucuphæ hic sunt utiles, de quibus in superioribus est actum.

Causa nimiæ repletionis vasorum.

Si nimia vasorum repletio producat Paralysin, danda est opera ut illa tollatur. Si animi affectus huic dederit occasionem, illi occurrendum est eo modo, qui non semel in superioribus fuit explicatus. Quod si humores viscidi, repletioni vasorum nimiæ dederint ansam, illi imprimis educendi, & sanguini suus restituendus est vigor. *Hartmannus* in Paralysi curanda eadem commendat, quæ in Apoplexiâ habent locum, & primo quidem loco *Mercurium vitæ*. Verum cum *Mercurius vitæ* facile possit evadere *Mercurius mortis*, malim, ad vomitum excitandum, uti medicamentis blandius & tutius operationem exercentibus, imprimis *Tartaro Emetico*, *Aqua benedicta*

nedicta Rulandi &c. Vid. *Willis.* Pharm. rational. Sect. 11. c. 2. *Fr. Dekkers* Exercit. Med. pract. c. 4. *Matthiam Tillingium* in Prodromo. *Joh. Helfricum Junkens* in Medico præsenti seculo accomodato p. 11. sect. 1. c. 3. *Rolfincius* tale præscribit:

℞. *Mercur. vitæ gr.* viij.
Mass. Pilul. Cochiar. q. s. ad incorporationem.
Cum *Syr. de Ira Arthetica.*
M. F. Pilulæ no. v.

Verum cum ego non amem *Mercurium vitæ* præferrem ejusdem Syrupum:

℞. *Vitri Antimon. gr.* v.
Infunde in *vini optimi* ℥ij. per noctem.
Post filtretur & misceatur.
Cum *Sacchar. albiss.* ℥iij.
Solut in *Aq. Rosar.* ℥ii.
Cinnamom. optimi. ℥ß.
M. F. Syrupus.

Hujusmodi *Sennertus*:

℞. *Rhaphani in taleolas incisi* ℥iß.
Sem. Raphan. Atriplic.
Rad. Asari aa ʒij.
Coq. in *hydromelite Colat.* ℥iv.
vel v. vel vj. Add.
Oxymellis s. ℥ß.
M.

Quemadmodum autem in superioribus demonstravi, præparantia non necessario præmitti purgantibus, ita idem illud & ratione emeticorum, & ratione purgantium in Paralysi locum habet. Supponamus enim quempiam repentè Paralysi corripi, ventriculum & intestina habere humorum saburrâ onusta, an præparabimus hos humores? h. e. An reddemus hos humores fluidos? An expectabimus dum malè concocti venas subeant lacteas, sanguini glutinosiori materiam subministraturos? Atqui vidimus hunc sanguinem esse causam nimiæ vasorum repletionis. Cur sanguinem reddemus humoribus crudis fœtum, postea magno molimine depurandum? An ven- **Præparantia non præmittenda purgantibus.**

ventriculus, in hoc casu, dissolutioni, fermentationi, concoctioni est aptus? Num vitia primæ concoctionis corriguntur in secunda? Itaque nullâ interposita mora ventriculus & intestina expurganda sunt, id quod in plerisque casibus repentinis quoque locum habet. Quid? quod in provectioris ætatis hominibus, in constitutione scorbuticâ, ordinarie saliva sit glutinosior, quæ hac ratione optimè educitur? Habeo consentientem *Sennertum*, cujus hæc sunt verba: *Itaque alvus & prima via primo expurganda, ne attenuantium & præparantium usu humores crudi in ventriculo & primis viis hærentes, majori copia ad penitiora corporis & nervos deducantur.* Ut & *Saxoniam* l. 1. c. 10. *In Paralysi recenti & facta post Apoplexiam, post Colicam, post alium affectum similem, statim ab initio conveniunt purgantia validissima: quia ex usu purgantis sperandum est, materiam posse quamprimum ex loco affecto purgari: quod ego sum edoctus fieri posse.* *Riverius*, cæteris purgantibus parum proficientibus, non inutile esse existimat ad vomitoria chymica transcendere. Verum si in progressu morbi, viribus imminutis, possunt in usum vocari vomitoria, quid ni statim in initio exhibeantur, ubi vires omninò constant? Ita non semel contingit medicos prudentes habitos, revera autem timidos & cunctatores, eousque optimorum remediorum usum aspernari, donec ea in usum vocandi occasio amittatur. Rectius sentit *Dolæus*: *In quacunque Paralysi VOMITORIA magni facimus; ventriculus enim Paralyticorum scatet sæpius pituitosis & viscidis humoribus: in hunc finem exhibere solemus vini nostri emetici* ℥ß. vel *Tartar. emet.* à *gr.* j. *ad gr.* v. *Si quis malit* Rad. *Asari* à ʒß. ad ʒj. vel *Vitriol. album per nos licebit.* &c. Confirmatur hæc sententia à *Rulando Curat. Empyr.* Cent. 1. cur. 3. Qui, cum virum nobilem *D. Leonhardum à Kennata in Rosenberg* Paralysi diversarum partium correptum, observâsset laborare è nimiâ repletione, hanc brevem curandi rationem instituit.

Primo die exhibuit: *Aquæ Benedictæ* ℥j. cui *aquæ fontanæ* tantundem admiscuit, quæ multa biliosa & pituitosa expulit. Tertio die *Extracti Esulæ* ʒj. *Juris Pisorum* ℥iv. unde iterum rectè purgatus fuit. Postmodum adhuc quædam in usum vocavit, & refert ægrum cœpisse rectè valere, & omnium partium motus integros recipere.

Nec

Nec nos movere debet *Hippocratis* auctoritas jubentis concocta medicamenta purgante educere non cruda. Ille enim Aphorismus rectissimè, meo quidem judicio, explicatur, de signis concoctionis in urinâ apparentibus. Nempe circa statum morbi acuti urina aliquando est valdè inflammata, aut turbida, sedimenti albi, levis, æqualis, quod habetur signum concoctionis, sicut medici loquuntur, nulla adsunt vestigia, in hoc casu sæpissimè utilissimum est quiescere, & exspectare vel crisim, vel morbi declinationem, vel enema vocare in usum. Casus autem, de quo nunc agimus, planè est alius: non in vigore, sed principio morbi versatur æger, habet ventriculum onustum, metus est ne hinc morbus incrementum capiat, nisi tempestivè exoneretur æger, huic non est contrarius *Hippocrates*, saltem non contraria ratio & veritas. Hæc tamen ita intellecta velim, ut diligenter perpendat medicus, an hæc valida concussio, in hoc *Petro*, in isto *Paulo* debeat in usum vocari? Non sunt medicamenta generosiora promiscuè propinanda, sed videndum, num sint quæ nos à talibus cogant abstinere. Potest aliquid in genere consideratum esse utile remedium, quandoquidem pluribus satisfacit indicationibus, quod tamen in praxi non semper habet locum, quandoquidem non homines in genere, sed individua tractat medicus.

Quod si emeticis non sit locus, aut si iis jam usurpatis blandius agere sit animus, ad viscidos humores educendos utimur purgantibus. Eligimus in hoc casu Plegmagoga dicta medicamenta, non quod pituitam solam educant, sed quod inter ea sint amaricantia & potentiora medicamenta, quæ abstergendi vi pollent, & simul humores viscidos aliquomodo emendandi ex. gr. Purgantibus Phlegmagogis.

℞. *Elect. Phlegmagog. Sylv.* ℥iij.
Sal. Absinth. gr. vj.
Aq. Betonic. q. s.
M. F. Haustus.

Non malè conveniet quoque hæc, aut similis formula:

℞. *Mass. Pilul. Cochiar.* ʒß.
Trochisc. Alhand.
Diagrid. aa ℈ß.

Sal.

Sal. Tartar. gr. vj.
Cum *Tinctur. Castor.*
F. Pilulæ no. xv.
Pro iij. dosibus.

Non malè quoque audiunt in hoc casu *Mercurialia*, *Mercurius dulcis*, *Præcipitatus albus*, *Turbith. minerale*.

℞. *Extract. Cathol.*
Mercur. dulc. aa ℈ß.
Resin. Jalapp. gr. ij.
Cum *Tinctur. Croci.*
F. Pilulæ. no. iv.

Rolfincius has præscripsit pilulas :

℞. *Mass. Pilul. Cochiar. maj.* ʒß.
de Agaric. ℈j.
Trochisc. Alhand.
Diagrid.
Castor. aa gr. iij.
Cum *Aq. Salv. q. s.*
F. Pilulæ no. xxi.

Adjungit & hunc pulverem facilis compositionis :

℞. *Spec. Diacarthami.* ʒß.
Resin. Scammon. gr. vj.
in chartâ.

hujus ℈j. ante noctem horâ somni exhibet.

Riverius ad hunc modum pilulas componit.

℞. *Mass. Pilul. fœtid. maj.*
Cochiar. min. aa ʒß.
Trochisc. Alhand. gr. iv.

Capiat semel in Septimanâ. Concinnior est descriptio *Pauli Barbette.*

℞. *Resin. Jalapp.*
Agaric.
Aloes lucid. aa gr. iv.
Sal. Succin. gr. vj.
Ol. Menth. gr. ij.
M. S. F. Pil. Num. v. deaurentur.

quarum optimus fuit successus.

Dolæus commendat infuſa & vina medicata, quæ ſenſim alterando & purgando officium peragunt. v. gr.

℞. *Herb. Chamæpyt.*
Chamædr. Salv.
Flor. Pœon. Stæchad. Arab.
Anthos. aa m. ß.
Rad. Valerian. Poeon.
Doronic. Caryophyll.
Hermodact.
Mechoacann. alb. aa ʒjß.
Fol. ſerm. ſ. ſt. ℥jß.
Rhabarb. flav. ʒiij.
Galang. Cinnam. ſpicæ Ind. aa ʒß.
Conciſa & contuſa D. ad ſindonem pro menſura vini.

Sanguini ſuus reſtituitur vigor, per medicamenta incidentia & attenuantia, quæ dicuntur cephalica. Horum in ſuperioribus quoque facta eſt mentio. Tale decoctum præſcripſit *Sennertus*, Sanguinis robur instaurantia.

℞. *Rad. Ireos, Helenii, Acori veri aa* ℥ß.
Salviæ, Betonic. Hyſſop. Roriſmarin. aa m. j.
Flor. Stæchad. Arab. m. ß.
Sem. Aniſ. Fœnic. aa ʒij.
Coq. in *aquæ puræ* ℔iij. ad remanentiam ℔ij. colatura dulcoretur *Sacchar.* vel *Melle Roſat.* vel *Anthoſ.* ℔ß. & aromatiſ. pulv. *Cinnamom.* ʒj. *Zinzib. alb.*
Nucis Muſcat. aa ʒß.
Cubebar. ℈j.
atque per manicam *Hippocratis* trajiciatur.

Electuarium hoc paralyticum extat in Pharmacopœa *Bateana.*

℞. *Sem. Sinap. ſiccat. & pulv.*
Naſturt. aa ℥ij.
Syr. de Succo Salviæ ℔j. vel *q. ſ.*
F. Electuarium.
D. ℥ß. quotidie per menſes aliquot.

Non eſt in ſolis medicamentis, *Galenicis* dictis ſubſiſtendum. in uſum vocanda *Chymica* tanquam efficaciora. Talia ſunt *Spir. & Sal. Volat. Fuligin. C. C. Succini Armonicalis, Sanguinis. Tin-* Medicamentorum chymicorum uſus.

Tt *ctura*

ctura sulphur. terebinth. Tinct. Antimon. Succini, Castor. Elix. prop. Quandoquidem quidam *Galenicorum* placita etiamnum ita exosculantur, ut medicamentis optimis & maximè efficacibus non dubitent sese opponere, cum summo ægrotorum damno, juvat proponere exemplum medici nimium timidi, ut sui expressam intuentes imaginem, umbram suam metuere desinant. Quem proponam est *Johannes Heurnius*, cujus verba c. 25. de Paralysi adscribere operæ est pretium. *Quidam audacter præscribunt Olei Sulphuris per campanam extracti guttulam, cum Malvatico vino.* Insignem vero audaciam, integram *Olei Sulphuris* guttulam cum *Vino Malvatico* præscribere!

Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat!

Quemadmodum *Heurnius* metuit *Oleum Sulphuris*, ita quosdam territat *Antimonium*. Ut medicamentum egregium atro notetur carbone, sufficit, si dicatur ex *Antimonio* fuisse præparatum; cum tamen illud crudum assumi, atque in aqua decoqui largâ satis quantitate possit. Ex *Antimonio* & mitia & efficacia præparantur medicamenta, blandius & certius operationem suam perficientia, quam è vegetabilibus præparata. Rectè itaque *Tulpius* concludit: *optime agi cum medicamentis chymicis, ubi in gravi morbo, dantur à providâ manu universalibus jam ritè administratis.* L. IV. obs. 2. Itaque hisce valere jussis nos medicamenta chymica in Paralysi non dubitabimus in usum vocare. Talem Spiritum commendat *Walsmidius*:

℞. *Spir. Cephalic.*
C. C. compos.
Sal. Volat. oleos. Cephalic. aa ℈ij.
M. Dosis 15 guttæ.

℞. *Tinctur. Antiscorbut. Bontikoei* ℥iij.

Laudatur quoque *Extractum diatessaron* cujus descriptio exstat in *Pharmacopœa Bateana*. *Theodorus Majerne* habet *Spiritum antiparalyticum* non contemnendum, cujus descriptio apud Auctorem videri potest. *Dolæus* hanc præscribit formulam:

℞. *Aq. Cerasor. nigr. Salviæ* aa ℥ij.
Epileptic. Lang. ʒvj.

Extract. Chamæpit. Chamadr. Castor. aa ʒß.
Syr. Stæchad. ℥j.
M.

Habet *Mynsichtus Liquorem diaphoreticum*, quem dicit quotidie exhibitum in Paralysi miraculosè juvare, cujus hæc est descriptio:

℞. *Aq. Theriacal. nost.* ℥vj.
Sp. Tartar. aliquoties recti ℥iij.
Terræ sigillat. per se destill. & rectif.
Lign. Guajac. rectif. aa ℥j.
Liq. Acidi Perlar. orient.
Acidi Corall. rubr. aa ℥ß.
Misc. & in vitro clauso per tres aut quatuor septimanas probe digerantur, postea liquor filtratus ad usum servetur.
Dosis a ʒß. ad ʒj. & ʒij. in aq. *Corn. Cervini* noctu. vel *Card. bened.* vel aliâ morbum propriè respiciente.

Transeundum jam esset ad alia diaphoretica, ut & medicamenta externa; verum cum de iis in sequentibus futurus est dicendi locus, transeundem est ad Paralysin à sero ortum ducente. Diaphoretica.

Ubi serum causa est morbi, ejus evacuationi omnino incumbendum per medicamenta purgantia, diaphoretica, diuretica. Cura seri redundantis.

Cum de purgantibus in præcedentibus sit actum, sufficiet observâsse in hoc casu medicamenta *Mercurialia*, & *Gummi Gotte* eximii esse usus. Ex. gr. Purgantibus.

℞. *Electuar. Panchymagog. nostr.* ʒijß.
Tartar. Vitriolat. non acid.
Gumm. Gotte aa gr. iij.
Aq. Ruth. q. s.
M. F. Haustus.

℞. *Mass. Pilul. Mastichin.*
Mercur. dulc. aa ℈ß.
Trochisc. Alhand. gr. ij.
Ol. granor. Junip. g. ij.
F. Pilulæ. no. v.

Cum de diaphoreticis in sequentibus sit agendum, transeamus ad diuretica, quæ talia eligantur, ut non tantum urinam ciendi Diaphoreticis & diureticis.

ciendi facultate polleant, sed & Paralysin respiciant. Talia sunt *Alcalia volatilia*, *Salia volatilia urinosa. Sal. Volat. C. C. Succin. Sal. & Spir. Fuligin. Essentia Castorei*, *Sal. Volat. Oleosum*, *Balsamus nervinum Scefferi.* Utilia quoque sunt è Viperis præparata medicamenta, quarum volatili sale *Wizelius* dicitur *Principem Nassoviæ Paralyticum* feliciter restituisse.

Dolæus hunc præscribit haustulum:

℞. *Aq. Card. bened.*
Chamædr. aa ℥j.
Sp. C. C. Succinat. gr. xij.
Essent. Antimon. Tartarisat. gr. xv.
Syr. de Scord. q. s. ad gratam dulcedinem.
M. Potiuncula pro una vice.

Walsmidius vero hunc habet haustulum qui diaphoreticus est,

℞. *Theriac. recent.* ʒj. *Solve* cum
Aq. Fl. Sambuci. Add.
Sp. Tartar. compos.
Tinctur. Antimon. è scoriis aa ʒj.
M. pro dosi.

Fredericus Dekkers hanc potiunculam cum successu usurpavit:

℞. *Aq. Card. bende.* ℥ij.
Theriacal. s. ʒvj.
Antiparalyt. Amstel. ʒiij.
Sp. Sal. Armon. g. xvj.
M. pro Haustu.

Apud *Dolæum* adhuc sequentes inveniuntur formulæ.

℞. *Oss. Microcosm. ppt.* ʒiij.
Spin. Viperar. ʒj.
Cinnab. Antimon. ℈iv.
M. F. Pulvis. Dosis. ℈j.

vel ℞. *Tinctur. Bezoard.*
Ess. Lign. compos. aa ʒj.
Spir. nostri cephalic. ℈j.
M.

Cura puris — Si pus fuerit collectum circa Medullam oblongatam, & nervos, nullum autem vulnus in cranio, nec circumstantiæ quæ trepanum exigunt, naturæ opus erit illud superare. Memorantur

rantur exempla eorum qui pus thorace contentum per urinam excreverint; verum tales casus sunt oppido rari: qui pus circa basin cerebri & medullam oblongatam hærens excreverit ego vidi neminem. Potest tamen, meo quidem judicio, in tali casu exhiberi *Balsamus Sulphuris juniperinus*, *anisatus* aut similis, nisi æstus aut febris superveniens ad magis temperata, lenientia, & traumatica cogat. Quamvis enim ego *Balsamum Sulphuris* magni faciam, nolim tamen eum promiscuè in usum vocari, cum illius præposterum usum non parvas ægrotis creâsse molestias experientia me docuerit.

Videamus jam quæ cura adhibenda sit illis, qui è *Mercurii*, aut simili vapore in Paralysin inciderunt? Hujus non est difficilis investigatio cogitanti, qua ratione tractandi sint ægri, qui illitione aut suffimigio *Mercurii* ad salivationem excitantur. Imprimis vitandum est omnis generis frigus, æger continendus in hypocausto calido, & sudor provocandus. Sudor provocatur in hoc casu optimè *Decocto Lignorum*. Itaque præmissa primarum viarum evacuatione, vel Clystere, vel medicamento per os exhibito, præscribatur hoc vel simile decoctum: Cura Paralyseos à Mercurii vapore.

℞. *Rad. Sals. parill.* ℥iij.
Rasur. Lign. Guajac. ℥vj.
Liquerit. ʒij.
Lign. Sassaphras ℥iß.

Infundantur per XXIV. horas in *aq. puræ* ℔x. Deinde decoq. in vase accuratè clauso ad tertiæ partis consumptionem, vel ad medias, colatura detur pro Decocto.

Sequens formula est *Theodori Majerne*:

℞. *Sals. parill. alb. & medullosæ.* ℥iv.
Rad. Chinæ.
Rasur. Lign. Rorismar. &
Juniperi nostr. aa ℥ij.
Sem. Poeon. maris. ℥j.
Flor. Betonic. & Anthos. aa p. iij.
Herb. Paralys. p. viij.

Infunde per horas 4. super cineribus calidis in lbviij. *Aquæ fontanæ* purissimæ, mox F. Decoctio ad me-

 die-

dietatis consumptionem. Add. sub finem coctionis. *Coriandr.* ʒj. Colatura dividatur in octo partes æquales reponendas in totidem ampullis probe obturatis, pro totidem dosibus, sumendis manè horâ vj. provocando sudorem in lecto, superpositis stragulis & circumpositis lagenis, aquâ calidâ plenis. Hoc f. per octiduum.

Quod si quis medicamenta minus composita malit, ut tanto certius de eorum efficacia judicium ferat, potest è *Rasura Lign. Guajac.* solâ, cum *Rad. Liqueritiæ* fieri decoctum satis efficax, sudorum procurationi & Paralyseos sublationi accommodatum. Ipso quippe gustu discernere licet, partes gutturis interiores post usum talis decocti adhuc vellicari, à particulis valdè tenuibus & acribus, decoctionis ope aquæ communicatis.

Distuli hucusque verba facere de *Decoctis lignorum*, quandoquidem ea in hoc casu imprimis videbantur requiri, conveniunt tamen quoque in plerisque aliis speciebus, quemadmodum eorum in superioribus quoque feci mentionem. Itaque ubi cerebrum est flaccidum, ubi cerebrum sero est madidum, ubi sanguinis visciditas emendanda, ubi tumores œdematosi adsunt, ubi suspicio est puris, in omnibus hisce casibus in usum vocari possunt decocta lignorum. Ad sudoris uberiorem promotionem utiliter potest quoque in usum vocari Laconicum. Non tantum enim in usum vocanda sunt medicamenta interna, sed & externa internorum effectum promoventia. Vide ea quæ *Hartmannus* in Praxi *Chymiatrica* habet de Contractura è *Mercurii* inunctionibus. Commendat *Pulverinus Balneorum Puteolorum* & *Ænariarum*, & illius, quod dicitur *subveni homini*, usum, in quorum defectu artificialibus uti possumus. Sed de his inter medicamenta externa faciemus mentionem.

Fred. Dekkers diaphoreticis jungit purgantia hac ratione:

℞. *Rad. Lign. Guajac.* ℥iij.
Juniperin. ℥ij.
Cort. Guajac. ℥j.
Aq. Fontan. ℔vij. Coq. s. a. per horas tres, tum Add.
Baccar. junip. ℥j.
Rad. Angelic. ℥ß.

Fol.

Fol. Majoran. nob. Salv. Rorismar. aa m. ß.
Senn. m. ℥j.
Hermodact. ʒvj.

Coq. ulterius vasis optimè clausis ad colat. ℔iv. quibus adde.

Aq. Antiparalyt.
Theriacal. s. aa ℥jß.
Sp. Sal. Armon. ʒj.
M. Dentur in cantharo lapideo optime clauso.

Quomodo ossium luxatio & subluxatio tolli possit & debeat è scriptoribus chirurgicis est petendum. Cura Ossium luxationis.

Idem dictum sit de curâ vulnerum. Vulnerum.

Mala conformatio ab ipso ortu curationem fere respuit: si quid sit agendum, id fiet frictionibus asperioribus, doloris excitatione, linimentis & similibus, de quibus in sequentibus dicendum erit. Malæ conformationis.

Absolvimus primam indicationem, quæ nervorum compressionem & causas Paralyseos respiciebat, accedendum ad secundam, quæ præcipit ut roboremus cerebrum, nervos, musculos. Roboratio cerebri & nervorum præter ea, quæ jam in superioribus explicata sunt, respicit cerebrum flaccidum, qualis in senibus locum habet. Difficulter id roboratur, quandoquidem partibus solidis impressa labes non facilè superatur. Danda tamen opera ut otium, ignavia, & omnes causæ spiritus dissipantes, tollantur, atque contrariæ in usum vocentur. Deinde, ut exhibeantur ea, quæ huic negotio creduntur appropiata. Nolim hisce multum immorari, quandoquidem horum catalogus apud plures auctores exstat, sive eum ipsi concinnarint, sive ab aliis tradita repetierint. Non inutile est tale conditum: Cerebrum & nervos roborantia.

℞. *Conserv. Cochlear.*
Anthos.
Absinth. aa ℥ß.
Rad. Zinzib. in Ind. cond. ʒij.
Galang. min. ℈j.
Cort. Winteran. ℈ß.

Cum

Cum *Syr. Stæchad.*

F. Conditum. usus ejus est, assumere bis vel ter quotidie ad quantitatem nucis muscatæ.

Addunt nonnumquam auctores *Mithridatium*, quod etiam non incommodè, vel solum, vel aliis admixtum usurpari potest, præcipuè ubi ægri sunt somni parci. Commendatur etiam *cerebrum leporis*. *Cerebrum* quoque roborant Cucuphæ externè capiti applicatæ, nec non suffimigia varia.

Evacuationes particulares dictæ.

Habent hic quoque locum evacuationes cerebri particulares per *Errhina*, *Masticatoria*, de quibus satis copiosè scripserunt auctores practici. Ego commendarem masticationem *Cubebarum*. Imprimis hæc juvant, ubi suspicio est seri copiosius in cerebro cumulati.

Nervos & musculos roborantia.

Possunt considerari nervi vel tanquam cerebri appendices, & tum roborantur, ubi cerebro prospicitur, vel tanquam musculis inserti, & tum roborantur quando musculis prospicitur per externa. Fit hoc per medicamenta topica dicta: frictiones, cucurbitulas, rubificantia. Inungenda sunt membra relaxata oleosis & spirituosis. Metuunt quidam practici usum linimentorum, existimantes ab oleosis & pinguibus cutis poros nimium obstrui. Mihi videtur metus hic omnino vanus. Quam noxam poterunt afferre aromatica & oleosa cuti externè illita? Nonne hic adest relaxatio, & resolutio fibrarum muscularium? Nonne tali ratione spirituum copiosior influxus allicitur, ad tensionem debitè absolvendam? Non conjunguntur huic affectui ea, quæ inunctionem vetare possunt. Non adest affluxus humorum, suâ copiâ musculos flaccidos reddens, sed flacciditas oritur à defectu influxus spirituum animalium. Non adest inflammatio, non erysipelas: saltem non sequuntur hæc symptomata è natura Paralyseos: quod si autem ab alia causa hæc jungantur Paralysi, tum horum habenda est ratio. In hoc casu non omittuntur ideo oleosa, quod ea Paralysi non conveniant, sed quod superveniant symptomata eorum usum prohibentia. Quid? quod *Oleum Caphuræ* è radicibus *Cinnamomi arboris* elicitum, sit medicamentum potentissimum, si statim in principio calidè inungatur parti affectæ? Ego itaque contendo unguenta, olea, & oleosa magis convenire, quam sola spi-

ſpirituoſa, quia ſcilicet non ita facilè diſſipantur, & magis permanentem calorem muſculis & membris Paralyticis impertiunt. Non repugno tamen, ſi oleoſis miſceantur ſpirituoſa, & ſalia volatilia. ex. gr.

℞. *Unguent. Martiat.*
Ol. Lumbricor. Laurin.
Philoſophorum aa ℥ij.
Caphuræ è radicibus Cinnamomi arboris elicitæ.
Tinctur. Caſtor. aa ʒß.
Sp. Matrical. ʒj.
Sal. Armon. ʒß.
M.

Inungatur pars affecta unguento hoc calidè, ante ignem è ligno Quercino, vel Juniperino excitatum. Inungatur non tantum membrum, & muſculi affecti, ſed & principium ſpinalis medullæ, aut illa ejus pars, è qua nervi ad locum affectum diſtribuuntur. *Pulverinus* in vitio ſpinalis medullæ commendat Aquam *della bella*, vel *dello piſciculo* à vulgaribus nuncupatam, quibus ſubſtituit aquam ardentem aromatizatam.

Inter remedia externa non infimum locum obtinent Thermæ tum naturales, tum artificiales. Artificiales præparantur ad libitum è decocto variarum herbarum cephalicarum. Inter naturales, præter ſuperius laudatas, eligendæ eæ, in quibus Sulphur & Nitrum abundat. Laudantur *Teplizenſes* in *Bohemia*, *Badenſes* & *Ferinæ*. Vid. *Conradum Geſnerum de Thermis Germanicis*.

Non potui præcedentes indicationes abſolvere, quin medicamentorum, ſpiritus excitantium, aliquoties fuerit facienda mentio. Spiritus excitant *Cephalica* dicta, ſpiritus excitant *Salia volatilia*, ſpiritus excitant *decocta lignorum* quandoquidem ſanguinem diluunt, atque ejus viſciditatem emendant. Præter ea quæ in ſuperioribus laudata ſunt, poſſunt in hiſce regionibus in uſum vocari *Antiſcorbutica*, quandoquidem nullus morbus longus eſt, quin aliquid ſcorbutici habeat admixtum. Itaque *Aqua Antiſcorbutica*, *Spir. Cochleariæ* ritè deſtillatus, & ſimilia ſpirituoſa magni ſunt uſus. Poſſet etiam ad imitationem *Sal. Volatilis oleoſi* præparari *Sal. Volatile Antiſcorbuticum* di-

Spiritus animales excitantia.

dicendum. Prosunt in hoc casu etiam *Flores Benzoini*, *Oleum Sassafras*, *Succini*, *Cort. Arant. granor. juniperi*, *macis stillatium.* Ad spiritus animales excitandos quoque facit, si herbæ cephalicæ, in pulverem redactæ, naribus attrahantur, quamvis nulla sequatur sternutatio. Ex gr.

℞. *Fol. Thymi,*
Rorismarini,
Salviæ,
Majoran. nob.
Flor. Lilior. convall. aa ℥ß.
F. Pulvis.

Commendat *Pulverinus* cauterium actuale in parte affectâ excitatum, tum ad partem roborandam, tum quia calore & dolore spirituum aliqualis concursus speratur.

Non est necesse specialibus differentiis immorari, cum tractationis ordo postulârit in specie de causis agere: quæ reliquas differentias spectant non difficulter ex antedictis eliciuntur.

Diæta. Subjungenda est paucis Diæta. Aër ad caliditatem & siccitatem vergat, vitetur nebulosus, humidus, paludosus, frigidus. Vitetur imprimis commoratio vel decubitus in tali aëre, & locis frigidis & humidis, quales sunt cellæ subterraneæ. Vestimenta frigori arcendo sufficienter inserviant. Capiti imprimis prospiciatur. Quemadmodum omnis subita mutatio noxia est, aut periculosa, ità imprimis in hoc casu noxium est, si aliquando caput diligenter tegatur, mox calefactum iterum exponatur frigori repentino. Cibi sint facilis concoctionis: assati, elixi, herbis cephalicis vel aromatibus præparati, pro varia ægroti tum constitutione, tum etiam appetitu. Cerebrum leporis peculiari facultate Paralyticis prodesse creditur. Lac & lacticinia vitentur. A piscibus plerisque ut & fructibus horariis potius abstinendum. Vinum convenit generosum, *Salviatum*, *Enulatum*; verum modica quantitate: laudatur quoque *Hydromel* in declinatione morbi: omnis intemperantia hic valdè noxia. Quæri potest, an *Petum* in hoc casu conveniat? sed facilis est responsio. Iis qui hunc fumum ferunt, qui copiosam phlegmatum exspuunt copiam, proculdubio utilis est hic fumus. Iis autem quibus caput hinc nimium gravatur, aut qui non ferunt,

runt, eo abſtinendum potius eſt. Interim meminiſſe & hic oportet, omne nimium naturæ eſſe inimicum. Ingluvies & crapula, quemadmodum ad flacciditatem cerebri, ita ad paralyſin viam ſternunt. Motus & exercitium non tantum concoctionem promovet, ſed & ſpiritus excitat, nervoſum genus & muſculos roborat. Itaque quæ ante de hac materia diſputavi, ita ſunt intelligenda, ut à motu corporis debeant in actum deduci; cum vita ſedentaria, & exercitii neglectus plus noceant, quam medicamenta prodeſſe poſſent. Loquor jam de præcautione Paralyſeos, vel de eo amplius ſuperando, quando ægroti membra ad motum incipiunt diſponi. Excreta & retenta debito modo ſeſe habeant, ita tamen ut alvus ſit potius laxa, quam adſtricta. Menſes ritè fluant. Mucus è naribus expurgetur. Somno minimè indulgendum, præcipuè diurno. Nocte ſeptem horas dormiſſe ſat eſt. Habenda tamen ratio temporis morbi. Etenim in principio, & affectu gravi exactus ſervari modus non poteſt. Animi pathemata vehementia vitentur, gaudium & mens hilaris multum juvant.

CAPUT UNDECIMUM.

De Convulſione in Genere; Emproſtotono, Opiſtotono, & Tetano in ſpecie.

MOtus localis animantium explicatio in ſanis, convulſivi in ægris præcedenti ſeculo multorum torſit ingenia. Nec mirum, cum unicuique, ad ea, quæ contingunt, attento, difficile conceptu videri debeat, quod homines & animalia bruta tantis in ſtatu ſanitatis polleant viribus, uti quotidie oculis cernimus. Nec minus mirum in ſtatu morboſo, homines loquentes, obambulantes, ſedentes vel etiam decumbentes, omnium ſenſuum miniſterio gaudentes, ſubito concidere, omnibus ſenſibus internis & externis orbatos, loquela deſtitutos, mox convelli, os, faciem, oculos, genas, artus, manus, pedes tanta vi contrahere, ut eorum vires vires ſanorum longo intervallo ſuperent, ſpumam ore rejicere, ſonum incondi- Morborum convulſivorum hypotypoſis.

ditum edere, ſibi ab igne, aqua, combuſtione non cavere, imo nec eandem, quantumvis vehementem, perſentiſcere: poſt aliquam temporis moram iterum ad ſe redire, loqui, obambulare, negotia obire ſua, omnium geſtorum immemores. Symptomata hæc horrenda conſiderantes antiqui Epilepſiam, non infimæ inter affectus ſpaſmodicos notæ, appellarunt *Sacrum morbum*, *Herculeum*, *Sonticum*, *Lunaticum*, &c, ut erant ridiculè ſuperſtitioſi, *Comitialem*, quod cum quis tali morbo corriperetur, Comitia peragere non liceret ob malum omen. Hinc ſpuebant antiqui, ne ſc. à mali contagio læderentur, teſte *Plinio* l. XXVIII. c. 4. Deſpuimus comitiales morbos hoc eſt contagia regerimus.

Ad horum explicationem cauſæ ſtupendæ ſunt excogitatæ.

Ad affectus hos graves & ſtupendos explicandos, putarunt auctores excogitari debere cauſas itidem ſtupendas; cumque ſibi aliquid probabile inveniſſe arbitrarentur, imaginationi frena laxarunt, caput condiderunt intra nubila, adierunt orbem lunarem, vagati ſunt

Extra anni ſoliſque vias.

Finxerunt *particulas ſpaſmodicas*, *copulas exploſivas*, *combinationes iniquas*, *irrequietæ materiæ & ſpirituum colliſiones*, *crebras vehementeſque exploſiones*. &c. Quantumvis autem falſæ ſint hæ hypotheſes, avidæ tamen ſunt arreptæ, quandoquidem ea, quæ ab antiquis erant tradita, hominibus emunctæ naris non ſatisfaciebant. Ita paſſim adhuc intelligimus Viros judicii ſatis perſpicacis particularum ſpaſmodicarum &c. facere mentionem, non obſcuro argumento, ipſos ab hiſce ſuppoſitionibus non eſſe valdè alienos, vel ſaltem ea tantiſper adoptare, donec veritas magis in aprico collocetur.

Quarum refutationi non eſt immorandum.

Non eſt noſtri inſtituti hæc omnia refellere, quod quidem foret facillimum; verum quare in re minus neceſſariâ fruſtra nectemus moras? Enumerâſſe, eſt refutâſſe. Sufficiet ſi in id incumbamus, ut veritatem ipſam quam apertiſſimè ob oculos ponamus; ita enim figmenta illa facile corruent, quemadmodum Sol, jubare ſuo terram illuſtrans, ſomnum, inſomnia & vanas dormientium imaginationes facile diſpellit. Rectum curvi eſt regula.

Di-

Dicitur σπασμὸς ἀπὸ τȣ̃ σπάω à trahendo, quod in hoc affectu membra valide trahantur. Latinè Convulſio, quod membra veluti convellantur, & poteſt in genere deſcribi quod ſit, *involuntaria & vehemens muſculi aut fibrarum muſcularium contractio*. In eo convenit ſpaſmus cum motu voluntario, quod in utroque muſculi contrahantur, ſeu quod venter muſculi intumeſcat, caudà ad caput accedat, atque ita moveatur membrum, cui tendo eſt inſertus. In hoc differt à motu ordinario ſpaſmus, quod hic motus præter voluntatem contingat; neque enim à mente, ſeu voluntatis noſtræ arbitrio, pendet hunc motum coercere. Ex quo patet, quam malè antiqui facultates corporeas tribuerint animæ. Dico etiam eſſe vehementem, quod nulli poteſt eſſe ignotum, qui manibus membra convulſione exagitata tractaverit: vehementia tanta eſt, ut plures aliquando adſtantes uni ægroto continendo minimè ſint pares. Mentionem facio non tantum muſculorum, ſed & fibrarum muſcularium, ne motus convulſivos à generali deſcriptione excluderem. Intelligo autem in genere & fibras muſculares, & tendines, quorum ſubſultus in pluribus convulſivis non obſcurè percipitur. Non facio mentionem ſenſuum internorum abolitorum, quandoquidem in pluribus convulſionis ſpeciebus, & in motibus convulſivis mens conſtat. Deſcriptio talis erat proponenda, quæ univerſæ Convulſionis genealogiæ, poſtmodum producendæ, æqualiter conveniret. Spaſmus.

Quandoquidem ergo hic agitur de præternaturali contractione muſculorum, manifeſtum eſt, ſtatum hunc percipi non poſſe, niſi motus voluntarius in ſtatu naturali rectè intelligatur, id quod etiam à *Williſio* rectiſſimè eſt obſervatum. Verum cum ego antea de hac materiâ egerim, nolim hic explicata repetere: ſufficiat in mentem revocâſſe ad motum muſcularem & voluntarium nihil aliud requiri quam ſpiritus animales, & ſanguinem, nec non organa ad horum generationem & diſtributionem, atque membra muſculoſque ad motum hunc obeundum comparata. Tango hæc tantum, non explico, ne neceſſe ſit ante dicta repetere. Cum autem in hoc caſu, finito paroxyſmo, membrorum motus ſoleat eſſe reſtitutus, non tam conſideranda ſunt membra, quam cerebrum & ſpiritus ani- Status præternalis non intelligitur niſi cognito ſtatu naturali.

animales. Refertur hic affectus rectiſſimè ad pathologiam cerebri & nervoſi generis; verum diligenter tenendum eſt, ſanguinem ad cerebrum delatum, non minoris eſſe efficaciæ, quam ſpiritus animales, quandoquidem ſanguine malè diſpoſito aut moto, cerebrum & ſpiritus animales ejus noxam luunt.

Convulſionis cauſa eſt Repletio & Inanitio.

Hippocrates Convulſionem ſtatuit fieri è repletione vel inanitione Aph. 39. S. VI. σπασμὸς γίνεται ἢ ὑπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος. cujus exempla ſunt manifeſta. Non raro contingit homines plethoricos primo in capitis gravitatem, dolorem, vertiginem & convulſiones vehementes incidere, à quibus ſola V. S. liberatur, quale exemplum ego memorabile antea retuli: eſt ergo convulſio à repletione. Contingit etiam non raro poſt V. S. liberaliorem, aliquem in lypothymiam, hinc & convulſiones, cum ſenſuum internorum abolitione, incidere. Obſervantur Convulſiones in jugulatione & mactatione animalium ſemper. Eædem accidunt nonnunquam poſt purgationem vehementem. Eſt itaque Convulſio ab inanitione. Convulſiones à repletione & inanitione explicantem ſuo modo vide *Gorrhæum* in definitionibus medicis Tit. σπασμός. *Williſius* ſeſe ſententiæ *Hippocratis* & Antiquorum oppoſuit, rejiciendo has cauſas: qui hactenus non omnino fallitur, quod viderit exempla de corio, & fidium nervis, ab aëre madido impletis, aut nimis inanitis, contrahi ſolitis, non ſatisfacere: verum cum exempla à me adducta veritatem dicti Hippocratici evincant, ſententia ipſa repudianda non eſt, ſed explicatio quærenda vera, & veritatis avido animo ſatisfaciens. *Pareus* cum *Hippocrate* facit, convulſionis cauſas eaſdem ſtatuens repletionem & inanitionem, quibus addit ſympathiam ſeu condolentiam ac dolorem, nec non putredinem, verum in explicatione fallitur, exemplum corii & fidium adducens. Fallitur etiam quando Convulſiones, ſeu Epilepſias febriles ad inanitionem refert, quia ſc. nervi tum, ex ejus mente, exſiccantur. Epilepſiarum ſymptomaticarum in febribus planè alia eſt ratio, uti in ſequentibus videbimus; illæ pleræque è repletione originem ducunt.

Explicatio.

Quandoquidem hæc tractatio tantum eſt generalis, & mihi pro-

propositum est hoc negotium fusius explicare, capite de Morbo caduco, seu Epilepsiâ periodicâ, breviter convulsio à repletione ita intelligenda est, quod arteriæ carotides nimium repleantur, unde sequitur compressio nervorum, depressio cerebri, spirituum animalium versus musculos propulsio, fibrarum tensio, sanguinis progressus retardatus, musculi inflatio, partis tendini annexæ vehemens & involuntaria contractio. Convulsionem ab inanitione solet præcedere lipothymia, faciei pallor & flacciditas, genæ collabescentes, unde facile intelligimus eodem tempore cerebrum expansionem suam non minus quam faciem amittere, adeoque veluti subsidere: subsidentia hæc spiritus animales inordinatè versus musculos premit, adeoque convulsiones ciet. Itaque causas, meo quidem judicio, *Hippocrates* verissimas statuit convulsionis, verum modum explicare non potuit, quandoquidem nec circulationem sanguinis, & hujus sequelam pressionem per universum corpus, nec veram rationem motus voluntarii perspectam habuit. Novi quidem in *Hippocratis* scriptis quædam reperiri, quæ videntur innuere sanguinis circulationem; verum si illam distinctè novisset, ampliorem ejus & clariorem fecisset, procul omni dubio, mentionem. Appellatio spirituum animalium, tanquam partium impetum facientium, satis ostendit, antiquos in eâ fuisse opinione, à spirituum animalium influxu impetum, ac proinde motum voluntarium dependere, quæ sententia à veritate omnino aliena est. Non explicarunt itaque recte hanc sententiam antiqui, quamvis esset verissima.

Neoterici præcipuè considerarunt irritationem. Et revera novimus nervorum & capitis vulnera non rarò excipere convulsiones: novimus etiam post assumpta venena sæpe subsequi convulsiones. Hæc exempla non parum valent ad probandum, dari convulsiones ab irritatione; verum, re penitius perspecta, non videtur mihi difficile, irritationes hasce ad repletionem vel inanitionem reducere: saltem sine consideratione repletionis vel inanitionis, hæc irritatio non videtur mihi satis distinctè posse intelligi. Quandoquidem punctura nervi suppeditat argumentum maximi roboris, meo quidem judicio, ad evincendum, irritationem esse causam convulsionis, non Irritatio.

erit

erit inutile hanc causam penitius perscrutari. Concedo convulsiones subsequi puncturam nervi; verum velim diligenter attendi quomodo illud contingat? Dico ergo, non sequitur statim ab ipso inflictu convulsio, sed plerumque dolor vehementissimus, tumor, inflammatio, partis affectæ cum æstu insigni solent præcedere. Hinc concludo, irritationem ipsam non debere separatim considerari, verum prout stipata est omnibus hisce symptomatibus. Si autem symptomata diligenter examinentur, si consideretur quæ immutatio in cerebro, spiritibus animalibus, sanguine, debeat subsequi, jam facile videbimus revera repletionis & inanitionis considerationem huic toti negotio facem præferre. Nempe à dolore vehementi spiritus animales rapidissime & turbulentè agitantur, influunt in cor & præcordia, hinc sanguis per universum corpus propellitur impetuose: cum autem sanguis, humor consistentiæ non admodum liquidæ, sit quidem proportionatus ordinariæ pressioni, non autem vehementi tali, hinc arteriarum carotidum trunci & ramuli nimium replentur & expanduntur, unde convulsiones, modo in superioribus explicato, & in sequentibus magis explicando. Fortè nervorum punctura, quandoquidem dolor ope nervorum ad cerebrum defertur, sanguinem etiam magis versus cerebrum & arteriam carotidem propellit. Quod si dolor ægrotum in lypothymiam conjiciat, simili modo sese res habet, uti superius, de deliquio animi à sanguinis detractione nimiâ, disputavi. Quod si consideremus convulsiones ab assumpto veneno excitatas, illæ aliquando paucarum horarum hominem jugulant. Verum dolor & anxietates hoc in casu sunt vehementissimæ, unde eædem sequuntur irregulares motus in spiritibus & sanguine, quos statim explicui, quandoquidem partes solidæ non tantum afficiuntur, sed & exeduntur. Videmus ergo modum, quo irritatio operationes suas peragit, non posse debitè intelligi, nisi simul consideretur spirituum & sanguinis motus, inanitio, & repletio. Quanto dolor est vehementior, quanto partes affectæ magis sensiles, tanto citius & gravius potest succedere convulsio; spiritus enim vehementer agitati sanguinem vehementer per universum corpus adi-

adigunt, & arterias minimas nimium replent. Non inutile tamen eſt irritationis facere mentionem, quandoquidem hæc, reſpectu repletionis & inanitionis, cauſæ rationem habet. Cauſarum autem conſideratio in Medicinâ magni eſt uſus: his ſublatis tollitur effectus.

Videor mihi explicaſſe breviter, quæ ad Spaſmi naturam in genere intelligendam videntur ſufficere. Neceſſe eſt ut Spaſmi (ampla enim ejus eſt familia) diſtributionem ſubjungamus accuratam: ita enim nos facilius extricabimus è maximis difficultatibus, quæ in hac materia occurrunt. Spaſmi vox apud *Hippocratem* eſt admodum vaga & incerta, quandoquidem generali hac notione nunc hanc nunc illam intelligit ſpeciem, quemadmodum illud in vulgari ſermone etiam ſæpe obſervare licet. Quemadmodum à trahendo nomen derivatur, ita omnes contractiones *Tetanum*, *Morbum caducum*, *Epilepſiam ſymptomaticam*, *hyſtericam*, *puerilem*, *Motus convulſivos* &c. ſub ſeſe complectitur. Spaſmum hunc in genere divido, in Convulſiones & Motus convulſivos. Convulſiones iterum ſunt vel minus vel magis frequentes: Minus frequentes ſunt, quæ rarò admodum accidunt, adeo ut multi medici eas non obſervarint. Tales ſunt Emproſtotonos. Opiſtotonos, Tetanos. Magis frequentes ſunt, vel Graviores, adeo ut ægros in majus periculum conjiciant, vel Minus periculoſi, qui quidem moleſti ſunt, abſque manifeſto tamen vitæ periculo. Graviores vel Adultos infeſtant, vel Infantes. Adultos vexat Morbus caducus, Epilepſia vulgo dicta, vel Epilepſia propriè dicta ſymptomatica. Hæc iterum eſt vel Febrilis, Hypochondriaca, Hyſterica, Scorbutica. Levior Spaſmi ſpecies complectitur vel ſubſultus in ſomnis: vel Spaſmum flatulentum dictum. Motus convulſivi ſunt vel Febriles, vel Hyſterici, vel Hypochondriaci, Scorbutici, vel ſi qui ſunt alii, dolorem vel alios affectus ſubſequentes. Quandoquidem autem hæc videbuntur forſan obſcuriora, non inutile duxi omnia hæc, in brevi tabella delineata, oculis diſtinctius adhuc repræſentare.

Diſtributio Spaſmorum.

Tabula.

SPASMUS in genere complectitur.

A. CONVULSIONES propriè dictas,

ℵ. UNIVERSALES.

A. Minus frequentes

α. *Emprostotonum*,

β. *Opistotonum*,

γ. *Tetanum*.

B. Magis frequentes; Hi iterum sunt

ℵ. Graviores, majus vitæ periculum inferentes, & *infestant*

A. Adultos. Tales sunt

A. *Morbus caducus*, Epilepsia vulgò dicta.

B. *Epilepsia*, propriè dicta, *symptomatica*. Hæc est

a. Febrilis. { ordinaria { in principio / in progressu } vexans. / extraordinaria epidemica.

b. Pedissequa —— { Dolorum. / Purgationum. / Hæmorragiæ. / Vulnerum & ulcerum. / Repletionis.

c. Hysterica.

d. Hypochondriaca.

e. Scorbutica.

B. Infantes, vel statim à nativitate vel circa dentitionem &c.

ב. Leviores. suntque

a. Subsultus in somno.

b. Convulsiones, seu motus convulsivi in somno.

c. Spasmus flatulentus dictus.

d. Hæmorrhagiam excipientes. &c.

ב. PARTICULARES. Convulsio particularis oculorum dicitur *Strabismus*. Si in dentibus accidat dicitur τρισμός, si in labiis, *Spasmus cynicus*, *Risus Sardonius*: Si in pudendo *Satyriasis*. Dantur adhuc duæ aliæ Convul-

vulsionis particularis species, quæ primum possent obtinere locum, sc. *Sternutatio* & *Singultus*. Aliæ differentiæ particulares nominibus propriis carent.

B. MOTUS CONVULSIVOS dictos. Hi iterum sunt

a. Vehementiores }
b. Minus Vehementes } utrique { Febriles. { Hysterici. &c.

Potest videri hæc tabula intellectu satis facilis, in praxi medica & auctorum lectione diligenter versatis, quoniam tamen hæc in juniorum & magis rudium manus fortè incidet, libet quædam majoris elucidationis gratia subjungere. Observare itaque licet, me Spasmi appellationem in latâ admodum sumpsisse significatione, adeo ut omnes morbos hosce suo ambitu complectatur. Imitatus sum *Hippocratem*, in cujus scriptis eadem vocabuli est latitudo, uti in superioribus quoque annotatum est. Lubet hanc sententiam paucis confirmare. Spasmi vocabulum admodum latè patet apud *Hippocratem*.

Minus frequentes convulsiones omnes Spasmi nomine venire, adeo manifestum est, ut probatione non indigeat. Vide *Paulum Æginetam* l. III. c. 19, 20. Morbum caducum etiam Spasmi nomine venire, manifestum est si conferatur *Aph.* 28. *Sect.* III. cum ejusdem *Sectionis Aphor.* 25. Epilepsiam symptomaticam febrilem Spasmum appellavit *Hippocr. Aph.* 70. *S.* V. nec non *Aph.* 26. II. & 13. *S.* VII. Ἐπὶ καύμασιν ἰσχυροῖσιν σπασμὸς, ἢ τέτανος, κακόν. Pedissequam dolorum itidem *Aph.* 25. *S.* V. *Aphorismus* 18. *S.* VI. Ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς ἢ παραφροσύνη de utroque hoc Spasmo potest intelligi, quandoquidem vigiliæ, aut febres, aut dolores solent consequi. Spasmum quoque appellavit *Hippocrates* Epilepsiam pedissequam purgationum nimiarum. *Aph.* 25. *S.* VII. 1, 4. V. 16. IV. ut & hæmorragiarum nimiarum. *Aph.* 3. 9. *S.* VII. Vulnerum 2. V. Ulcerum 22. V. Repletionis 5. V. Epilepsiam symptomaticam hystericam appellavit *Hippocrates* in Coacis & Prorr. Spasmum his verbis: οἱ ἐν ὑστερικῇσιν ἀπύροισι σπασμοὶ εὐχερέες. Cum affectionis Hypochondriacæ & Scorbuti explicatio, fusior & magis distincta apud recentiores quam *Hippocratem* exstet, hisce non immerabor. Posset tamen huc non incommodè referri. §. 34. S.

II. Coacar præn. & Aph. 56. VI: Epilepſiam infantes corripientem quoque Spaſmum dixit *Hippocrates* Aph. 25. S. III. De motibus convulſivis intelligi poteſt Aph. 66. S. IV. Saltem verus eſt & de convulſionibus, & motibus convulſivis, quidni ergo ſumatur Spaſmi vocabulum in ſignificatione latâ? Videtur alio loco motus hos convulſivos σπασμοτρόμȣ vocabulo deſignâſſe *Hippocrates*. Vide *Gorrhæi* definit. med. h. t. Quemadmodum autem *Hippocrates* voce Spaſmi Epilepſiam aliquando denotat, uti *Foeſius* annotavit in voce σπασμός, ita non foret difficile probare *Hippocratem* vocibus Epilepſiæ & Spaſmi tanquam Synonymis uti: verum nolo hiſce immorari. Ad meum negotium ſufficit demonſtrâſſe, hanc Spaſmi diſtributionem magnam partem niti auctoritate *Hippocratis*. An autem alicujus uſus ſit, tum in *Hippocratis* mente rectè explicandâ, tum in exerenda praxi, hæc tabella, practici judicabunt.

An Emproſtotonos Opiſtotonos &c. ſint Convulſiones univerſales, an vero particulares?

Quod ad diſtributionem generalem ſpectat, retuli Spaſmum Emproſtotonum, Opiſtotonum, Tetanum inter Spaſmos univerſales, ſecutus *Gorrhæum* in definitionibus Medicis & plures alios: quamvis *Foeſius* in Oeconomiâ videatur referre Emproſtotonum & Opiſtotonum ad convulſiones particulares, cervicis & ſcapularum præcipuè faciens mentionem. Verum ſi ea quæ, *Hippocrates* l. III. de Morbis XIII. 6, 7. & XIV. 5, 6. &c. habet, conſideremus, non videtur incommodè his ſpaſmi ſpeciebus inter univerſales tributus locus. *Tulpius*, in obſervatione poſtmodum laudandâ, morbum caducum verſus poſteriora corpus convellentem Opiſtotoni appellatione donavit. Ego hæc diſtinguo; ſi quis tamen aliter ſentiat, is ſuo fruatur arbitrio.

Morbum caducus, Epilepſia ſymptomatica.

Diſtinguo Morbum caducum, Epilepſiam vulgo dictam, ab Epilepſiâ ſymptomaticâ, quandoquidem hi affectus, longo inter ſeſe intervallo diſtant. Alius eſt affectus quando homines ſic ſatis ſani, uti apparet, repente concidunt, convelluntur, ſpumam ex ore rejiciunt, iterum reſtituuntur, & munia ſolita obeunt: poſt aliquod tempus iterum iiſdem infeſtantur ſymptomatibus, eodem modo liberantur, nec à diris hiſce periodicis contractionibus cum ſenſuum omnium abolitione, toto vitæ tempore, omnino liberantur: alius quando in febribus acutis, ma-

malignis &c. incidunt in Epilepſiam, quæ aliquoties repetens, curato morbo, ita evaneſcit, ut poſtmodum horum inſultuum nulla remaneant veſtigia. Rectiſſimè noſtro idiomate hos affectus diſtinguimus, priorem nempe dicimus **de vallende ſiekte**, poſteriorem autem **ſtuypen**. Appellationes hæ genuinæ Latinâ & Græca lingua optimè exprimuntur, ſi priorem dicamus Morbum caducum, quandoquidem ſtantes & obambulantes cadunt, alterum Epilepſiam ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνεσθαι, quod ſignificat manus injicere, hominem manu prehendere, involare. Æſchin. ἀπάξειν ἐις δεσμοτήριον ἐπιλαβόμενος τῶν τριχῶν, in capillos involans. Quamvis autem Morbus caducus etiam ſubitò prehendat, non eſt tamen in morbis ἐπιγενόμενον σύμπτωμα. Epilepſiâ, convulſionibus antea minime obnoxii, tanquam morbi ſymptomate, corripiuntur ægri. Ejuſdem generis ſunt Epilepſiæ pediſſequæ Dolorum, Purgationum, Hæmorrhagiæ &c. quandoquidem itidem hos morbos tanquam ſymptomata excipiunt, poſtmodum etiam, ſuperato morbo, non redeunt.

Hæmorrhagiam facio cauſam duplicis Epilepſiæ, alterius quidem gravioris, & juxta *Hippocratem* periculoſæ, alterius autem levioris, quæ etiam caret periculo, uti illud in V. S. largiori manifeſtum eſt. Potuiſſem ſimilia in aliis etiam ſpeciebus obſervâſſe, quod tamen, ne confuſio excitetur, neglexi: in unâ monuiſſe ſufficiat. Hæmorrhagia.

Non eſt mea mens de omnibus hiſce fuſè agere, uti nec de Epilepſiâ puerorum, quandoquidem, ſi præcipuæ ſpecies explicatæ ſint, reliquæ non difficulter intelligantur: Epilepſia puerorum ad affectus eorundem pertinet. Non agam quoque de convulſionibus particularibus, quandoquidem ſi generalia hæc exactè intelligantur, & ea, quæ auctores tradiderunt inſpiciantur, unuſquiſque ſe facile extricabit. De ſternutatione & ſingultu ſuo loco diſputandum. Scopus Auctoris.

Convulſiones particulares omnes vulgari modo enumeravi, quamvis non ignorem eas non unius eſſe generis, nec omnes propriè convulſiones dicendas. Non eſt in omnibus vehemens & morboſa contractio; ſed videtur talis ob muſculi antagoniſtæ relaxationem. Nempe ex iis quæ ſuperius diſputa- Convulſiones particulares.

 vi,

vi patet, ſpirituum influxum in ſtatu naturali tenſionem fibrillarum muſcularium continuo producere, hinc in muſculis debet adeſſe diſpoſitio ad contractionem. Quod ſi experientiam conſulamus ea revera adeſt, uti illud in fracturis oſſium manifeſtum eſt: hinc repoſitionem ordinariè præcedit extenſio. Itaque, ſi muſculus antagoniſta reſolvatur, ſequitur ſponte contractio alterius non læſi. Tales affectus, ſtrictè loquendo, potius ad Paralyſin ſunt ablegandi. Verum tantum ſeſe ſcribendi aperit campus, ut hiſce immorari non libeat, monuiſſe ſufficiet.

Hercules Saxonia.

Quemadmodum autem contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, ita ad illuſtrationem eorum, quæ in præcedentibus dicta ſunt, nonnihil faciet, ſi ea quæ ab aliis tradita ſunt, paucis examinemus. Eſt mihi ante oculos, dum hæc ſcribo, *Hercules Saxonia*, Profeſſor olim practices primarius & ordinarius: Is in *Pantheo Medicinæ ſelecto* l. 1. c. 13. agit de Spaſmo ſeu convulſione: quem ita deſcribit. *Convulſio eſt ſymptoma motus voluntarii ſolius depravati, & impediti ob nervoſæ ſubſtantiæ contractionem.*

An Spaſmus ſit ſymptoma motum voluntarii.

Dicit eſſe ſymptoma motus voluntarii. Ego putem ſymptoma eſſe effectum morbi corpori inconvenientem: itaquè impropriè admodum dicitur ſymptoma motus voluntarii, quum motui voluntario non accidat aliquis effectus, ſed motus voluntarius ipſe læſus ſit. Motus voluntarius ritè procedens eſt ſanitatis effectus, convulſivus eſt morbi ſymptoma, itaque, quemadmodum motus voluntarius, tanquam effectus, ſequitur diſpoſitionem debitam partium, ita convulſio ſequitur pravam diſpoſitionem, illiuſque eſt ſymptoma. Aliud eſt, quando ad diſtinctionem accuratiorem enumerantur ſymptomata imaginationis, memoriæ, ſenſuum internorum, motus voluntarii &c. aliud hiſce terminis in deſcriptione uti. Sed hæc tranſeant; poſſunt enim videri ſubtiliora.

Majoris eſt momenti, quod addit *SOLIUS* motus voluntarii, id enim dicit factum eſſe ad differentiam Epilepſiæ: quam dicit eſſe convulſionem cum læſione principum facultatum, cum in convulſione hic deſcriptâ principes facultates non lædantur. Hinc jam apparet quam confuſè debuerit tra-

ctari

ctari integra hæc convulſionis materia. Nempe ſi duo ſint ſtatuenda ſumma genera omnium convulſionum, ad alterutram horum omnes omnino convulſiones debebunt reduci, & diſtinctionis κριτήριον erit, quod ſenſus interni lædantur, vel non lædantur. Vide autem quæ hinc ſequantur abſurditates: Epilepſia ſymptomatica & morbus caducus ſub uno titulo debebunt tractari, tanquam ſymptoma ejuſdem generis, cum tamen hæc longis paraſangis à ſe mutuo diſtent. Epilepſia febrilis & hyſterica erunt ejuſdem generis affectiones, quandoquidem ambæ adjunctam habent læſionem facultatum principum. Epilepſiæ pediſſequæ dolorum, evacuationis ſanguinis nimiæ, repletionis, purgationum erunt omnes ejuſdem generis, quandoquidem tantum duæ ſtatuuntur, cum tamen hæ non tantum ab aliis ſpeciebus, ſed inter ſeſe longiſſimè diſtent. Epilepſiæ infantum & adultorum, quæ dentitionem ſequitur, & quæ cum dentione nullum habet nexum, convenient. Epilepſia hyſterica aliquando ad Epilepſiam, aliquando ad Convulſionem erit referenda, cum in ea aliquando mens aliquomodo conſtet, aliquando ſenſus omnes ſint aboliti. Quid? quod prior ſpecies tum cum motibus convulſivis eſſet confundenda? Quid? quod ipſe *Saxonia* motus convulſivos capite de Epilepſiâ tractet? Tantæ eſt utilitatis morbos & ſymptomatæ à ſe invicem accuratè diſpeſcere. Qui bene diſtinguit, benè docet.

Poſtmodum cauſam redditurus, quare motum dixerit non tantum depravatum, ſed & impeditum, recurrit ad Convulſionem fientem & factam, agit de nervorum ſubſtantiâ contracta & extenſa: nervoſam ſubſtantiam explicaturus intelligit nervum, muſculum, tendonem, & ligamentum. Denique Catalepſin ad Convulſiones abſurdiſſimè refert. Quæ ſi ſingula diſcutere vellem, & mihi ipſi, & forſan aliis eſſem moleſtus. Recitâſſe eſt refutâſſe.

Non ago etiam de deſcriptionibus & diſtributionibus neotericorum fictitiis, perſuaſus de iis ſatius eſſe tacere, quam pauca dicere, qui tabulam, in ſuperioribus propoſitam, & ea, quæ hic explicata inveniet, ante oculos habuerit, is, ſeſe non ita difficulter expediet, niſi me fallit animus, ex iis, quæ

quæ antea potuerant videri difficilia. Monuisse tamen non est inutile, distributionem morborum convulsivorum in eos, qui propter originem nervosam præcipuè affectam oriuntur, vel quorum causa circa nervorum extremitates, aut intra plexus nerveos subsistit, imaginariam esse & falsissimam.

Convulsiones minus frequentes.

Hisce in genere prælibatis accedendum jam est ad Convulsiones minus frequentes, Emprostotonum, Opistotonum, Tetanum. Dixi hos affectus minus frequentes, quamvis Auctores in descriptione Convulsionum horum soleant facere mentionem. Crediderim tamen idem hic habuisse locum, quod in Catalepsi, pauci viderunt hunc affectum, unus ex alio descripsit, ita ut non malè ab *Heurnio* sit pronunciatum suo tempore: qui unum legit practicum, omnes legit. *Hercules Saxonia* refert se multa habere exempla Emprostotoni, verum unicum tantum affert his verbis: *In cœnobio divi Petri est virgo Monialis, quæ eo laborat jam annos septendecim.* Ego autem dico; quomodo species morbi acuti, apud *Hippocratem* paucis diebus ægrotos enecantis, potuit affligere per septendecim annos? Fuit proculdubio hic alius affectus, quemadmodum ego aliquando vidi rigiditatem Scorbuticam plures annos anum infestantem, adeo gravem, ut sese anus ne minimum quidem inflectere potuerit, omnia ipsi exhiberi debuerint, tanquam infanti recenter nato. Non sequar ego antecedentium gregem, liberè profiteor, horum convulsionum exempla mihi in praxi occurrisse paucissima. Mirabuntur fortè quidam meum candorem; ego tantum veritati statuo pretium, ut credam hanc diligentissimè esse investigandam, præcipuè si ea proximo possit esse utilis. Non sum confisus, hoc in casu, meâ experientia, potest enim quis in plures hoc morbo affectos, alius, in alios incidere. Datâ occasione plures medicos in longâ & uberrima praxi versatissimos, consului, interrogavi, num ipsis Emprostotoni, Opistotoni, Tetani varia occurrissent exempla? Alius negavit se hunc affectum vidisse: alius se unum aut alterum tractâsse; cum autem diligentius expiscarer, quæ in hisce casibus observassent, referebant diu esse ex quo illa accidissent, atque adeo memoriâ excidisse circumstantias. Hinc itaque concludendum sum ar-

arbitratus, non mihi esse vitio vertendum, si hac in parte sufficienti destituerer experientiâ, cum idem aliis accidisset. Judicavi itaque, affectus modo nominatos in hisce regionibus esse minus frequentes. An olim in Græcia & regionibus calidioribus fuerint magis familiares, ambiguum videri possit. Saltem illud non malè mihi videor concludere, vel hosce affectus fuisse magis consuetos, vel vocabula in latiori sumpta esse sensu, vel ex uno aut altero experimento generaliter de omnibus fuisse pronunciatum.

Hippocrates l. III. s. 13. & 14. de Tetano & Opisthotono agit, verum descriptio constat brevioribus enunciationibus, adeo ut meritò habeatur obscurior, quæ forte est ratio quare ea, quæ Neoterici tradiderint, non sint usquequaque expedita. Hippocratis obscuritas.

Hisce in genere prælibatis, referam, quæ in praxi viderim ego. Vidi ego duo exempla tetani, ambo in infantibus paucorum mensium. Omnia membra, totum corpus rigebat, imo aliquomodo livebat: rigiditas hæc, quæ matribus impedimento erat, cum membra flectere non possent, coegit eas meam implorare opem. Fuerunt ambo, quantum memini, curati, exhibendo mixturam aliquam cephalicam, & inunctione spinæ dorsi. Opisthotoni exemplum non memini me vidisse, nisi semel in virgine hysterica, quæ convulsionibus vexata versus posteriora identidem convellebatur. Non judico tamen hanc speciem à reliquis hystericis affectionibus esse distinguendam, quandoquidem exigua symptomatum varietas sæpe ab ἰδιοσυγκρασίᾳ dependet; nec mutat speciem. Audivi etiam querelas ingentes de cervicis dolore, in læsione tendinis musculorum gastrocnemiorum. Fortè fuit hic gradus quidam ad Opisthotonum. Emprosthotoni exempla rarius occurrere ex eo liceat concludere, quod hujus exigua ab *Hippocrate* fiat mentio. Emprosthotoni exemplum nullum me vidisse memini, nisi illud Emprosthotonum placeat appellare, quando ægroti periculosè decumbentes, & morti vicini, continuo sese versus anteriora incurvant, adeo ut adstantibus molestum sit, illos continuo elevare, & caput pulvinaribus imponere. Simulac enim hoc peractum est, iterum sese incurvant & delabuntur. Est hoc malum, quantum ego quidem

Tetani duo exempla.

dem observavi, plerumque θανάσιμον; verum non est dicenda Convulsio aut Emprostotonos, cum absque membrorum contractione violentâ aut rigiditate, sed potius flacciditate accidat. Fortè illud contingit, quod hic situs aliquod levamen videatur afferre anxietatibus circa præcordia, quemadmodum videmus non rarò homines flatibus, ventriculum distendentibus, vexatos, manibus ventriculum comprimere, & pronum reliquis præferre situm. Fortè etiam molestum est ægris hisce capite erecto decumbere, quamvis hac de re non conquerantur, quandoquidem mens obnubilata est.

Convulsiones exemplum singulare.

Et quoniam hic de convulsionibus ago, libet exemplum Convulsionis stupendæ narrare, quod mihi aliquando videre contigit. Vidi ego virginem miro convulsionis genere correptam, in quo sese ne per momentum quidem quietam continere potuit, sedens in lecto & mentis omnino compos. Torquebat sese mirè ægrota, & membra cum capite in gyrum veluti contorquebat. Si quando cerevisiam peteret bibitura, necesse erat poculum ori prudenter admovere, & ipsius motui circulari obsequi, poculum elevando circumducere, donec sitis esset sedata. Cum autem bibisset testabatur liquorem non recta descendere, sed in circulum circumagi, & veluti per gradus, trochleæ in modum constructas, descendere, usque dum in ventriculum delaberetur. Est omnino verisimile non tantum artus, sed & oesophagum convulsionibus fuisse infestatum. Feliciter tamen, quantum memini, evasit. Est hoc exemplum, in cujus explicatione ingenia curiosorum sese exercere possunt. Convulsionum admirandarum exempla non pauca *Schenkius* refert, de Spasmo obs. 12, 13. &c.

Causæ Tetani.

Causas Tetani, quas ego vidi, judico fuisse dispositionem scorbuticam, ex eo fortè ortam, quod lintea, quibus involvi solent infantes, non satis benè fuerint exsiccata, aut calefacta. Non parum confirmat meam sententiam, quod ambæ matres, quarum ego infantes tractavi, fuerint in re minus lautâ. Si quando plura exempla tetani mihi offerantur, causas ulterius investigandi mihi dabitur occasio.

Opistotoni.

Opistotonum præcipuè oriri è læsione tendinum, vel nervorum, aut febre, aut dolore, inflammationem, consequente, ex

ex eo conjecturam capio, non tantum, quod ipſemet in læſione tendinum tales audiverim querelas, ſed & quod *Hippocrates* magnæ navis gubernatori, cujus digitum medium & os dextræ manus confregerat anchora, ſuccedente febre & dolore, prædixerit, ipſum futurum opiſtotonum. Prædictionem excepit eventus & mors infauſta. Ego memini, in diſciſſione tendinis illius magni muſculorum gaſtrocnemiorum, uti ſuperius quoque innui, me intellexiſſe graviſſimas querelas de rigiditate cervicis, hæc fortè fuit principium Opiſtotoni. *Pareus* etiam de hiſce Spaſmi ſpeciebus inter ſymptomata vulnerum agit. Lib. VIII. c. 9. *Schenkius* refert Opiſtotoni exemplum è clavo pedis digito infixo, de Spaſmo obſ. 15.

De Emproſtotono nihil addo, niſi tantum, illum, expenſis accurate ſymptomatibus & circumſtantiis, facile explicatum iri, dummodo quis convulſionis naturam intelligat, & ea quæ dicta ſunt, & in progreſſu adhuc explicabuntur, expendere dignetur. Emproſtotoni.

Differentiæ Spaſmi in ſuperioribus propoſitæ ſunt. Signa generalia è deſcriptione ſatis ſunt manifeſta, ſingularum ſpecierum ſingula ſuo loco explicabuntur. Differentiæ.

Prognoſis in genere vix inſtitui poteſt, ob multiplices convulſionum differentias: itaque graviores ſpecies ſunt habendæ malæ, leviores periculo vacant. Tetanus *Hippocrati* in quatuor diebum interficere dicitur. Aph. 6. ſ. v. Alio loco ad quatuordecim dies extenditur temporis ſpatium, in quo perit æger. L. III. de morbis. XIII. §. 11. Opiſtotono correpti tribus diebus interire dicuntur. ibid. XIV. §. 12. Prognoſis.

Indicationes, ſunt repletionem aut inanitionem tollere, ſpiritus excitare, nec non irritationem, viam ad utramque ſternentem, mitigare. Indicationes

Non eſt quod curæ generali multum immoremur. Repletio quibus tollatur manifeſtum eſt. V. S. Purgationibus, Diaphoreticis, inediâ, exercitio, &c. Cura repletionis.

Inanitio tollitur Virium refocillatione, medicamentis cardiacis, cephalicis, victu conveniente. Inanitionis.

Spiritus excitantur Salibus volatilibus, imprimis *Spir. Sal. Armon.* Irritatio reſpicit ejus cauſas, de quibus in ſequentibus. Irritationis. Hippocratica curandi ratio.

Hippocrates jubet in Tetano exhibere piper devorandum, id poteſt facere ad ſpiritus excitandos. Exhibet etiam *Helleborum nigrum*, ad repletionem tollendam utilem. Juſculum è volucribus pingue, calidum, ad inanitionem tollendam, vel purgationem promovendam, utile. Præcipit etiam ſternutationem eſſe movendam, id quod non parum facit ad ſpirituum excitationem. Fomenta optimè videntur convenire, quando è cauſa ſuperius explicata oritur Tetanus. Huc etiam facit provocatio ſudoris, quò fortè reſpexit *Hippocrates*, quando jubet calefactoria humida & pinguia in veſicis & utriculis apponi, maximè autem ád partes dolentes.

De medicamentis Antiſpaſmodicis dictis.

Ea, quæ hactenus diſputata ſunt, videntur aliquomodo labefactari ex eo, quod apud Auctores recentiores mentio fiat medicamentorum *Antiſpaſmodicorum*. Hinc facile naſci poſſet cogitatio, hæc exinde appellatione tali fuiſſe donata, quod particulas ſpaſmodicas, quarum etiam meminit *Williſius*, corrigere & expugnare apta eſſent nata: adeoque non ſufficere in tractatu de Convulſionibus in genere, meminiſci Repletionis & Inanitionis, ſed & particularum ſpaſmodicarum, ac inde ortæ exploſionis præternaturalis, debere fieri mentionem. Tales cogitationes videntur ſpecioſæ, nec deſtitui fundamento, re tamen penitus perſpectâ, ſunt parvi momenti. Itaque negotium hoc penitius examinandum eſt. Medicamentorum *Antiſpaſmodicorum*, primus *Williſius*, quod ſciam, vel ſaltem primi meminerunt recentiores. Terminus hic, medicamenta *Antiſpaſmodica* eſt notio ſecunda, non quid illa medicamenta propriè ſint, aut qua polleant efficaciâ, in genere conſiderata, ſed quam relationem habeant ad convulſiones, ſignificans. Non eſt planè rejiciendus hic modus loquendi, dummodo accuratè teneamus, illum tantum inſervire compendio loquendi, & conceptui relativo formando. Non eſt planè rejiciendus, ſed animadvertendum, illum nequaquam inſervire exprimendis facultatibus illorum abſolutis, ſed prout tantum eorum uſus in Convulſionibus tractandis aliquis eſſe poteſt. Diligentius autem eorum operatione perſpectâ, apparebit, antiſpaſmodica poſſe commodè referri ad quatuor haſce claſſes. Sunt vel ſpirituoſa, vel ſalia, tum volatilia, tum alkalia, vel diaphoretica,

tica, vel diuretica. Omnia autem hæc imprimis apta nata sunt ad Spasmum expugnandum, prout ille à me descriptus est. Omnia hæc vel spiritus excitant, vel depressionem cerebri emendant, vel sanguinem fluidum reddunt, vel diaphoresin promovent, vel urinam provocant, adeoque & repletioni & inanitioni sunt contraria. Repletioni contraria sunt spirituosa, prudenter usurpata, quandoquidem & spiritus excitant animales, & sanguinem fluidiorem reddunt, & depressioni cerebri resistunt, & cerebri flacciditatem emendant. Repletioni contraria sunt eadem spirituosa, quoniam sudorem & urinam provocando, nimiam repletionem imminuunt. Spirituosa illa eadem contraria sunt inanitioni, quandoquidem spiritus excitando, deliquio spirituum obviam eunt: quandoquidem juncta jusculis instaurantibus, viscera ad sanguinem novum & laudabilem generandum, disponunt. Salia volatilia itidem spiritus excitant, sanguinem viscidiorem attenuant, adeoque illum ad promptius subeundum, & pertranseundum vasorum minimas ramificationes aptum reddunt. Eadem illa salia, ut & alkalia fixa, sudorem & urinam movent, adeoque depressioni cerebri, à sanguine minus mobili ortæ, resistunt. Quid? quod evacuatio per sudorem & urinam, copiam etiam humorum, adeoque repletionem tollat? Quid? quod eadem salia, sanguinem incidendo & attenuando, eundem aptiorem reddant novis spiritibus animalibus generandis, qui præcipuè in inanitione desiderantur? Sudoris promotio non tantum seri viscidioris, sed & inflammatoriæ dispositionis remedium est, unde spasmi symptomatici, scorbutici, hysterici, hypochondriaci, ut & febriles ortum sæpe habent. Easdem virtutes obtinent diuretica, quæ in mensium obstructione, à qua sæpe spasmi vel oriuntur, vel graviores redduntur, & ad earum promotionem, & ad depletionem corporis universalis, summi sunt usus. Itaque tantum abest, ut hæc medicamenta Antispasmodica dicta evertant, ut potius omnino confirment meam sententiam, quandoquidem vel deplent corpus in universum spectatum, vel præcavent, ne humorum minor fluiditas repletionem particularem cerebri producat.

Non recensebo hic catalogum medicamentorum Antispasmo-

dicorum, titulus eſt admodum vagus & univerſalis. Videri poſſunt auctores, qui de hac materia ſcripſerunt, imprimis *Williſius*, *Untzerus*, *Quercetanus* &c. Sufficiet obſervâſſe, illa non eſſe promiſcuè in omnibus ſpeciebus in uſum vocanda. Quædam magis reſpiciunt morbum caducum, quædam Epilepſias ſymptomaticas febriles, quædam Epilepſias pediſſequas hæmorrhagiæ, purgationum, quædam Epilepſias Hyſtericas, Hypochondriacas & Scorbuticas. In tantum diſtant à ſe mutuo Convulſiones, ut *Opium* & *Opiata medicamenta* in quibuſdam caſibus omnino ſint omittenda, in quibuſdam primas abſolvant.

CAPUT DUODECIMUM.

De Affectu malè *Tetano exiſtimato :* Lumbagine *dicendo.*

Definitionis nominum utilitas.

HÆC eſt inſignis Geometriæ prærogativa, quod demonſtrationibus ſuis ſoliti ſint præmittere definitiones, ne nominum & vocabulorum ambiguitate quis deceptus in errores incidat. Non eadem eſt Medicinæ felicitas: medici vocabulis, è vulgari ſermone deſumptis, abſque ſufficienti determinatione utentes, non rarò lectorem reddunt ſuſpenſum, & de auctoris mente incertum. Apparet illud in Botanices ſcriptoribus non tantum; ſed & *Hippocratis* interpretibus. Idem etiamnum contingere patet ex affectu, de quo nunc diſputamus. Nempe cum aliquando contingat homines è lumbis laborare, adeo ut ſeſe inflectere non poſſint ſine ſummo dolore, hunc affectum quidam putant eſſe Tetanum. Hujus rei ratio non eſt admodum obſcura. Tetani mentio fit apud antiquos ſcriptores: tetanus rarò occurrit: in tetano dorſum riget: in tetano crura contrahere non poſſunt ægri. In hoc affectu inflectio corporis non ſine ingenti difficultate peragitur. Videntur ergo hæc duo ſymptomata ſic ſatis convenire. Alii Tetanum exiſtimarunt ſpaſmum flatulentum ordinariè dictum, de hac ſpaſmi ſpecie in ſequentibus erit dicendi locus.

Ut

Ut autem de hoc affectu commodius agam, imponendum est nomen verum. Dicitur linguâ nostrâ vernaculâ, het spit in de lendenen, Latinâ, *Lumbago*. Patet hoc non tantum è *Festo*, sed & *Philoxeni Glossario*, si unius literæ immutatione loco *Lumbaga*, legamus *Lumbago*. Græca magis corrupta sunt, legendum enim est ἰσχίȣ νόσημα, cum jam perperam scriptum sit ἰσχείȣ σόμματα. Non est tamen Ischii morbus, sed lumborum, uti postmodum videbimus: verum hoc condonandum est Lexiographo antiquo, in Medicina forsan non multum exercitato. Lumbago.

Est Lumbago *levis contorsio vertebrarum lumborum, cum rigiditate & flexionis insigni dolore.* Ejus descriptio.

Non esse hunc affectum Tetanum patet, quia nulla adest musculorum contractio p. n. in qua convulsionis natura consistit. Ubi æger decumbit quietè, situ commodo, nullus adest dolor: dolor exacerbatur, quando corpus inflectitur; flexio autem hæc manifesta, contractioni violentæ spasmodicæ contraria est: flexio pro libitu, quamvis cum difficultate, evincit hunc affectum non esse Tetanum. Non est Tetanus.

Locum affectum esse vertebras lumborum patet è dolore qui ibi percipitur: dolor ille sese exerit, quando æger corpus flectit, præcipuè quando pronus decumbit, & aliquis blandâ manus impositione contorsionem illam emendare conatur. Locus affectus.

Dixi hunc affectus esse contorsionem, ut eum à luxatione & subluxatione distinguerem, quandoquidem hasce graviora sequuntur symptomata, quandoquidem hæ magis indigent manuali operâ. Si quis tamen subluxationis vocabulo in latissimâ significatione uti velit, ut & hanc contorsionem suo ambitu complectatur, per me licet. Contorsio illa facit, ut ad motum corporis quemcunque, statim in lumbis sequatur dolor, quia scilicet corpus moveri non potest, quin simul vertebræ moveantur. Quemadmodum si inter manducandum vel minima membranula, vel fibrilla inter dentium commissuras fortius adigatur, atque ibi hæreat, statim solemus incommoditatem illam persentire, licet dentes è suis alveolis non dimoveantur, ita non est mirum, si vertebras lumborum aliquomodo contortas sequatur dolor, ubi vertebræ illæ commoventur. Est contorsio.

Cau-

Causa. Causa est subita, cum aliqua animi intensione, corporis inflexio, ponderis gravioris elevatio, vel superioris corporis partis circumductio; tum enim statim percipitur dolor, & flexionis difficultas, ita quidem, ut in primo insultu respiratio ipsa aliquomodo intercipiatur. Ubi autem ad difficiliorem spirituum influxum accedit refrigeratio, tum postea dolor intenditur.

Differentiæ. Differentia statui potest, quod alia sit gravior, alia levior. Deinde quod alia sola invadat, alia symptomatibas sit comitata.

Signa. Signa non essent admodum necessaria, nisi aliquando contingeret ægrotos negare, se vel circumflectione, vel incurvatione, vel ponderis elevatione esse læsos, id quod mihi non semel contigit, in quo casu oportet digitum loco affecto imponere, & explorare, num revera sit lumbago nec ne? Oportet interrogare an stupor pedis accedat? Oportet signa doloris nephritici habere perspecta, ne quis fallatur.

Prognosis. Affectus hic omnino caret periculo, si tamen in principio negligatur, si quis admodum refrigeretur, potest satis esse molestus.

Indicationes Indicationes sunt contorsionem illam quam primum restituere, nervos roborare, & symptomatibus occurrere.

Cura. Curatio perficitur extensione & restitutione, id quod facile perfici potest, si æger è manibus pendeat, & quispiam peritè admoveat dextram. Utile quoque est si manus, digitus, vel pollex loco affecto imponatur comprimendo, & crus celeriter ac cum impetu incurvetur. Vidi ego Chirurgum illud scitè & celeriter peragentem. Multum etiam juvat, si quis pronus in lecto cubet, manibus faciei admotis, & ita sese elevare annitatur. Dolent quidem lumbi, & locus affectus, postmodum tamen juvamen percipitur. Utile quoque est, si lumbi arctè constringantur.

Nervorum roboratione Nervi roborantur, si pars affecta linimentis calefacientibus inungatur: ex. gr.

℞. *Unguent. Martiat.*
Ol. Laurin.
Lumbricor. aa ℥ij.
M.

Sym-

Symptomata præcipua ſunt dolor & febris. Dolor deliniri poteſt utiliſſime, exhibendo medicamentum aliquod hypnoticum & ſudoriferum. ex. gr. Doloris mitigatione & ſudoriferis.

℞. *Athanaſiæ noſtr.* ℨß. vel ℈ij.
Cremor. diaphoret. ℈ß.
M.

ſumat cum cereviſia, vel vino tepido, ſub horam ſomni.

Febris quomodo curetur non eſt hic dicendi locus: ſufficiat obſervaſſe V. S. in plethoricis, & medicamenta ſudorifera temperata hic multum præſtare. Cura febris.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Morbo caduco, Epilepſiâ vulgò dicto.

MEmini me in *Platone* legiſſe, *Socratem* crus contrahentem & perfricantem, obſervâſſe, dolorem & voluptatem, quamvis videantur duo contraria, tamen ſibi mutuo ordinariè ſuccedere, & quaſi in una ſummitate eſſe copulata. Ὁ δὲ Σωκράτης, ἀνακαθιζόμενος εἰς τὴν κλίνην, συνέκαμψε τὸ σκέλος, καὶ ἔτριψε τῇ χειρὶ καὶ τρίβων ἅμα, ὡς ἄτοπον (ἔφη) ὦ ἄνδρες ἔοικέ τι εἶναι τοῦτο ὃ καλοῦσι οἱ ἄνθρωποι ἡδύ· ὡς θαυμασίως πέφυκε πρὸς τὸ δοκοῦν ἐναντίον εἶναι τὸ λυπηρόν. τῷ ἅμα μὲν αὐτὼ μὴ θέλειν παραγίνεσθαι τῷ ἀνθρώπῳ· ἐὰν δέ τις διώκῃ τὸ ἕτερον καὶ λαμβάνῃ. σχεδόν τι ἀναγκάζεσθαι ἀεὶ λαμβάνειν καὶ τὸ ἕτερον, ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς ἡμμένω δύ᾽ ὄντε. *Plato* in Phædone, ſtatim in initio. Ita mihi liceat affirmare motum voluntarium & convulſivum, quamvis videantur multum inter ſeſe diſtare, tamen reſpectu cauſarum ab iiſdem ſpiritibus animalibus, ab eodem dependere ſanguine. Illud ex eo facile colligitur, quod ſymptomata hæc ſint tranſeuntia, non permanentia, aliquando ſanos & ſemel tantum invadentia, à cauſâ ſolummodo externa. Deinde ii, qui ex intervallo morbo caduco ſunt obnoxii, concidunt ſubitò, os torquent, convelluntur, mox iterum reſurgunt, ratiocinantur, ad munia ordinaria revertuntur. Adeo ut adſtantes & ſpectatores quidem multum commoveantur è tali miſerabili inſultu, mirentur effectus ſtupendos, cum Socratis de dolore & voluptate judicium.

 tamen

tamen ante & poſt paroxyſmum exiguum in motu humorum obſervetur diſcrimen. Hinc concludere licet, abſque ſpirituum & humorum ingenti δυσκρασίᾳ Convulſiones poſſe produci. Hæc ideo animadvertenda fuerunt, ne ad effectus hoſce ſtupendos producendos concurrere credamus ea, quæ in rerum naturâ non dantur, miras & à veritate longiſſimè remotas ſucci nervei intemperies, ſanguinis inſignem immutationem, efferveſcentiam horum amborum, exploſiones & ſimilia, quibus immorari non libet.

Auctoris inſtitutum.

Quandoquidem autem ego id mihi negotii ſolum credidi eſſe datum, ut abſque ſuppoſitionibus falſis, è ſola partium ſtructurâ, nec non ſanguinis ac ſpirituum motu omnes explicarem morbos, omnia ſymptomata, videamus, an in morbo hoc ſtupendo idem præſtare valeamus?

Non eſt mihi propoſitum de variis, quibus hic morbus gaudet appellationibus, ac earum cauſis hic agere, factum eſt illud non ſemel à practicis, videri poteſt *Philotheus Elianus Montalto* in Archipathologia, *Sennertus* & alii.

Nominis ratio.

Quando huic capiti titulum facio de Morbo caduco, Epilepſiâ vulgo dicto, non ea mihi eſt mens, Morbum caducum non poſſe dici rectè Epilepſiam, ſed quod clarioris distinctionis gratia Morbus caducus, noſtro idiomate Vallende ſiekte dictus, debeat diſtingui à reliquis Epilepſiæ ſymptomaticæ ſpeciebus, quæ ab hoc toto cœlo diſtant: cujus rei cauſas in ſuperioribus explicavi. *Carteſium* hac in re imitor, qui cum Animæ vocem admodum ambiguam eſſe animadvertiſſet, Mentis vocabulo, ad animam humanam ſignificandam, uti maluit.

Deſcriptio Morbi caduci.

Ut ordine procedamus, à deſcriptione Morbi caduci faciendum eſt exordium. Morbus caducus eſt *Convulſio univerſalis & repentina, per intervalla repetens, cum ſenſuum internorum abolitione, è repletione potiſſimum ortum ducens.*

Ejus explicatio.

Dico morbum caducum eſſe convulſionem, quandoquidem, ut in ſuperioribus vidimus, omnes omnino Epilepſiæ ad Spaſmum in genere reducuntur. Addidi autem eam univerſalem eſſe, ut à ſpaſmis particularibus diſtinguerem. Omnia membra, omnes partes convelluntur, os contrahitur, faciei muſculi convelluntur: caput in terram aliquando ita impingunt,

gunt miseri, ut vulnerati discedant, manus, pedes, corporis truncum mirè contrahunt: clamant aliquando & vocem inconditam edunt. Stercus, urina, semen non semel involuntarie excernitur.

Quando addidi morbum caducum per intervalla repetere, illius memini proprietatis, qua potissimum ab aliis speciebus Epilepsiæ symptomaticæ distinguitur. Epilepsiæ febriles, hæmorrhagiam, purgationem vehementem, vulnera &c. excipientes, tum affligunt, ubi causæ illæ adsunt, sublatis iisdem non amplius repetunt. Adeo ut hæc specie non tantum Morbus caducus, sed & Epilepsia periodica rectè dici possit. Ideo Morbus caducus miserandum est symptoma, quandoquidem hoc correpti numquam sunt tuti, variis exponuntur periculis, ab igne, aqua, casu sibi non cavent, præcipuè quando absque ulla προφάσει adoritur. Est tamen non infrequens Epilepsiam hystericam etiam per intervalla repetere: verum in hac specie ordinariè vel præcesserunt, vel comitantur symptomata hysterica: vel commotio animi, odor gratus *Moschi*, *Sibethi*, aut simile quid ansam dedit novo paroxysmo. Aliquando etiam tanta est affinitas inter Morbum caducum, & Epilepsiam hystericam, ut ægre distinguantur.

Morbus caducus per intervalla repetit.

Adest in morbo caduco omnium sensuum internorum abolitio, quod in Epilepsiâ hystericâ non semper locum habet. Memini me adfuisse matronæ, hisce convulsionibus satis vehementibus correptæ, quam nos credebamus sensuum internorum omnimoda obnubilatione correptam, quæ tamen à paroxysmo liberata, referebat sese omnia, quæ gesta & dicta essent intellexisse, non potuisse tamen perceptionis signa edere. Convulsiones particulares, motus convulsivi, subsultus in somnis, spasmi flatulenti dicti, ab hoc affectu, mentis alienatione distinguuntur. Non videbatur necesse addere, sensus externos etiam aboleri, quandoquidem horum abolitio necessario nexu cum internorum abolitione cohæret. Ubi sensus interni sunt aboliti, sensuum externorum officium cessat. Licet hi non credantur munere suo fungi, dummodo sensus interni vigeant, manifestum postea fit, ægrotas actorum esse conscias,

Sensus internos abolet.

uti ex allato exemplo patet. Qua ratione homo ſenſuum internorum exercitio privetur, ex iis, quæ de ſomno præternaturali diſputavi, aliquomodo perſpicuum evadit, verum hic breviter dico: homo in morbo caduco ſenſibus internis privatur, quandoquidem impulſus externi ad organa ſenſuum externorum quidem, non autem ad ſenſorium commune, pertingunt. Verum difficile admodum eſt determinatu, quodnam ſit ſenſorium commune? Senſorium hoc commune non tantum exercuit, ſed & plurimum torſit hominum acutiſſimorum ingenia. Quandoquidem autem ego in ſuperioribus promiſi, me, hoc capite, hanc materiam pertractaturum, age, periculum faciamus, an negotium hoc arduum explicare, an nodum hunc Gordium ſolvere nobis liceat? In tractatione hujus quæſtionis eâ utar Methodo, ut primo negativè examinem, quid non ſit Senſorium commune, deinde affirmativè exponam quid ſit revera Senſorium illud? Circumducendus mihi eſt lector, ut tanto facilius in meam, quam unicè veram credo, ſententiam pertrahatur.

Glandula pinealis non eſt ſenſorium commune.

Dico igitur, glandula pinealis non eſt ſenſorium commune. Præterquam enim quod glandula hæc variis incommodis exponatur, illæſis mentis functionibus, ſitus ejus non eſt ſatis commodus, ut hoc munere defungi poſſit. Vidit *Regnerus de Graef* in glandula pineali arenulas aſperas, quarum aliquæ calculi nomen ob magnitudinem merebantur, illæſis mentis functionibus. Vide *Boneti* Sepulchretum l. 1. ſ. 1. obſ. 88. Glandula pinealis à *Johanne van Horne* nulla inventa. ibid. ſect. xvj. obſ. 8. *Kerkringius* itidem obſervavit, naturam glandulæ pinealis ne veſtigium quidem elaboraſſe in Juvene XIV. annorum. *Bonet*. ibid. ſect. x. obſ. 5. Nec obſtat quod hic fuerit mentis hebetioris, ſenſuum internorum exercitium non fuit planè ſublatum, deinde & lapis in cerebro repertus, ſubſtantia ejus flaccida, aqua falſiſſima in ventriculis reperta &c. non parum fecerunt, ad ingenii acumen obtundendum. Situs glandulæ pinealis eſt in ventriculis cerebri, quos opinionis hujus auctor malè ſuppoſuit ſpirituum animalium ſcaturigines & promptuaria, cum potius excrementa ſeroſa in iis ſæpiſſimè accumulentur. Res eſt adeo manifeſta, ut probatione non indigeat,

vide

vide passim *Boneti* Sepulchretum. Rectius *Willisius* docuit, hosce veluti in inane spatium desinere: qui videri potest. Quid? quod nulla sit communicatio, nullus nexus extremitatus nervorum cum glandula pineali? Itaque hæc opinio rectissime à *Thomâ Bartholino* repudiatur Anat. Reform. l. III. c. 6. Potest ad illustrationem & hoc addi. Si requiratur tam exquisita oculi structura ad radios luminis recipiendos, refringendos, & transmittendos si tantus humorum diversorum numerus, tanta tunicarum requiratur varietas ad organi visus constitutionem: si aurium tam varia & admiranda necessaria sit conformatio: quanta & qualis debebit esse structura illius partis solidæ, quæ ab hisce diversis objectis, pro singulorum naturâ diversimodè afficietur? Debebit esse oculorum oculus, aurium auris, linguæ lingua, omnium sensuum externorum veluti compendium: adeoque artificiosissimè & è diversissimis partibus contexta, quod cum in glandula pineali non reperiatur, hinc nascitur opinio, glandulam pinealem non esse sensorium commune. Quando ego affirmo, spiritus immediatè mentem afficere, uti è sequentibus patebit, non eædem remanent difficultates, quandoquidem fluida diversissimis motibus agitare, diversissimè partes afficere possunt. Aëris diversus motus visum, auditum, odoratum, caloris & frigoris sensum in nobis efficit: quid ni spirituum animalium diversissima agitatio, diversissimas in mente sensationes excitet?

Corpora striata *Willisii* non sunt sensorium commune. Præterquam enim quod nervorum omnium extremitates eò non pertingant, sensorium commune est substantia non duplex, sed una & simplex. Non agimus de sensoriis communibus, uti de sensibus externis, sed de sensorio communi, quod eo ipso supponimus non esse geminum. *Willisii* autem corpora striata sunt duæ distinctæ cerebri partes, atque adeo mens deberet simplices sensuum impressiones tanquam duplices recipere, adeoque semper in numero errare. Denique non videtur cum natura mentis quadrare, eam vel in uno (glandulam pinealem intelligo) loculamento, tanquam militem excubias agentem, collocare, vel eandem illam mentem simpli- Nec corpora striata.

cem & cogitantem ſubſtantiam, extenſionis expertem, tanquam κειμέλιον aliquod duabus arculis includere.

Nec cerebellum.

Senſorium commune non eſt cerebellum, aut partes cerebri poſteriores, quandoquidem ſenſuum externorum organa ope ſpirituum animalium diſtinctiſſimas ſenſationes in mente noſtra producunt, quod non fieret, ſi cerebellum fungeretur ſenſorii communis munere. Præterquam enim quod nulli nervi à cerebello, nec omnes à protuberantiâ annulari oriantur, longo nimis intervallo varii nervi à cerebello diſtant, quam ut impreſſiones diſtinctas hinc in eodem excitari poſſint. Deinde nervi anteriores verſus poſteriora, poſteriores verſus anteriora, per varias ambages, motus ſpiritibus animalibus impreſſos verſus cerebellum deberent deferre, unde confuſio ingens ortum ductura videtur. Denique cum ſenſorium commune tale debeat ſtatui, quod non tantum percipiat, ſed & immediatè, pro voluntatis arbitrio, determinet ſpiritus animales verſus hos vel illos muſculos, ſenſorium commune tale debet ſtatui, quod immediatè non tantum in ſpiritus, minori copiâ à cerebello productos, ſed & in omnes omnino à totius cerebri compage ſecretos, imperium obtineat: quod cum cerebello tribui non poſſit, nec cerebellum rectè ſtatuetur ſenſorium commune.

Ne quartus cerebri ventriculus.

Non poteſt quoque quartus cerebri ventriculus, ab *Herophilo* calamo ſcriptorio comparatus, dici ſenſorium commune, quoniam non tantum omnium eſt minimus, ſed & extra cerebri, cerebelli, & medullæ oblongatæ pomoeria conſtitutus. Quamvis enim hic dicatur nobilis, non eſt tamen revera nobilis, ſed tum impoſitum eſt illud nomen, cum cerebrum laminatim dividendo eum poſtremo loco invenirent. Quid? quod hæc opinio ſupponat ventriculos cerebri ſpirituum animalium eſſe promos condos?

Non partes cerebri poſteriores.

Nulla etiam poſteriorum cerebri partium, in oppoſitione ad anteriores, poteſt ſtatui Senſorium commune, quandoquidem ſi ad ea, quæ in nobis fiunt, diligenter attendamus, experimur in attentâ cogitatione anteriora cerebri quaſi expandi, ibidem quaſi lumen quoddam, mentem noſtram illuſtrans, diffuſum eſſe. Deinde in obfuſcatione intellectus, ſomnolentiâ,

tiâ, & somno naturali, in quo sensuum exercitia interrumpuntur, anteriores cerebri partes videntur manifestius affici. Est aliquis somnolentus? Visus obscuratur, palpebræ concidunt, oculi clauduntur, caput nutare incipit. Evigilat aliquis? Videntur anteriores partes cerebri quasi illustrari, unde impressiones ab objectis externis emanantes ad interiora vividè transferuntur; mens percipit, vigilantium munia obeuntur.

Nec anteriores.

Non possunt etiam anteriores cerebri partes statui sensorium commune, quandoquidem omnes partes ejus (infundibulum & glandulam pituitariam negligo, corpus callosum, fornix, septum lucidum huic muneri sunt inepta, de glandula pineali egi) sunt geminæ, ipsa medulla oblongata gemina. Gemina fornicis crura, gemini thalami nervorum opticorum, adeoque eadem huc quadrant, quæ antea de corporibus striatis disputavi. Sensorium commune quærimus, non sensoria.

Nec cerebrum ipsum.

Galenus τὸ πρῶτον αἰσθητικὸν μορίον dixit esse τὸν ἐγκέφαλον, illique tribuit siccitatem & calorem, manifesto argumento, ipsum minus distinctum formâsse conceptum sensorii primi. Nam, ut alia prætercam, quæ è dicendis elucescent manifestissimè: an totum cerebrum omnesque ejus partes simul sensorii communis fungentur munere? An singulæ seorsim aut successivè? Atqui omnes partes simul sensorii communis munere defungi non poterunt, quandoquidem constitutione diversissimæ sunt, numero plures, pleræque geminæ, sensorium autem commune debet esse unum & simplex. Eodem modo evincere possumus, partes aliquas seorsim non fungi hoc munere, quandoquidem illæ partes debebant determinari, deinde sensorium commune sese non habet instar cohortis militaris, cujus singuli milites sibi mutuo in statione & excubiis succedunt. Quod si quis velit, cerebrum nominari totum, partem vel partes singulares significari, dico malè, in hoc negotio, partes singulares totius denominari appellatione. Deinde cerebrum ita affabrè factum est, ut quædam ejus partes inserviant secernendis spiritibus animalibus, quædam transmittendis, quædam distribuendis. Quod si autem hæc munia pervertantur, maxima orietur confusio. Quid? quod munia hæc immutari non possint, quin simul fabrica deberet immutari, quod valdè absurdum est, fabrica enim functionibus exercendis proportionata est.

Fa-

Transitio.

Facilius aliorum ſphalmata culpantur, quam propria vitantur. Facilius aliquis ædes antiquas, infirmas, nec ſatis commodas diruet, quam meliores & nullis vitiis obnoxias, ædificabit. Itaque inquirendum reſtat, ſi omnes hæ ſententiæ conſiſtere non poſſint ſi illæ partes, quæ hactenus creditæ ſunt ſenſorium commune, imo ſi quicquid conſiderationem aliquam mereri poteſt, munere hoc excidat, quodnam debeat ſtatui ſenſorium commune? Quandoquidem aliis licuit ſuas opiniones & conjecturas etiam falſas obtrudere, detur mihi venia, in materiâ adeoarduâ, meam ſententiam veram (ut opinor) proponere.

Quid ſit ſenſorium commune?

Antequam autem explicem meam mentem, inquirendum eſt, quid per ſenſorium commune *Ariſtoteli* τὸ πρῶτον ἀισθητήριον *Galeno* τὸ πρῶτον αἰσθητητικὸν μορίον intelligatur? Ratio, quare omnes auctores hallucinati ſint, ex eo videtur originem præcipuam habuiſſe, quod ſignificationem vocabuli non ſatis determinantes, ipſius rei vagum & confuſum formarint conceptum. Ne in eandem Charybdim & incidam ego, primo inquirere ſtatui, quid per ſenſorium, tum quid per ſenſorium commune debeamus intelligere? Stephanus *in Lexico:* Αἰσθητήριον. ου. τὸ. *Senſorium, pars ſenſoria. Alii exponunt ſentiendi organum, ſeu inſtrumentum:* *nonnulli* ἀισθητήριον *Domicilium ſenſus, ſeu ſedem ſenſoriam. Quidam & partem ſentiendi miniſtram interpretati ſunt.* Martinius *in* Etymologico. *Senſitorium & Senſorium ſunt BARBARA* ſcholaſtica *pro* αἰσθήτήριον *: id eſt, organum ſentiendi. Hebr.* v. αἰσθητήριον *pro ipſo ſenſu, hoc eſt intellectu ponitur.* —— *Verbum* רָגַשׁ *eſt inter alia ſonare, tonare & ſentire. quo etiam confirmari poſſit, quod de etymo verbi ſentio ſupra diximus. SENTIO, 1. cognoſco ſenſu, quod ad corpus pertinet: ſpeciem corporalem organo corporeo percipio: 2. cognoſco quovis modo, animadverto, intelligo. 3. Judico: unde SENTENTIA, judicium ſeu judicatum.* Hæc ſunt admodum ambigua, niſi probè diſtinguantur. Vocabulum ſenſorii latiſſimam ſignificationem explicant. Videntur intelligere ſenſorium externum, ſed non intelligunt ſe huic tribuere id, quod ad ſenſorium commune & mentem ipſam pertinet. Non diſtinxerunt tres ſenſus gradus, quo-

quorum primus ad corpus, reliqui ad mentem pertinent.

Itaque ſenſorii vocabulo propriè intelligimus ſenſuum externorum organum, ſeu organum corporeum affabrè factum, in quod propria objecta diverſimodè agunt, hoc eſt, varium motum imprimunt. Ita ſenſorium eſt oculus, auris, lingua. Huic admodum impropriè tribuitur cognitio, cum ea ad organa externa non pertineat.

Cum autem ſenſorium commune, eâdem ſenſorii appellatione gaudeat, imaginati ſunt Auctores & Philoſophi partem unam in cerebro debere inveniri, quæ ab omnibus ſenſibus æqualiter pateretur, quæque cum oculus non ſit, à motu corporeo afficeretur, quæque cum auris non ſit, nihilominus audiret; cum lingua non ſit, nihilominus guſtaret, & ſic porro, hancque exiſtimarunt, ſi non ſtructurâ, ſaltem mole & ſoliditate debere aliis ſenſoriis eſſe ſimilem. Cumque diceretur *membrum* & *particula*, ſcrutati ſunt omnes cerebri receſſus, ut corpuſculum aliquod invenirent huic officio par, atque alius hanc, alter illam ſtatuit partem, uti vidimus. Verum vanus & irritus fuit labor, cum conſtet partes excogitatas huic muneri eſſe ineptas. Senſorium commune adeo mihi ſenſus communis ſedes non malè videtur poſſe appellari. Debet eſſe planè aliud, quam quod hactenus indefeſſo labore à pluribus quæſitum, à nullo, quod ego quidem ſciam, inventum eſt. Gaudemus quinque ſenſuum externorum organis, hæc autem propriè non ſentiunt; neque enim oculus propriè videt, nec auris audit, aut lingua guſtat, aut nares olfaciunt, præterea ſenſus famis & ſitis, voluptatis & doloris in nobis excitatur, plane diſſimilis motui corporeo, cujus occaſione perceptio hæc in nobis oritur: quatenus nempe à motu corporeo ſpiritus animales variè impulſi, & agitati motum illum verſum interiora deferunt, ſenſationem producturi. Hinc enata opinio omnes illos motus varios in uno veluti centro debere congregari, ad ſenſum h.e. ſenſationem excitandum. Illam autem partem, in qua omnes non tantum ſenſuum externorum, ſed & partium & viſcerum motus, ultimò terminarentur, donarunt nomine *ſenſorii communis*.

Vidimus in genere, quid per ſenſorium commune intellexerint

rint auctores : verum ut magis diſtinctè poſſimus cognoſcere ea, quæ in ſenſorio communi requiruntur, non inutile erit illa enumerare.

Requiritur I. ut ſit pars una, quia motus à duplicibus ſenſoriis externis in eo velut uniri debent. Hinc ab auctoribus in nomine ſingulari de ſenſorio communi τῷ πρώτῳ αἰσθητηρίῳ agitur.

2. Ut illa pars motus ſpirituum animalium ab omnibus organis & membris delatos recipiat. Alias enim ſenſorium commune non poſſet eſſe, niſi afficeretur à ſpirituum animalium motu.

3. Ut motus ſpirituum animalium ad illud, tanquam metam, pertingentes, ibi veluti finiantur, & quaſi deſinant. Ideo enim ſenſorium commune ſtatutum fuit, quia ſpiritus animales in ſenſoriis externis & membris agitati, illum motum ulterius deferunt. Hinc *Martinius* malè ſtatuiſſe cenſendus eſt, quando primam ſignificationem vocis *ſentire* dixerit *cognoſcere ſenſu*, ſeu, quod idem eſt, ſenſus primum gradum exiſtimaverit cognitionem in ſuo conceptu involvere, cum cognitio ad ſenſus externos non pertineat nec motum in ſuo conceptu involvat. Melius *Carteſius*, uti videbimus, primum ſenſus gradum ad motum corporeum reſtringit.

4. Ut ſenſuum externorum objecta varia percipiat, inter ſeſe comparet, ac dijudicet. Hinc dicitur τὸ πρῶτον αἰσθητήριον, quandoquidem illud primum percipit id, quod ab objectis externis, ope ſpirituum animalium, verſus interiora defertur. Nam niſi αἰσθάνεσθαι hic eſſet percipere, fruſtra τὸ πρῶτον fuiſſet additum, cum ſenſorium externum prius quam ſenſorium commune afficiatur. Vidit hoc *Carteſius*, quando in conario, ſeu glandulâ pineali ideas depingi ſtatuit. Hinc ſentiendi vocabulo & percipere, & cognoſcere, & judicare, intelligitur, uti vidimus.

Lubet & quintum, de quo *Carteſius* egit, munus addere; ſcilicet ſenſorii communis munus eſt, determinare motum ſpirituum animalium verſus has, vel illas partes. Huic negotio putabat admodum aptam glandulam pinealem, quia ea in medio ventriculorum ſita facile in hanc & illam partem vergere poterat.

terat. *Stephanus Chauvinus* in Lexico Philosophico sensorii communis non meminit, sed sub titulo *sensationis communis* ea habet, quæ hisce lucem fœnerantur. *Sensus communis differentias inter variorum sensuum externorum objecta apprehendit, à se invicem distinguit. Videtur hic sensus communis duplicem involvere actum: quorum prior, per quem, tanquam sensum reflexum, animal cognoscit, seu sentit se sentire: cum enim sensus externi, horumve sensoria suas actiones non percipiant, id est, oculus non sentit se videre, nec lingua se degustare* &c. *requiritur superior quædam facultas, quæ sensationes externas percipiat, & per quam de illis judicemus, id est non tantum videamus, sed observemus non videre. Deinde idem sensus etiam sensibilia distinguit illa sc. quæ sunt diversorum sensoriorum objecta. v.g. colorem & saporem, sed & ejusdem proprie sensorii v. g. rubrum ab albo.* Hæc si quis diligenter perpendat, is facile perspiciet partem cerebri solidam nullam dari, cui hæc omnia tribui possint. Examinavimus singulas: quæ considerationem aliquam mereri posse videbantur, sicco transivimus pede nullam, nulla inventa est. Deinde perceptio & judicium, quæ in conceptu sensorii communis necessario involvuntur, corpori tribui non possunt. Denique sensorii communis appellatio, quemadmodum vocabulo idem est cum sensoriis externis, ita reverâ longè ab hisce distat, quandoquidem ad hoc cognitio & judicium pertinet. Nihil sentit, hoc est, sensationes percipit, præter mentem. Partibus corporeis præter extensionem & motum nihil tribui potest.

MENS IPSA EST SENSORIUM COMMUNE, QUATENUS CORPORI UNITA, AB OMNIUM SENSUUM EXTERNORUM ORGANIS AFFICITUR, ATQUE ITERUM SPIRITUS VERSUS MEMBRA DETERMINAT.

Mens absolutè considerata intelligit, cogitat, vult, judicat. Mens corpori conjuncta sentit, se sentire percipit, de objectis corporeis judicat, iterum in corpus solo voluntatis nutu agit. In mentem, hoc modo consideratam, omnia illa quadrant, quæ in sensorio communi requiruntur. 1. Mens est una, una ab omnibus sensoriis afficitur. Sensorium commune, id est, mens, non est pars corporis, sed pars nostri.

Parte tamen meliore mei supra alta perennis.
Astra ferar.

2. Mens corpori unita omnes spirituum animalium motus recipit: adeoque est sensorium universale & primum. Mens est oculi oculus, auris auris, gustus, olfactus, tactus, appetitus instrumentum, organum organorum, & ut cum *Platone* loquar Mens est αἰσθήσεων αἴσθησις. in Charm. p. m. 472. 3. Motus corporei in mente finiuntur, quandoquidem ad mentem delati, sensum, hoc est perceptionem efficiunt, adeoque desinunt esse motus corporei; sed 4 sensationes, quam *Cartesius* rectè alterum sensus gradum constituit. Comparando has sensationes inter se, mens de sensuum impressionibus judicat. Datâ operâ & consulto, in enumeratione eorum, quæ ad sensorium commune requiruntur, secundum & tertium sensus gradum conjunxi, quoniam uterque ad mentem pertinet: ex utroque æque firmum petitur argumentum, sensorium commune esse ipsam mentem. Sensatio omnis, quæ cogitationem in suo conceptu involvit, evincit mentem esse sensorium commune. 5. Tandem mens, prout corpori est unita, solo voluntatis nutu spiritus animales versus varias partes determinat, adeoque motum voluntarium efficit. Pars nostri melior absolutè considerata dicitur *mens*, quatenus corpori unita est *sensorium commune*, diversis appellationibus eadem res, diverso respectu, exprimitur, uti videbimus.

Videbuntur forsan hæc quibusdam ingens paradoxum, videbor fortè aliis nihil novi dicere. Utrisque est satisfaciendum. Ostendendum ergo est, hæc esse verissima, ostendendum porro, ante me hæc dixisse neminem, sed omnes in eo delusos esse, quod cum non animadverterent, sensorium commune dici ipsam mentem, in quantum ea consideratur, tanquam corpori unita, adeoque talis, quæ à sensibus externis possit affici. Sensorium commune non potest esse pars corporea, quandoquidem excellentissimum, quod ad sensorium requiritur, quodque hoc ab externis distinguit, cogitationem involvit. Sentire, ut rectissimè *Martinius* explicuit, est COGNOSCERE SENSU, in eo tantum lapsus est, quod cum corpus

pus ſenſoriis gauderet externis, putaverit τὸ cognoſcere ad corpus quoque pertinere: motus ſenſoriis externis impreſſus pertinet ad corpus, motus ſpirituum animalium, fibrillas nervorum ad ſenſoria externa diſperſa replentium, delatio ad intima cerebri penetralia, ad corpus pertinet: ibi non afficitur corpus ſolidum, organum corporeum, domicilium mentis, ſed ipſa mens, quæ propriè *ſentiendo cognoſcit.* Non malè etiam obſervavit *Martinius* in Epiſt. ad αἰσθητήρια *Hebræos* poni pro intellectu, quandoquidem ibi ſermo eſt de ſapientia, quæ acquiritur legendo & audiendo ſacras literas; ſermo enim Chriſti in nobis habitare debet in omni ſapientiâ. Fides eſt ex auditu. Ita quequando legendo diligenter, & audiendo attentè & reverenter proficimus in ſapientiâ & prudentia ſpirituali, tum dicuntur αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλȣ͂ τε ϗ κακȣ͂. Operæ pretium eſt ſententiam meam in ſuperioribus propoſitam confirmare.

Confirmatur hæc opinio & ab Antiquis, & à Recentioribus. Non quod illi idem dixerint, quod ego in antecedentibus, ſed quod ea dixerint, ex quibus argumenta formari poſſunt, quæ ſententiæ meæ ſtabiliendæ non parum conducunt. Licet ego quibuſdam fortè videor dixiſſe ingens paradoxum, hinc patet, me non dixiſſe heterodoxum, quandoquidem illi ipſi, qui hæc ignorarunt, aliqua dixerunt, quæ ad confirmationem meæ ſententiæ faciunt. Ariſtoteles l. III. de Anima. c. 3. Ἐπεὶ δ' δύο διαφοραῖς ὁρίζονται μάλιϛα τὴν ψυχὴν κινήσει τε τῇ κατὰ τόπον, ϗ τῷ νοεῖν ϗ τῷ κρίνειν, ϗ αἰσθάνεσθαι. δοκεῖ δ' τὸ νοεῖν ϗ τὸ φρονεῖν ὥσπερ αἰσθάνεσθαι τι ἐῖναι. ἐν ἀμφοτέροις γὰρ τȣ́τοις ἡ ψυχὴ κρίνει τι ϗ γνωρίζει τι τῶν ὄντων· ϗ οἱ ἀρχαῖοι τὸ φρονεῖν ϗ τὸ αἰσθάνεσθαι ταὐτὸν ἐῖναι φασιν, ὥσπερ ϗ Ἐμπεδοκλῆς εἴρηκε

Confirmatio petitur ab Antiquis.

Πρὸς παρεὸν γὰρ μῆτις ἀέξεται ἀνθρώποισι.
ϗ ἐν ἄλλοις
--ὅθεν σφίσιν αἰεὶ
Καὶ τὸ φρονεῖν ἀλλοῖα παρίςαται.

Proponit in principio hujus capitis *Ariſtoteles* ſententias Antiquorum poſtea jugulandas. Nolim refutationi, nec iis, quæ

hoc capite animadversione dignissima occurrunt, discutiendis immorari, sufficiet observâsse ea, quæ senserunt, non parum facere ad confirmationem sententiæ in superioribus propositæ. Vides itaque antiquos opinatos esse animæ vim sese in duobus potissimum exerere (sc. in quantum corpori conjungitur) in motu locali, & in intelligendo, discernendo & sentiendo: sentire autem & sapere idem esse. Debet itaque anima, seu mens, necessariò esse sensorium commune, quandoquidem illud solum sentit: non potest esse aliud quam mens, quandoquidem sentire & sapere idem est. Nihil potest sentire, quin simul possit sapere, hoc est, sapientiæ esse capax: jam autem sapientia menti soli competit: mens ergo sola sensorium est commune.

Fernelio. *Fernelius* sensum communem dixit *principis sensus unam facultatem, quæ externarum rerum varietates discernit, internoscit, & judicat.* Cum autem discernere, internoscere, judicare sit mentis solius opus, manifestum est, sensorium commune esse ipsam mentem, uti diximus. Itaque impropriè *cerebrum proprium sentiendi instrumentum* appellat, cum spiritus animales, qui immediatè mentem afficiunt, quidem in cerebro generentur; sed tamen illi ipsi spiritus cerebro vim sentiendi, internoscendi, discernendi & judicandi tribuere non possunt.

Sennerto. *Sennertus* hæc habet: *Communis sensus omnino ponendus est. Cum enim animalia cognoscant differentias inter variorum sensuum objecta propria, sensus autem externi hoc præstare non possint; cum quilibet tantum suum objectum proprium agnoscat, omnino aliquis sensus internus statuendus est, qui omnium sensuum objecta apprehendat* (unde etiam communis sensus appellatur) *& à se invicem discernat, & colorem à sono, odorem a sapore, saporem a calido, calidum a nigro,* &c. *differre cognoscat. Præcipua enim officia sensus communis sunt, omnium exteriorum sensuum objecta mediis sensibus externis percipere: cognoscere & sentire, nos sentire.* &c. Epit. Nat. Scient. l. VII. c. 7. Dico ego *objecta apprehendere, discernere, percipere, cognoscere*, & *sentire nos sentire*, sunt omnes mentis operationes, uti postea è *Cartesio* patebit. Cum autem hæc sensui communi tribuantur sensorium commune erit ipsa mens. Dixit ergo *Sennertus* & Antiqui ea, quæ ad sententiæ meæ proba-

bationem manifeſtè faciunt : ille ipſe tamen *Sennertus* ea ignoravit, quæ ego hic ſtatui, quæque ex ipſius verbis manifeſtiſſimè evici. Hoc ut pateat, ſciendum eſt, verba à me citata deſumpta eſſe è paragrapho ſecundo, in primo dixerat : ſenſus internos per externos *moveri.* Qui tantillum aſſuetus eſt de rebus formare diſtinctos conceptus, is novit, quicquid extenſionem & motum in conceptu ſuo involvit, id pertinere ad corpus, nihil ad mentem pertinere præter cogitationes, ergo *Sennertus* eidem tribuens & *cognoſcere cum conſcientia* & *moveri*, ſtatuit ἀσύστατα, adeoque ea, quæ ego hic confirmo, ignoravit. Deinde ſtatuens *ANIMALIA cognoſcere differentias inter variorum ſenſuum objecta propria*, tribuit unum idemque *brutis* & *hominibus*, cum manifeſtum ſit, brutis deeſſe mentem cogitantem & cum conſcientiâ cognoſcentem. Quid? quod brutis *judicium* diſcernendi coloris à ſono tribui non poſſit? Itaque rectè hinc mihi videor concludere, *Sennertum* confuſè de ſenſu communi egiſſe, adeoque ignorâſſe ea quæ ego in ſuperioribus ſtatui, quandoquidem ea diſtinctionem mentis à corpore ſupponunt. *Sennertus* autem animæ brutorum ea tribuens, quæ menti noſtræ ſoli conveniunt, manifeſtiſſime declarat, ſe nec mentis humanæ, nec animæ brutorum unquam diſtinctum conceptum formaſſe.

Confirmatur mea ſententia imprimis è *Carteſio*, qui rectiſſimè Carteſio. ſtatuit : *perſpicuè videmus nullam extenſionem, nec figuram, nec motum localem, nec quid ſimile, quod corpori tribuendum ſit, ad naturam noſtram pertinere, ſed cogitationem ſolam.* —— *Cogitationis nomine, illa omnia intelligit quæ nobis conſciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conſcientia eſt. Atque ita non modo intelligere, velle, imaginari, ſed etiam ſentire, idem eſt hic, quod cogitare.* Part. I. Princ. Phil. §. 8, 9. Vides, ſi *ſentire* ſit *cogitare*, ſi *cogitare* ad mentem planè pertineat, *ſenſorium commune* non poteſt eſſe pars corporea, nec *glandula pinealis*, quum ea ſentire, hoc eſt, cogitare non poſſit, adeoque nec ſenſorii communis munere fungi. Id amplius confirmatur ex iis, quæ de tribus ſenſuum gradibus habet modo laudatus Auctor in Reſponſ. ad Object. VI. §. 9. *Ut rectè advertamus, quænam ſit ſenſus certitudo, tres quaſi gradus in ipſo ſunt diſtinguendi. Ad primum pertinet tantum illud,*

quo

quo immediatè afficitur organum corporeum ab objectis externis, quodque nihil aliud esse potest, quam motus particularum istius organi, & figura & situs mutatio, ex illo motu procedens. Secundus continet id omne, quod immediate resultat in mente ex eo, quod organo corporeo sic affecto unita sit, talesque sunt perceptiones doloris, colorum, soni, odoris &c. quas oriri ex unione ac quasi permixtione mentis cum corpore, dictum est. Tertius comprehendit omnia illa judicia &c. Vides tres gradus statui sensus, in primo *organum corporeum* afficitur: in secundo *mens IMMEDIATE*: itaque inter motum organi externi, & perceptionem mentis, non intercedit aliud organum glandula pinealis, quod percipiat, quandoquidem sensorio externo moto (intellige & spiritum animales versus illud distributos) in mente *immediate* resultant perceptiones doloris, soni, coloris, quod non fieret, si necesse foret intercedere tanquam internunciam glandulam pinealem; alias enim mens, à motu organorum corporeorum, non afficeretur IMMEDIATE. Denique cui bono tertium quid intercedet, cum spiritus animales satis vividè mentem afficere possint? Quod potest fieri per pauciora, quid opus est ut fiat per plura? Perceptiones tales mentis *oriuntur ex unione, & quasi permistione, mentis cum corpore.* Potestne aliquid dici magis confirmans determinationem sensorii communis, a me in superioribus propositam? *Mens est sensorium commune, quatenus ipsa ab omnium externorum sensuum organis afficitur, atque etiam spiritum versus membra determinat*: nam illa perceptio, & determinatio spirituum, debetur unioni mentis cum corpore.

Causæ ignorantiæ & errorum.

Cum explicatio & determinatio Sensorii communis, à me in superioribus proposita, sit adeo manifesta, mirum videri possit, quare hoc à perspicacissimi ingenii Viris & Philosophis hactenus animadversum non sit, itaque rem nec ingratam nec inutilem me facturum crediderim, si fontes errorum detegere coner. Illud enim ad formandum judicium non parum conducit. Causæ errorum plures mihi videntur.

I. Prima causa est, quod nomenclatura nos sæpe decipiat. Existimamus non rarò ubi diversa nomina pronunciari intelligimus, diversas res illis nominibus debere significari, quod ta-

tamen non ſemper eſt verum. Eadem res, idem ſubjectum, ſæpe diſtinctis appellationibus inſignitur, quæ quamvis diverſiſſimæ ſint, unum tantum hominem, vel unam rem ſignificant, verum ſub aliâ relatione. Ex gr. *Alexander Magnus* poteſt dici *Philippi filius : Macedonum Rex : Victor Darii : Conditor tertiæ Monarchiæ : Diſcipulus Ariſtotelis : Interfector Clyti.* Omnium harum appellationum unum idemque eſt ſubjectum, relationum variarum diverſitas, diverſitatem appellationis peperit. Hæc facile percipiuntur, nec hæc obvia nos in errorem inducunt. In Philoſophiâ diligentius attendendum eſt, an diverſa nomina res diverſas, an eandem ſub aliâ relatione denotent. Materia prima, & corpus in univerſum ſpectatum, non ſunt duæ res diverſæ, ſed una & eadem diverſo reſpectu, in quantum materia prima non differt quidem à corpore in univerſum ſpectato, ſed conſideratur reſpectu ad corpora particularia, quæ ex eâ conſtitui poſſe intelliguntur. Corpus in univerſum ſpectatum, eſt appellatio abſoluta, materia prima, relativa. Forma ſubſtantialis, & diſpoſitio varia corporis reſpectu magnitudinis, figuræ, motus, quietis, cohæſionis, proportionis minimarum particularum, è quibus totum componitur, re ipſâ non differunt, differunt tantum modo conſiderandi, & appellatione, quæ illi conſiderandi modo innixa eſt. Figura, motus, quies, particularum varia conſtitutio, &c. poſſunt dici modi corporis, in quantum corpora ab hiſce varie modificantur, ſi nempe ſingula hæc ſeorſim, & in genere conſiderentur, poſſunt tamen ſimul ſumpta, quatenus ab iis dependent omnes omnium corporum differentiæ, conſiderari tanquam forma, quia ab hiſce ſimul ſumptis, & conſideratis tanquam tale corpus in ſpecie ex. gr. aurum, argentum, æs conſtituentibus, omnis diverſitas & diſtinctio corporum pendet. Eodem modo ſeſe habet res in hoc negotio. Mens & Senſorium commune eſt eadem omnino res, denominatio & relatio differunt. Mens abſolutè conſideratur tanquam ſubſtantia cogitans, intellectu & voluntate prædita. Senſorium commune eandem illam mentem ſignificat, verum quatenus corpori organico eſt arctiſſime conjuncta, adeoque ab illo affici, atque iterum in illud agere poteſt; vel ſi diſtin-

ctius loqui velimus, prius illud sensorii communis & primi appellatione à veteribus indigitatum est, atque sensorio communi tributum est, alterum, regere corpus τῦ ἡγεμονικῦ munus est, uti in sequentibus explicabo. Mens est nomen absolutum, mentis essentiam exprimens: Sensorium commune non mentis essentiam, sed relationem, quam habet ad sensus externos, & spiritus animales, ope motus corporei sensationes in eâ, modo à nobis incomprehensibili, excitantes, exprimit. Mens est nomen generale, complectitur unum hoc vocabulum omne id, quod ad ejus essentiam pertinet: verum cum cognitio nostra sit finita, mens de rebus ad sese pertinentibus, de variis suis facultatibus successivè, & sub alia atque aliâ relatione cogitat: variis nominibus hæ relationes exprimuntur. Dicitur sensorium commune respectu perceptionis objectorum, quæ illam ope organorum exteriorum & spirituum animalium afficiunt, & hæc est maximè propria hujus vocabuli significatio, quamvis aliquando latius etiam à *Cartesio* sumatur, nempe prout spiritus versus has vel illas partes determinat: verum uti statim vidimus, hoc ab antiquis nomine ἡγεμονικῦ expressum est. Expressit illud pulchrè *Sallustius*, *Animæ imperio, corporis servitio utimur.* Tribuuntur etiam menti, vel cerebro (confusè enim hæc traduntur) facultates principes, in quantum intelligere, ratiocinari, judicare, velle, multo excellentiora sunt, quam cibum capere, excrementa excernere, manibus victum quærere &c. Atqui hæc mihi abundè sufficere videntur, ut detegatur primus confusionis & ignorantiæ fons, quem appellationum diversitas peperit. In sequentibus adhuc plura explicabo vocabula; hæc enim sunt scitu jucunda & pulchra.

II. Altera erroris causa est, quod mentem & corpus non satis distinxerint. Hæc antiquos omnes in errores varios impulit. Impulit hæc eadem causa *Cartesium* nec non ejus sequaces in errores circa sensorium commune, quamvis absolutè de mente & corpore agentes sese ab erroribus antiquorum vindicassent. Quæsiverunt *locum* & *sedem* animæ. Verum, uti in sequentibus videbimus, mens nullam ad locum relationem habet, mens tantum agit intelligendo & volendo. Corpus extensum est, corpus dividi potest in par-

partes plures: in mentem nec extensio nec divisio cadit. Sensorium commune relationem ad unionem mentis cum corpore involvit, hoc cum non animadverterent Philosophi, confusa & erronea de sensorio communi tradiderunt. Hoc ut amplius, pateat dico: mentes separatæ, angeli, dæmones sensorio communi carent: carent quoque sensorio communi bruta animantia cuncta. SOLI HOMINES GAUDENT *SENSORIO COMMUNI*, id quod sententiam in superioribus à me propositam, non parum illustrat & confirmat. Sunt hæc verissima & certissima, quamvis à communi philosophandi ratione remotiora. Latius hæc possent deduci; verum hic desino, ne perspicacioribus hâc de re ulterius cogitandi surripiatur occasio.

III. Tertia erroris causa est, quod mentem humanam, substantiam cogitantem, uni alicui parti solidæ veluti alligandam censuerint. Si rem ipsam diligenter trutinemus, hoc præjudicium insigne plures videtur habere causas. Harum α. prima est, quod locum quendam menti tribuendum facile existimemus, quia sc. ille corporibus (de quibus multum cogitamus, quæque nobis ordinariè tanquam hoc vel illo loco sita, aliis corporibus minus aut magis vicina, imaginamur & repræsentamus) necessariò tribuendus est. Itaque in cerebro invenientes glandulam aliquam solitariam & exiguam Conarium dictam, putarunt hanc huic negotio aptissimam. Cum enim pleræque cerebri partes essent geminæ, hæc erat una. Erat etiam valdè exigua, quasi ea ipsa minor moles magis quadraret in mentem, quam nôrant extensione carere. β. Altera causa est, quod corpora illa, quæ minus sensus nostros afficiunt, quæque fluida sunt instar aëris, non soleamus considerare tanquam corpora, hinc error ille irrepsisse videtur, quod existimaverint corpus solidum debere inveniri in cerebro, quod in mentem posset agere: quasi mens à spiritibus animalibus affici non posset, absque solidi corporis interventu: quasi spiritus animales minus essent corpora, quia visus aciem effugiunt, quandoquidem sunt fluidi, ac in continuo motu, denique quandoquidem *spiritus* (quo nomine etiam substantias incorporeas significamus) dicuntur animales. Ex hoc eodem fonte & γ. tertia pollulat ratio, quod

ſcilicet, cum conjunctio mentis & corporis ſit ſtabilis, à primo vitæ halitu ad extremum ſpiritum perſeverans, ea non videatur ſatis ſolidum nacta eſſe fundamentum, ſi ſtatuatur tantum fundari in unione cum ſpiritibus animalibus, qui ſunt fluidi, & in perpetuâ diſſipatione, niſi interveniente parte cerebri ſolidâ ideo: in id incubuerunt tum Philoſophi, tum Medici, ut partem illam ſolidam detegerent. Verum cogitandum eſt, quamvis ſpiritus in ſpecie diſſipentur, ſpiritus tamen, generaliter conſiderati, nunquam deficiunt, quamdiu vita eſt ſuperſtes. Sanguis etiam eſt pars fluida, ſanguis diſſipatur, ſanguis exhauritur, in locum deperditi tamen continuò alius ſuppeditatur, adeoque ejus fluiditas & jactura non impediunt, quo minus à ſanguine ejuſque preſſione continuâ, vita, calor, nutrimentum, augmentum corporis ſemper dependeant. Ut facilius veritatem hanc cernas, oportet cogitare ſpiritus animales & partes corporis fluidas non minus eſſe partes corporis noſtri, quam ſolidas, imo à fluidis, eorumque influxu ἐνεργείαν partium ſolidarum dependere. Deponendum eſt antiquum illud præjudicium, nobis admodum familiare, corpora ſubtilia eſſe minus corpora, quam ſolida, imo illa, quæ ſenſus non afficiunt, quaſi nihil eſſe. Spiritus animales mentem noſtram afficiunt, in illam agunt: mens viciſſim in ſpiritus agit, mens voluntate ſola ſpiritus verſus has vel illas partes determinat. Quomodo illud fit, dices fortaſſe, cum ſubſtantia cogitans & extenſa toto cœlo differant? Reſpondeo me illud non intelligere, nec quemquam mortalium. Interim mentem à corpore pati, & in illud agere, continuo experior, & in hoc conſiſtit unio mentis noſtræ cum corpore. Non eſt negandum τὸ ὅτι, quoniam τὸ πῶς non intelligimus. Ille novit, qui omnia novit. Hujus mira ſapientia, ſumma potentia, ineffabilis bonitas, in mirabili hac mentis cum corpore unione eluceſcit. Quid? quod eadem remaneat difficultas ſi ſenſorium commune ſtatuatur pars ſolida! Rogo enim, qua ratione glandula pinealis aget in mentem? Qua ratione mens aget in glandulam pinealem?

IV. Quarta erroris cauſa eſt, quod non definiverint ſenſorium commune ſatis diſtinctè. Quando ſermo iinſtituitur *de loco* & *ſede animæ*, vel metaphoricis vocabulis confuſus adumbratur conceptus, vel deſcribitur res quam in corpore noſtro fruſtra quæſiveris.

En

En difficultatem, quæ tot Virorum ſubtilium ingenia torſit, facili explicatione ſublatam! En nodum Gordium ſolutum! En fontes ignorantiæ & erroris detectos! Senſorium commune eſt id, quod à ſpiritibus animalibus, ab exteriorum ſenſuum organis, oculis, auribus, naſo, linguâ, membris varie agitatis, afficitur, quodque inde varias ſenſationes recipit, cum conſcientiâ percipit, ac inter ſeſe comparat. Senſorium commune eſt id, in quod ſpirituum animalium motus ultimo terminatur. Incipit cogitatio, ubi motus ſpirituum deſinit. Quid autem & quale eſt illud ſenſorium? nullum aliud, quam ipſa mens conſiderata cum relatione ad ſenſus externos, qui ipſam mediantibus ſpiritibus animalibus afficere poſſunt. Concluſio.

Confirmavi ſuperius meam ſententiam ex antiquorum & recentiorum placitis, juvat jam illud quoque illuſtrare, quod poſtmodum dixi, nempe eandem rem aliquando pluribus appellationibus indigitari, cum tamen ab uno principio variæ producantur operationes. Illuſtrabo hoc è *Burgerdicio* & vulgari Philoſophiâ. In explicatione ſenſus interni, quem dicit eſſe facultatem unam, edentem varias operationes, manifeſtè aſſerit, illum eſſe appellatum variis nominibus ſc. ſenſus communis, phantaſiæ, æſtimativæ ſive cogitativæ. *Burgerdic.* Id. Phil. nat. Diſp. XXII. Th. 3, 4, 5. En unius facultatis varia nomina! Vis plura? Lege ſequentia: *Et ſenſus communis quidem appellatur, quatenus ſpecies ab externis ſenſibus oblatas, eorumque functiones percipit ac dignoſcit.* Quibus ſi addamus ea, quæ *Diſput.* XXVII. Th. 1. habet, dari ſenſum internum ex eo probari, quod animalia ſentiunt ſe ſentire, manifeſtum eſt, ſenſum hunc internum & communem in mente ipſâ collocandum eſſe, quoniam parti corporeæ cogitatio cum conſcientiâ tribui non poteſt, adeoque mentem revera eſſe ſenſorium commune. Poſſent hæc pluribus deduci, verum ſufficit, ſi intelligamus illum vidiſſe per nebulam, ſenſum communem in ipſa mente eſſe ſtatuendum: illum vidiſſe facultatem, vel rem eandem pluribus aliquando donari nominibus, pro vario conſiderandi modo. Illud, quod ſentit ſe ſentire, eſt ipſa mens. Illud quod cogitat, eſt ipſa mens. Atqui ſenſus internus, qui, unus cum ſit, variis inſignitus nominibus, inter alias facultates, & cogitationem complectitur. Cogitare eſt mentis. Vide quoque *Hercul. Saxoniam.* Prælect. pract. p. 1. p. m. 58.

Objectionum solutio

Accedendum jam est ad objectionum, quæ forte moveri possent contra meam sententiam, solutionem. Dicit fortè aliquis. Abuteris tu quidem vocabulo, ego intelligo per sensorium commune, partem illam cerebri solidam, versus quàm omnes nervi feruntur, in qua motus spirituum animalium ultimo terminatur, & à qua mens immediate afficitur: quodque suo motu & veluti nutu spiritus animales versus has vel illas partes determinat. Respondeo: Pygmæos quæris, Cyclopas quæris, quæris id, quod in rerum naturâ non datur. Primò enim, nervorum extremitates non terminantur in uno eodemque loco, principia nervorum nimis longè à se invicem distant, atque è variis medullæ oblongatæ partibus oriuntur, adeoque omnes ad unam & quidem solidam partem non pertingunt. Deinde mens immediate à spiritibus animalibus afficitur, motus spirituum animalium velut terminatur in ipsam mentem, & hæc est unionis mentis cum corpore ratio, quod illa à spirituum vario motu diversimodè afficiatur, atque iterum in spiritus voluntatis nutu agat. Itaque si nolis per sensorium commune aliud intelligere, quam partem talem solidam, cui ex præjudicio nomen sensorii communis imposuisti, nullum datur sensorium commune, quandoquidem talis pars in rerum naturâ non est. Ergo negandum est sensorium commune dari. Hoc autem cum sit absurdissimum, fatendum est, nullum aliud esse sensorium commune, quam mentem ipsam. Mens est sensorium commune in quantum motus spirituum animalium immediate illam afficiunt. Mens sensorii communis appellatione gaudet, quandò illa non absolutè consideratur, sed respectivè quatenus à spiritibus animalibus afficitur, & omnium sensuum externorum impressiones sentit, hoc est cum conscientiâ percipit, & dijudicat. Eodem modo hic se res habet, quam si quis petat sibi exhiberi unicornu: ubi autem ostenditur unicornu vulgare, neget illud esse unicornu, quandoquidem illud non est enatum è capite animalis quadrupedis, equi figuram habentis, sed depromptum è marinâ belluâ, sive quia non est tale, quod convenit cum præconceptâ sua opinione, & præjudicio. Ut autem scias te Chimæram quærere, rogo, quando sensorium commune investigas, an

an quæris ens quodpiam ? an vero figmentum ? Si dicas te figmentum quærere, tum in alia omnia abis : in aëre piscaris, in mari venaris :

Non profecturis littora bobus aras.

Ego ens revera existens quæro. Si dicas, te itidem rem revera existentem quærere, dico, nulla res datur, quæ sensorii communis appellatione gaudere possit, præter ipsam mentem, quæ sola à spiritibus animalibus afficitur, quæ sola objecta sensuum omnium sentit, adeoque sola est sensorium commune. Præjudicium est existimare, mentem toti corpori, mediante unâ particulâ solidâ, esse conjunctam. Denique, non communicantur mediante particulâ aliquâ solidâ sensationes menti, nec, mediante particulâ illâ eâdem, spiritus per universum corpus distribuuntur. Mens à spiritibus animalibus immediatè afficitur : mens immediatè, voluntate solâ, agit, seu spiritus animales determinat. Omnia illa fluunt è præjudicio, quod tibi de sensorio communi formasti ; è præjudicio, copulante cum hoc vocabulo ideam rèi fictitiæ, quæ in rerum naturâ non datur. Itaque tu abuteris vocabulo, tribuendo illi significationem rei, quæ non existit, & iniquus es, quod illam rem existere velis, cui perversam illam significationem tribuisti.

Alia adhuc formari objectio posset, quod nempe, ad confirmationem meæ sententiæ, adduxerim auctorum de sensu communi disputantium testimonia, cum de sensorio communi agamus, adeoque argumenta inde deprompta esse nullius ponderis. Ego ultro fateor me verba auctorum de sensu communi agentium in superioribus proposuisse, sed contendo illud à me rectissimè, & ad confirmationem meæ sententiæ convenienter factum esse. Rogo enim : an *sensorium commune*, & *sensus communis* debeant considerari, vel tanquam nullo affinitatis vinculo juncta, vel tanquam relationem quampiam inter se habentia ? Nemo facile dixerit esse contraria, nec ubi unum invenitur, ibi necessario aliud excludi ; etenim vel vocabula, vel significatio illud debent evincere ; verum vocabula sunt

cogna-

cognata, atque eorum ſignificatio ſibi mutuo non eſt oppoſita. Neque aliquis facile dixerit ſenſum communem, & ſenſorium commune nullo affinitatis vinculo juncta eſſe, cum vocabula ipſa paucis tantum literis, & exigua pronunciationis, ac ſignificationis differentia ſint inter ſeſe diſcreta. Relinquitur igitur, relationem quampiam intercedere: quæ autem erat illa relatio? Mihi videtur non alia commodior, quam ſi ſenſorium commune ſumatur tanquam ſubſtantia, ſenſus communis tanquam qualitas, ut cum veteribus loquar; vel tanquam ens & ejus attributum; vel tanquam ſubjectum atque ejus adjunctum. Veteres ſanè ubi de facultatibus agunt, etiam agunt de ſenſu communi, cum autem accidens ſine ſubjecto, modus abſque ente, cujus eſt modus, dari non poſſit, neceſſe eſt dari ſubſtantiam: illa ſubſtantia ſecundum Veteres eſt anima, diſtinctius loquendo mens; verum hic conſiderata tanquam facultatis hujus capax, ſeu prout corpori conjuncta eſt. Si ſenſus ſumatur tanquam attributum aliquod, quærendum eſt, cujus rei ſit attributum? Non corporis, quandoquidem percipere, diſtinguere, cogitare cum conſcientia ad extenſionem nullo modo referri poteſt, pertinet igitur ad mentem, adeoque ſenſorium commune, quod conſideramus tanquam ens, ſenſus communis ſubjectum, non aliud erit, quam ipſa mens, quatenus conſideratur tanquam ea, quæ à ſenſibus externis affici poſſit. Etenim ſi ſenſui communi ea tribuantur, quæ cogitationem in ſuo conceptu involvunt, manifeſtum eſt non poſſe aliquem bonâ fide exiſtimare, ſenſorium commune, cujus activitas dicitur ſenſus communis, eſſe partem cerebri ſolidam, in qua motus ſpirituum animalium terminatur, quandoquidem oſtenſum eſt, motum ſpirituum animalium immediate afficere ipſam mentem. Deinde quandoquidem parti ſolidæ, corpori extenſo, tribui non poteſt perceptio, ratiocinatio, cogitatio cum conſcientiâ, quæ à natura extenſionis longiſſime ſunt remota. Si ſenſus communis conſideretur tanquam adjunctum, mens erit neceſſario ejus ſubjectum, quandoquidem adjunctum abſque ſubjecto intelligi non poteſt. Itaque quocumque modo conſideremus relationem, quæ inter ſenſum communem, ſeu ſenſus internos & ſenſorium commune in-

intercedit, tantum abest ut ea evertat meam sententiam, & argumenta in superioribus proposita, ut potius confirmet. Nempe si sensus communis percipiat, cogitet, judicet, si sciat se percipere, non est statuenda substantia auctor harum operationum, quæ extensionem & motum in suo conceptu involvit: illa enim cogitationis capax non est. Si attributa sint talia, ut ea corpori tribui non possint, cur quæris organum corporeum, cui ea attributa, quæ cogitationem in suo conceptu involvunt, minimè conveniunt? Si adjuncta sint talia, ut omnino corpori tribui non possint; cur non últro fateris, te fuisse delusum, quando, è præconcepta opinione, sensorium commune conceperas tanquam partem aliquam cerebri, in qua motus corporei terminarentur, cum motus corporei, motus spirituum animalium, immediatè mentem ipsam afficiant. Quid? quod differentia inter sensus externos & internos in eo consistat, quod sensus externi motum corporeum in suo conceptu involvant, interni cogitationem? Vides, me non tantum non malè, sed rectissimè adduxisse testimonia auctorum de sensu communi agentium? Vides hanc ipsam objectionem mihi ansam dedisse amplius confirmandi sententiam in superioribus propositam?

Accedendum jam est ad tertiam objectionem, quæ formari posset. Dicet fortè aliquis: ex tua sententiâ non potest determinari, quo in loco mens operationes suas exerceat, imo exinde videtur sequi, eam pluribus locis simul existere debere, cum nempe videt, audit, dolorem pedis percipit; ego autem ideo in sensorium commune, tanquam in organum corporeum unum, inquirendum esse putavi, ut locum possem determinare, in quo mens ageret. Quamvis hæc objectio primâ fronte minus subtilis videatur, quæque adeo in homines ingeniosos, & mentem à corpore distinguentes, non possit cadere, quicumque tamen attentè consideraverit, quo pacto auctores subtilissimi, de organo corporeo, tanquam Sensorio Communi egerint, quo pacto *locum* & *sedem animæ* quæsiverint, is videbit hanc objectionem necessario nexu, cum iis, quæ in ipsorum scriptis occurrunt, cohærere. Planè mihi videtur verisimile, illos de mente non tantum confusum, sed & crassum

 sum

ſum habuiſſe conceptum, tanquam de re, quæ loco aliquo indigeret. Reſpondeo ergo: ἀσύστατα conjungis, agis de ſenſu communi, quod cogitationem in ſuo conceptu involvit, & vis invenire locum, quaſi ageres de re, quæ extenſionem in ſuo involveret conceptu. Mens cogitans nullam ad locum relationem habet, mens ibi eſt, ubi agit. In hoc conſiſtit differentia *loci* & *ubi*, quod *locus* planè relationem ad extenſionem, & corpora alia illi vicina habeat, cum nihil tale τῷ *ubi* tribui poſſit. Ubi tantum explicat relationem ad operationes mentis, adeoque planè falleris, quando è præjudicio ideo organum corporeum tibi inveniendum putaveris, ut poſſes ſcire, quo in loco terminaretur motus ſpirituum animalium. Finis motus ſpirituum animalium, eſt mentis perceptio; ibi terminatur motus ſpirituum animalium, ubi mens incipit percipere. Quo in loco? In nullo, quandoquidem mens ad locum nullam relationem habet. Si quæris, in quo ubi? Illud melius fortè negativè conceperis, quam poſitivè. Non extra corpus, quia ibi non agit: non in organis corporeis externis, quandoquidem in oculis, auribus, lingua, naſo, &c. nihil concipio, niſi motum corporis, qui mentem ibi afficere non poteſt, quemadmodum nec viſus objecta diſtinguere, quando nimis propè aliquid oculis admovetur. Non in manu, pede, corde, ventriculo, liene, hepate, quandoquidem hæ partes munia ſua ſic ſatis bene obire poſſunt, & tamen ſenſus interni planè aboleri, ſeu, quod idem eſt, ſenſorium commune, ſeu mens munere ſuo nequaquam defungi. Dico ſuo munere mentem non defungi, intelligo autem ea munera, quæ à conjunctione mentis cum corpore dependent, quandoquidem mens, conſiderata, ut ſenſorium commune, eam relationem in ſuo conceptu includit. Alias mens ſemper cogitat, ſemper activa eſt, quandoquidem cogitare omnino eſt de eſſentiâ mentis. Non inutile quoque eſt ſibi repræſentare, quod quamvis ſenſorium commune ſeu mens, relativè ad ſenſuum externorum organa poſſit dici videre, audire, guſtare &c. tamen reſpectu mentis, illi diverſi modi afficiendi omnes, uno perceptionis vocabulo explicari poſſunt & debent. Mens audiendo, videndo, guſtando percipit, diverſæ, ut videntur, hæ operationes mentis,

tis, ad unam reducuntur perceptionem, adeoque non in singulis sensoriis perficiuntur, nec in suo conceptu locum aliquem includunt; *ubi* tantum requiritur, quod ergo ad has vel illas partes in specie, ad hæc vel illa organa relationem localem nullam habet. Explicui negative *ubi* mentis, explicabo tamen etiam positivè. Mens exercet operationes suas in intimis cerebri penetralibus; verum cave, ne illá consideres tanquam *locum*, qui menti non competit, sed tantum tanquam *ubi* nullam relationem ad extensionem, sed solummodo ad operationes mentis includens. Illustrari fortè hoc negotium aliquomodo potest, si in mentem revocemus ea, quæ veteres de anima dixerunt, nempe eam esse totam in toto, & totam in qualibet parte: quamvis enim mens non possit dici esse in omnibus partibus, nisi in quantum spirituum motum ad sensationem efficiendam ab omnibus partibus excipit, atque iterum versus omnes partes eosdem spiritus determinat, illud tamen videntur innuisse: adeo remotam esse mentem ab omni relatione ad locum, ut quodammodo per totum corpus veluti diffusa considerari possit. Verum longè melius concipiemus ubi illud spirituum nullam relationem ad locum includere, si in mentem revocemus Deum, actum, ut ita dicam, purissimum, simplicissimam & perfectissimam mentem, ab omni extensione corporeâ longissimè remotam, tamen non longè abesse ab unoquoque nostrum, quandoquidem in ipso vivimus, movemur, & sumus. Actor. XVII. v. 28. Si in mentem revocemus Deum è nullo loco excludi, nullum tamen occupare locum: Deum ubique præsentem esse, quandoquidem omnia portat verbo potentiæ suæ, hinc etiam dici cœlum & terram implere, cum tamen nullum occupet locum. Verum egent hæc exercitatione longâ, antequam quis mentem ita à sensibus abducere possit, & veritatem nudam contemplari. Sufficiat è jam dictis concludere, conceptum illum de loco absurdum, & objectionem inde formatam nullius esse ponderis. Imo potius hanc ipsam considerationem *loci*, & *ubi* nos magis confirmare in sententiâ superius propositâ.

Videor mihi satis fecisse iis, qui sententiam meam de sensorio communi, existimaturi erant, tanquam ingens paradoxum, satisfaciendum quoque est iis, qui fortè arbitrabuntur me ni- *An hæc sententia debeat videri nova?*

nihil novi dixisse. Sunt enim quidam, qui sibi pulchrè placent, adeo ingrati, ut nolint agnoscere, nedum laudare illos, per quos profecerunt. Volunt videri ea scivisse, quæ revera ignorarunt, & cum tanta sit veritatis vis, ut assensum aliquando invitis extorqueat, se antea scivisse hæc, vel non esse magni momenti ea, quæ detecta sunt, præ se ferre solent. Expertus loquor, itaque his quoque est respondendum: retundendus est paululum male feriatorum fastus. Ego existimo, ea quæ in superioribus à me sunt asserta, hactenus incognita fuisse, vel saltem à nullo, quod ego quidem sciam, explicata. Evolvantur libri, legantur Auctores, & fiat periculum, an ex aliquo hæc mea excerpserim? Demonstretur mihi quispiam, qui eadem dixerit cum iis, quæ in superioribus disputavi. Ego mihi probè sum conscius, me è nullo hæc mea hausisse, attendendo diligenter, meditando distinctè, tandem aliquando hæc perspexi. Obscura & confusa, quæ ante me tradita sunt, omnia. Non sufficit per nebulam aliqua vidisse, oportet ut eadem sint demonstrata, oportet ut nihil magno molimine adstructum sit, quod hanc evertat sententiam. Si aliquis eadem dixerit, ille erit vel Medicus, vel Philosophus, vel quispiam alius. Non Medicus, quandoquidem vidimus in superioribus & *Galenum* & *Willisium* fuisse deceptos: quod ad reliquos attinet, illi vel *Galeni*, vel *Chymicorum*, vel *Cartesii*, atque ejus sequacium, placita exosculantur. Qui *Galenum* sequuntur, ii variis præjudiciis impliciti, ejus sententiæ confirmandæ, vel illustrandæ ferè incumbunt. Chymici in destruendis antiquorum opinionibus, quam in novis statuendis fundamentis, fuerunt feliciores. Qui *Cartesium* sequuntur, non minus sententiæ ejus adhærescere, quam prisci *Aristoteli* solent. Inter recentiores medicos videtur tamen animadvertisse *Johannes Bohnius* sententiam de Glandula pineali non posse consistere, itaque breviter & obscurè rem est complexus in *Circulo Anatomico Phisiologico*. Progymnasm. 28. *Probabiliorem E. judico opinionem illorum, qui, si non in toto cerebro, certè una hujus parte, functionum harum singulas exerceri autumant, ut prolixe satis* J. C. Claudinus, de Sede facult. principum, *docet: quem pariter profiteri fere videtur* Vieussens *superius allegatus*;

quan-

quando sensationem certum sensibilis motum proprio ac congruo sibi sensorio impressum, & ad albos usque striatorum superiorum & mediorum corporum tractus prorogatum & propagatum vocat, ulterius vero, & ad centrum ovale, seu corpus callosum Willisii, *id est, medullarum cerebri substantiam, si continuaretur motus ille, imaginationem primam seu sensum communem fieri asserit.* Paragrapho sequenti fatetur se *satis mancum in hisce fuisse.* Vidit *Bohnius* defectum, non correxit. Et Philosophos quidem quod attinet, ii sunt vel antiquiores, vel recentiores. Et antiquos quidem, ac qui eos sequuntur, admodum confusum de animâ habuisse conceptum, adeo clarum est, ut confirmatione non egeat. Id superius in transitu attigi, ubi *Sennerti* sententiam de sensibus internis produxi. Quamvis autem *Cartesius* in id diligenter incubuerit, ut mentem à corpore accuratè distingueret, manifestum est tamen, illum hanc veritatem ignoravisse, ex eo, quod eam non docuerit expressis verbis, deinde quod planè alia docuerit. Non docuisse ex eo patet, quandoquidem putat nimis absurdum esse statuere spiritibus animalibus mentem tantum, nulli autem solidæ parti unitam esse. *Part.* II. *epist.* 50. Partem itaque solidam investigandam putavit, in qua motus spiritibus animalibus impressus terminaretur. Motus autem spirituum animalium terminatur, hoc est, afficit ipsam mentem. Deinde mens non mediante corporis parte solidâ, sed voluntate solâ determinat spiritus animales. In hoc consistit unio mentis cum corpore. Spirituum motus variè afficiens, non glandulam pinealem, sed ipsam mentem, diversas in eâ sensationes efficit: voluntas non movet glandulam, sed determinat spiritus animales versus hos vel illos musculos, modo à nobis inexplicabili. Quid? quod *Cartesius* planè alia docuerit? Quanto molimine, quantis ambagibus agit de Glandula pineali? Quomodo se variè torquet? Quanto intervallo veritatem deserit? Manifestum est, ex eo, quod quæsiverit glandulam, illum mentem ipsam prætervectum esse, manifestum est, illum in materiâ de Glandula pineali ad priscam Philosophorum confusionem delapsum esse. Non ideo quod sensoria externa sint corporea, sensorium commune ejusdem est naturæ. *Locum* & *sedem* animæ tribuere, an

non eſt mentis formare conceptum corporeum? Vid. Part. II. ep. 36. *Loci enim & ſpatii nomina non ſignificant quicquam diverſum à corpore, quod dicitur eſſe in loco, ſed tantum ejus magnitudinem, figuram, & ſitum inter alia corpora deſignant.* Vid. Princ. Phil. Part. II. §. 10, 11, 12, 13. Itaque animam in loco quopiam eſſe ſupponens, non obſcurè dicit, eam eſſe corpoream. Quid? quod aſſerat Ideam formari in *ſuperficie glandulæ pinealis?* nonne hoc eſt, tribuere cogitationem corpori? Vid. *Carteſ.* de homine, à La Forge editum p. 146. Etenim nomen *Ideæ generaliter ſumitur pro omni re cogitatâ, quatenus tantum habet eſſe quoddam objectivum in INTELLECTU.* in Diſſert. de Methodo. p. m. 22. Hæc qui abſque præjudicio, nec amore aut cœcâ veneratione, aut etiam malevolentiâ abreptus, expendet, is certe cogetur fateri, quamvis ſæpè vir ingenioſus de mente & corpore diſtinctiſſimè egerit, tamen hac in parte à veritatis tramite non parum aberraviſſe. Credidit ille partem unam corpoream neceſſariam, in quâ motus & impreſſiones ſpirituum animalium terminarentur. Huic parti tribuit illa quæ ſenſorio communi convenire exiſtimabat, etiam illa, quæ cogitationem in ſuo conceptu involvunt. Ab hujus motu putabat ſpirituum animalium determinationem dependere. Verum eo ipſo mentem & corpus, quæ pluribus locis rectiſſimè diſtinxerat, confudit, cum ſenſorium commune ſit ipſa mens, ut demonſtratum eſt. Et ſi diſtinctiſſime loqui velimus mens, anima, ſenſorium commune, τὸ ἡγεμονικὸν re ipſa conveniunt, conſiderandi modo differunt. Mens nempe abſolutè conſiderata ſubſtantiam cogitantem, partem noſtri meliorem ſignificat. Anima eandem ſubſtantiam, quatenus corpori viventi conjuncta eſt, & quatenus à diſpoſitione partium, & motu fluidorum, nec non paſſionibus affici, atque iterum agere in corpus poteſt, τὸ θυμοειδὲς καὶ τὸ ἐπιθυμητικόν. V. *Galen.* de *Hippocrat.* & *Platonis* decretis. Senſorium commune ſignificat eandem animam, quatenus ab objectis ſenſuum externorum afficitur, percipit, de iis judicat. τὸ ἡγεμονικὸν eandem mentem, ſive animam, quatenus gaudet facultatibus principibus dictis, vel etiam in ſpecie, quatenus regit, ſeu determinat ſpiritus animales. Adeoque non ſemel lapſus eſt *Carteſius*; nempe cum

tres

tres docuisset esse gradus sensuum) de quibus in superioribus vidimus) sensorium commune statuit corporeum, cui tamen non tantum primus, sed & secundus sensuum gradus conveniret. In eo etiam deceptus fuit *Cartesius*, quod sensorio communi tribuerit determinationem spirituum animalium versus musculos. Fateor quidem me eodem modo de sensorio communi egisse in superioribus, verum cum de vocis significatione, & Sensorio communi agerem juxta auctorum mentem, non potui ab eorum placitis recedere. Hic autem locus jam postulat, ut specialius & verius hæc determinem. Determinatio spirituum animalium ἀπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ in specie, hoc est à voluntate dependet. Iterum dico: *Animæ imperio, corporis servitio magis utimur*. Voluntas autem proprie non ad sensorium commune, sed ad facultates principes pertinet. Hæc qui attentè velit considerare, is videbit, quantum juvet claros formasse conceptus. Diu ego me torsi, antequam hoc negotium totum perspexerim. Possent hæc multis confirmari, & nec injucunda, nec inutilia adduci, si necessitas id postularet. Juvat tantum nunc ex *Antonino* de rebus suis, hactenus dicta illustrare. Cujus Lib. II. §. 2. hæc sunt verba. Ὅ τί ποτε τοῦτό εἰμι σαρκία ἐστι καὶ πνευμάτιον καὶ τὸ ἡγεμονικόν. Non putavit Imperator, se ex tribus diversis substantiis constare, sed è carne seu corpore & mente, quæ ambo conjuncta variis passionibus agitantur. Eandem rem clarius & aliis verbis expressit l. III. §. 16. Σῶμα, ψυχὴ, νοῦς. σώματος αἰσθήσεις, ψυχῆς ὁρμαὶ, νοῦ δόγματα. Iterum tria diversa vocabula, res eadem, ordo idem. Ad corpus pertinent sensoria externa, ad animam passiones, ad mentem opiniones. Quod si vocabula essent numeranda, non sensus respiciendus & diversa relatio, homo ê pluribus constaret. Viden' Imperatorem eadem sensisse quæ ego in superioribus explicui? Noverat hominem ex duabus substantiis constare, corpore, & parte meliori, mente, statuit tamen tres, videlicet, quia ex harum unione oritur utriusque in utramque actio & passio, unde animi pathemata. hæc ad ψυχὴν pertinent. Non dissimilis est tertius locus: l. XII. §. 3. Τρία ἐστὶν ἐξ ὧν συνέστηκας σωμάτιον, πνευμάτιον, νοῦς· τούτων τ' ἄλλα μέχρι τοῦ ἐπιμελεῖσθαι δεῖν σά ἐστι τὸ δὲ τρίτον μόνον κυρίως σόν.

Quia

Quia ſc. facultates principes intellectus & voluntas abſolutè ad mentem pertinent: ad corpus extenſio; quodque adeo ab occurſu corporum aliorum lædi, & ægrotare poteſt, tandem vitâ privari debet. Hoc igitur non eſt in noſtra poteſtate, juxta *Stoicos*. Non ſunt etiam in noſtra poteſtate paſſiones, & illa quæ ex utriuſque unione reſultant. Vid. *Gatakerum* ad h. l.

Poſſent longè plura adduci, ſi neceſſitas id poſtularet, ſed hæc ſufficiant ut conſtet *Carteſium* non tantum hæc ignorâſſe, ſed & confuſiſſimè de ſenſorio communi egiſſe. Res ferè eodem modo hic ſe habet, quam ſi quis velit contendere, Priſcos & vulgares Philoſophos diſtinctum formâſſe mentis humanæ, & animæ brutorum conceptum, cum dicerent, *Hominem eſſe animal rationale*: eo enim ipſo quod rationale exiſtimarent conſtituere differentiam ſpecificam hominis, non obſcurè ſignificarunt, ſenſationem, judicium, rationem & cogitationem adeo homini convenire, ut ea omnibus aliis animantibus ſit deneganda. Atqui in ſuperioribus vidimus illos, ubi de ſenſu communi agunt, brutis etiam tribuiſſe perceptionem, cogitationem cum conſcientiâ, judicium & ſic porro. Non poteſt aliquis exiſtimari ſententiam aliquam noviſſe, quando eam manifeſtis verbis nequaquam docet, ſaltem quando is talia amplectitur & inculcat, quæ cum ſententia propoſita omninò pugnant. Eſt & aliquando olitor valdè opportuna locutus, eſt tamen & remanet olitor, nemo facile dixerit Olitorem aut Philoſophum eſſe, aut in Phyſicis & Ethicis verſatiſſimum. *Jacobus Rohaultius*, quamvis in tractatu Phyſico *Carteſii* veſtigia legat, tamen dubitans ſuam in re arduâ proponit ſententiam. Part. 1. c. 31. *Ex oppoſito veriſimile eſt, ut in nobis unica eſt ſenſatio, quæ ſequitur ad duas impreſſiones ab eodem objecto factas, in exteriora duo organa ſenſuum, quæ afficiuntur, adeſſe quoque in cerebro* locum *ſingularem, in quo concurrunt duæ hæ impreſſiones: Arduum forte fuerit* locum *illum determinare: ſed, ſive parva ſit glandula, a medicis Conarium appellata, vel quæpiam alia corporis pars, vix concipi poteſt collectionem poſſe fieri, nisi quæpiam re æquivalente conſtituta.* &c.

Eâ in re non minus deluſus fuit *Rohaultius* quam *Carteſius*, quod partem unam corporis ſolidam inveſtigandam putaverit

in

in qua mens tanquam in loco ſentiret, hoc eſt, perciperet, quo mens tanquam organo uteretur. Unum aliquod requiritur: mens eſt illud unum, mens eſt ſenſorium commune: mens non utitur ad ſenſationem abſolvendam organo aliquo corporeo, per ſe ipſam ſentit, ejuſque ſenſationis eſt conſcia, per ſe ipſam judicat, niſi quod ex unione mentis cum corpore ſequatur, ſpiritus animales immediatè afficere mentem; adeoque mens dicitur ſenſorium commune, in quantum motus corporeos ſpirituum animalium recipere poteſt. Mens eſt organum organorum. Mens non eſt in loco, quoniam nullam extenſionem in ſuo conceptu involvit; mens ibi eſt, ubi agit, h.e. cogitat, percipit, ſentit, vult, judicat.

Dicet fortaſſe aliquis, ſe illa noviſſe, quandoquidem hæc innituntur diſtinctioni, quæ inter mentem & corpus intercedit. Dices: ſcivimus motus non poſſe tribui menti, cogitationes ſubſtantiæ extenſæ. Verum non omnis, qui triangulum rectangulum vel vidit, vel finxit, ſtatim 47. *propoſ.* l. 1. *Euclidis* novit, nec fundamenta quibus illa innititur. Ita eodem modo, quamvis hæc veritas adeo manifeſta ſit, ut non videatur tam diu demonſtratione potuiſſe carere; tamen, quantum ego quidem ſcio, à nullo hactenus in apricum deducta fuit, vel ſi à quopiam demonſtrata fuerit, velim mihi monſtrari illum virum, qui hæc primus dixerit, gaudebo me viri ingenioſi veſtigia calcâſſe. Verum tu, qui putas tibi hæc fuiſſe perſpecta, dicam quæ ignoraveris. Ignorâſti motus ſpirituum animalium immediatè afficere, adeoque velut terminari in ipſam mentem. Ignorâſti te oleum & operam perdere, quando in brutorum cerebris quæſiviſti ſenſoriam partem ſolidam. Ignorâſti ſenſorium commune ſenſuum externorum aciem effugere, ſola ratione pervideri. Ignorâſti bruta carere ſenſorio communi. Ignorâſti ſoli homini conceſſum eſſe gaudere ſenſorio communi. Ignorâſti mentem eſſe ſenſorium commune. Ignorâſti ſenſorium commune non eſſe organum corporeum. Ignorâſti organum corporeum ſtatuendo, te corpori tribuere id, quod ad mentem pertinet, id quod cogitationem in ſuo conceptu involvit. Ignorâſti mentis ſedem & locum non eſſe quærendum. Ignorâſti mentem & ſenſorium commune pronuncia-

tione quidem;non autem re ipsa differre,nisi in quantum sensorium commune involvit in suo conceptu relationem ad unionem mentis cum corpore, cum mens sit appellatio absoluta. Non existimâsti corpus fluidum, quales sunt spiritus animales, immediate mentem afficere. Existimâsti tibi corpus aliquod solidum & unicum in cerebro esse quærendum, in quo tanquam in sede & loco mens operationes suas exerceat. Quamvis ergo in genere sciveris, hominem è duplici constare substantia, mente & corpore. Quamvis sciveris cogitationem menti, extensionem corpori convenire, quæsivisti tamen in cerebro partem solidam, quæ sensorii communis officio fungeretur, h. e. quæ sentiret, in qua ideæ formarentur, quæ cogitaret. Quicquid tergiverseris, tales formasti conceptus confusos. Hæc sunt enim, quæ in conceptu sensorii communis involvuntur. Hæc sunt sine quibus sensorii communis idea formari non potest. Ut autem appareat, me super hoc negotio attentius cogitasse, dico tale corpus solidum dari nec necessarium, nec possibile esse. Non est necessarium, quandoquidem spiritus non minus afficere mentem possunt, quam corpus aliquod solidum. Non est necessarium, quandoquidem in spirituum motu vario facilius innumeras motûs differentias possumus concipere, quam in corpore solido: quemadmodum aëris diversum motum, in nobis oculos, aures, nasum, membra corporis nostri respectu humiditatis, siccitatis, caloris, & frigoris diversimode movere animadvertimus. Deinde, si talis pars sit necessaria, cum in superioribus demonstratum sit, illam non dari, aliquid, quod ad perfectionem corporis nostri requiritur, desideraretur, id quod est admodum absurdum. Deus enim corpus nostrum ita affabrè concinnavit, ut nihil (non loquor de peccato imputato, vel inhærente, loquor de perfectione omnium membrorum) ipsi desit. Non potest etiam talis dari pars, quandoquidem parti cogitanti hoc modo tribueretur extensio, vel parti extensæ cogitatio, id quod contradictionem implicat. Non datur ergo, nec dari potest tale sensorium commune quod, extensione gaudens, tamen perceptionis cum conscientia esset capax.

De libro *Cartesii* de homine.

Aegrè ferent fortè nonnulli, quod *Cartesii* Philosophi acutis-

tissimi opinionem convellere sim aggressus, quam illi sibi arctè tenendam acriterque defendendam putant, & objicient: non videris tu quidem *Cartesii* mentem plenè assecutus: ipsi fuit animus explicare mechanicè actiones omnes humanas; adeoque supposuit, machinam quandam, huic nostræ per omnia similem, mente tamen destitutam, ut doceret, quo pacto è mechanica structura partium solidarum, & motu fluidorum actiones, quæ tum in homine, tum in brutis observantur explicari possent. Respondeo: Amicus *Plato*, amicus *Socrates*, magis amica veritas: probè ego novi *Cartesium* in principio tractatus *de Homine* fundamenti loco statuisse, *omnes homines ex anima & corpore esse compositos, adeoque necesse esse, ut corpus primo separatim, deinde seorsim anima quoque describatur & tandem ostendatur, quomodo utramque illam substantiam conjungi atque uniri oportuerit, ut homines nobis similes constituerentur.* Verum cum explicationem machinæ, huic nostro corpori planè similem, proponere in animum induxisset suum, atque actiones ex structura dependentes, explicare, conceptus hic mechanicus ipsi adeo arrisit, ut non animadverteret, se sensim eò delapsum esse, ut ex illa structura explicationem moliretur earum quoque actionum, quæ ab unione mentis cum corpore dependent, persuasus nempe, se sensationes, & motus voluntarii determinationes, ex eodem fonte debere deducere. Hinc statuit *glandulam pinealem* esse *imaginationis & sensus communis sedem*, art. 31. *impressionem idearum in organo sensus communis & imaginationis, retentionem idearum illarum in memoria* &c. *naturaliter ex organorum ejus dispositione sequi, adeo ut propter has non sit necesse aliam in ipsa concipere vegetativam, aut sensitivam animam.* &c. art. ult. Atqui hoc ipsum est quod *Cartesium* in errorem impulit, quod etiam actiones illas humanas, quæ absque cogitatione intelligi non possunt, quæque ad sensum communem pertinent, à structura partium illius machinæ esse deducendas putaverit. Quæ Veteres tribuerunt animæ sensitivæ, ille conatus est explicare è structura machinæ: sed Veteres brutis tribuerunt sensum communem percipientem & judicantem, itaque *Cartesius* illos non obscurè imitatus est, quando imaginationem & memoriam è structura organorum deduxit. Hinc nata est tractatio sensorii communis, quod in brutorum cerebro non minus quam humano reperiri judica-

bat. Atqui in superioribus vidimus, bruta sensorio communi destitui, homines eo solo gaudere, quandoquidem è mente cogitante & corpore organico unitis, compositi sunt. An cogitatio de rebus præteritis brutis tribui potest? Atqui memoria nihil aliud est, quam rerum absentium repræsentatio tanquam præsentium, quæ cogitando peragitur. An imaginatio rerum præsentium, hoc est, perceptio cum conscientiâ, à partibus extensione sola gaudentibus dependet? Hisce figura varia & motus, cogitatio autem minimè tribui potest. Delusus itaque fuit *Cartesius* quando memoriam & imaginationem, adeoque animam sentientem omnibus animalibus tribuit. Homines soli, quatenus mente corpori unitâ gaudent, imaginantur & percipiunt res præsentes, cogitant de absentibus & præteritis. Si quis sentientem animam, & memoriam brutis tribuere velit, is cogitet, hæc vocabula adeo diversa in brutis & hominibus significare, ut unico conceptu distincto percipi non possint. Brutorum omnes actiones sunt automaticæ, à dispositione partium solidarum, à motu fluidorum procedentes: humanæ, in quibus est imaginatio, memoria, sensus communis, ab unione substantiæ cogitantis & extensæ dependent. Hæc toto cœlo differre, quilibet facile perspicit. Noverat hæc *Cartesius* in genere, sed insensibiliter, inescatus conceptu mechanico, delapsus est in errores, quos sibi evitandos decreverat. Videtur concepisse mentem in hoc tractatu tanquam substantiam cogitantem corpori sentienti, memoriâ & imaginatione gaudenti, veluti superadditam, cum cogitandum fuisset, sensum communem ab unione mentis cum corpore dependere, adeoque mentem esse ipsum commune sensorium, quatenus ea corpori organico viventi conjuncta est. Vita, motus, calor, à pressione sanguinis, & impetu spirituum animalium; sensus autem communis & memoria non ab iisdem, sed ab unione pendent. Quæ è mechanicâ partium structurâ sequuntur, clarè intelligimus, quæ ab unione substantiæ extensæ & cogitantis sequuntnr, nullus mortalium unquam clarè & distinctè vel concepit vel explicuit. Quis unquam cogitando assecutus est, quo pacto motus corporeus afficiat mentem? Quis unquam explicuit, quo pacto mens occasione varii impulsus organorum exteriorum, & diversi motus spirituum animalium, diver-

versimodè percipiat, adeo ut illa perceptio, nunc visûs, nunc auditûs nomine debeat donari? Quis unquam explicuit, quo pacto ad voluntatem mentis, spiritus animales nunc in loquelæ, nunc in motus voluntarii instrumenta determinentur? Itaque eo ipso quod conatus sit sensorium commune explicare è mechanicâ structurâ partium, clarum est, illum à veritatis tramite toto cœlo aberrâsse, atque adeo hanc objectionem eum ab errore non tantum non vindicare, sed & confusionis convincere. Brutorum actiones naturales & vitales cum hominibus conveniunt, animales longissimè à se invicem distant. Dixi ego, praxin hanc veris œconomiæ animalis principiis esse innixam, non autem œconomiæ animali, quandoquidem principia generationis, nutritionis, accretionis conveniunt, œconomia ipsa, quatenus ea sensum & motum complectitur, longissimè distat. Sensus & motus voluntarius in homine cogitationem involvit, sensus brutorum adeo differt ab humano, ut sensûs nomen non mereatur: motus eorum omnis est automaticus. Qui brutorum æconomiam animalem explicaturus est, is ostendat, quomodo motus in sensoriis aut membris excitatus, diversam agitationem spirituum in medullâ oblongatâ producat, aptam ciendis actionibus, quæ cum nostris actionibus voluntariis; externâ specie perbellè congruunt. Dico actiones brutorum externa specie tantum convenire, quandoquidem differentia ex eo evadit manifesta, quod actiones brutorum nunquam virtutum aut vitiorum nomen, numquam præmium & pœnam, instar actionum humanarum, mereantur, quia scilicet absque cogitatione & conscientiâ peraguntur. Nunquam canis mœchatur, incestum aut furtum committit, nunquam pudore suffunditur. Quare? Fertur cæco naturæ impetu. Quemadmodum radii luminis è speculo necessariò reflectuntur, ita motus sensoriis externis impressus, spiritus animales commovet & versus has vel illas partes impellit, uti forsan alias latius explicabo. Homo si eadem patret & committat, mœchus est, incestus, fur. Homo nisi oculos eruat, manus amputet, membra, quæ in terris sunt, occidat, officio suo non defungitur. Quare? Quoniam intelligit, percipit, conscientia tanquam lampade Dei gaudet. Hinc actiones ejus, quamquam externâ specie similes,

miles, brutorum actionibus, ex alio oriundis principio, dissimillimæ sunt. Itaque quocunque modo sententia nostra examinetur, quacunque cum opinione comparetur, manifestum evadit, eam non tantum non labefactari, sed magis magisque explicari & confirmari.

Transitio.

Explicui hactenus Sensorium Commune, objectionibus & difficultatibus satisfacere sum conatus Fusior fui paululum, quod tamen in materiâ difficili, & viâ inviâ evitari vix potuit. Arduus & ingens labor, sese à veteribus præjudiciis liberare. Arduum etiam præconceptas & penitus hærentes opiniones ex aliorum animis evellere. Requiritur tempus, antequam quis inveteratis opinionibus, quantumvis falsis, remittat nuncium. Itaque & proponenda, & illustranda, & vindicanda fuit veritas. Quod si quis non sit mecum ejusdem sententiæ, is sanè fateri cogetur me ipsi ansam dedisse cogitandi de rebus, ad quas fortè nunquam fuerat satis attentus. Ita in profundissimo latens puteo veritas tandem eruitur. Ego saltem, me verissima proposuisse, persuasus, hæc premere nolui. Quod si quis aliorum laboribus obtrectare velit, is suo fruatur sensu, vel meliora afferat: *tum canent Cygni cum tacebunt Graculi.*

Quando sensus aboleatur?

Ut è diverticulo in viam redeam, spiritus animales sensorium commune, hoc est, mentem non afficiunt, ad sensum producendum, quando sensuum externorum nervi ita comprimuntur, ut motus, spiritibus animalibus ab objectis externis impressus, in mente perceptionem immediatè producturus intercipiatur, antequam ad interiora cerebri perveniat. Illud enim accuratè tenendum est, mentem in oculis non videre, nec in auribus audire; sed requiri, ut motus sive undulatio spirituum, per oblongos nervorum tubulos, ad cerebri partem medullarem & medullam oblongatam, horum penum, deferatur, ut sensatio in sensorio communi, seu ipsa mente, excitari possit. Hoc patet in Gutta serenâ: oculus tum satis benè constitutus est, visus tamen omnino abolitus, quia in nervis opticis est vitium, motum spirituum animalium versus interiora cerebri impediens.

Quando motus voluntarius?

Ubi autem sensus interni aboliti sunt, ubi spiritus animales mentem afficere non possunt; tum etiam mens, pro voluntatis

tis

tis arbitrio ſpiritus in muſculos determinare non poteſt, ſed ſubſequitur, vel motus automaticus, vel convulſivus. Hæc ita proportionata ſunt, ut abolitio unius neceſſariò abolitionem alterius habeat comitem. Et revera in ſenſu, quatenus ad mentem pertinet, ſpiritus animales agunt in mentem, in motu voluntario mens, determinando eoſdem, agit in corpus, in qua mutuâ actione & paſſione unio mentis cum corpore conſiſtit. Quando autem mens ſpiritus non determinat, ipſi autem in cerebro ſatis copioſi adſunt, non mirum eſt, ſi accedente cauſa ſatis validâ, illi in nervos confuſo & violento motu propelli poſſint.

Hippicrates in libro de Morbo ſacro, *cerebri conſtitutionem explicat.* explicanda nobis eſt quoque ſummi Conditoris in fabricando cerebro ſapientia. Non tantum totam molem in Cerebrum, Cerebellum & Medullam oblongatam diſtinxit, verum etiam cerebrum in duo hæmiſphæria, atque utrumque horum, in binas veluti provincias (utor verbis *Williſii*) diſtinxit. Diſtinctio hæc juxta nervos opticos conſpicua eſt. Inſuper cerebrum non eſt ſuperficie æquale, ſed gyris quamplurimis profundiſſimis conſpicuum, uti omnibus, qui cerebri fabricam accuratius contemplati ſunt, perſpicuum eſt. Non inquiram jam exactius, cui muneri hæc omnia inſerviant, illud ſolummodo animadvertere libet, hos omnes ſulcos inſervire transmiſſioni vaſorum ſanguineorum copioſorum. Ita videre licet arteriarum carotidum ramos inſignes, ductu obliquo cranium perforantes, non tantum nervos opticos undique veluti circuire & amplecti, ſed & ramificationes inſignes verſus anteriores, & laterales cerebri diviſiones dimittere. Subeunt vaſa hæc omnes cerebri ſulcos, membranas cerebri, cerebri corticalem ſubſtantiam ita perreptant, ut ea ſit veluti artificioſiſſima textura vaſorum minimorum. Ne autem maximè neceſſario & copioſo hoc latice deſtitueretur cerebrum, carotides & vertebrales arteriæ ſibi mutuo inoſculantur, & cerebri exteriora & interiora irrigant. Cerebri fabrica.

Defertur ſanguis per arteriarum carotidum & vertebrarum majores propagines verſus cerebrum, dirimuntur iidem rami in minores, ac rurſus minimas ramificationes & fibrillas, Uſus.

ut

ut calorem nativum, in viſcere principe, non tantum conſervarent, & ſpiritus animales copioſos producerent, verſus omnia viſcera, verſus membra corporis noſtri univerſa diſtribuendos; verum etiam ut hominem, à laboribus & curis exhauſtum & fractum, blando ſomno refocillarent.

Status præternaturalis. In memoriam autem revocantes ea, quæ de ſomno naturali dixi, partem ſcilicet cerebri exteriorem & corticalem verſus inferiorem & medullarem blandè premi, facilè concipimus, ſi in ſtatu p. n. tranſitus ſanguinis per vaſa capillaria fiat difficilior, arterias haſce admodum repleri, adeoque minores illorum fibrillas & majores truncos diſtendi, unde ſenſuum internorum & externorum exurgunt feriæ; premuntur enim vehementius tum corticalis cerebri ſubſtantia, tum medullaris, tum nervi organorum ſenſuum externorum, præcipuè oculorum. Cum autem preſſio hæc impediat, quo minus impreſſiones ab objectis externis ſenſoriis illatæ ad interiora cerebri, ubi mens eas percipit, deferri poſſint, cumque itidem hæc preſſio impediat, quo minus ſpiritus animales verſus ſenſoria externa ſufficienter, & placidè diſtribuantur, patet, pro cauſarum harum majori vel minori activitate, magis vel minus lædi ſenſuum internorum & externorum functiones.

Motus convulſivus. Non ſufficit autem perſpectum habere, quomodo ſenſus interni & externi intercipiantur, ſed & noviſſe oportet quomodo convulſivi motus producantur, qui in eo differunt à voluntario, quod ſint magis vehementes ac violentis & quod variis ſuccuſſionibus membra per intervalla convellant. Abolentur quoque ſenſus in Caro & Apoplexia, non tamen ſemper ſuccedunt convulſiones. Magna eſt affinitas reſpectu ſymptomatum & cauſarum, non tantum inter affectus cerebri naturales & præternaturales, inter ſomnum naturalem & præternaturalem, inter Lethargum, Coma ſomnolentum, Carum, Apoplexiam & Epilepſiam (id] quod etiam à *Foreſto* obſervatum eſt in Scholiis ad obſ. 3. l. x.) adeo ut ſibi mutuo ſuccedant, & copulentur; eſt tamen etiam quædam differentia, quæ hic explicanda eſt, prout in morbo caduco locum habent. Conveniunt in eo omnes quod ſenſus vel magis vel minus, una cum motu voluntario, aboleantur, differunt, quod hic adſint mo-

motus vehementiſſimi, & per intervalla repetentes, cum præternaturali muſculorum contractione. Et vehementia quidem innititur hoc fundamento, quod motus celeritas & impetus debeat compenſare anguſtiam loci, per quam liquores feruntur. Itaque conſideranda eſt proportio quæ intercedit inter cerebri molem univerſam, & medullæ oblongatæ ac ſpinalis, illius reſpectu, multo minorem, nec non nervorum exiguos tribulos: unde ſequitur, ſi cerebrum comprimatur, & ſpiritus exprimantur verſus nervorum tubulos exiguos, illos debere magno impetu ferri verſus fibras viſcerum & muſculorum. Ab influxu hoc verſus viſcera, ſequitur cordis celerior & vehementior contractio, atque ſanguinis per univerſum corpus preſſio & propulſio. Si autem ab influxu ſpirituum fibræ muſculorum tenſæ, progreſſivum ſanguinis motum impediant aliquomodo, & ſanguinis motus rapidior vehementius muſculos repleat, atque eoſdam verſus caput adducat, neceſſariò muſculi membra, quibus tendo inſertus eſt, validiſſimè ad ſe rapient, adeoque motus membrorum ſequetur violentus.

Hæc mihi videntur facilia intellectu, major eſt difficultas, ut intelligamus, quomodo ſuccuſſiones hæ violentæ aliquando remittant, aliquando iterum repetant, & miris modis ægrum exagitent. Itaque obſervandum eſt, naturam partibus laborantibus omni molimine ſuccurrere: ſeu eam eſſe corporis noſtri texturam & liquidorum motum, ut, ſi aliqua pars in ſummas redigatur anguſtias, & illius difficultatis ſenſus aliquis, licet obſcurus & confuſus, anxietate, dolore, difficiliori tranſitu in aliqua parte, ad cerebrum deferatur, ſtatim eò ſpiritus animales copioſius confluant. Ita licet animadvertere in moribundis, naturam magno molimine ſanguinis motum per pulmonem, jam difficiliorem redditum, promovere. Nihil amplius ſentiunt agonizantes, pulſus vix aut ne vix quidem obſervatur, ſpiritus animales ſunt pauciſſimi, vel languidi, extrema frigent. Si rationis ſolummodo dictamen ſequi placeret, videretur, omnem motum muſculorum debere eſſe ſublatum; verum ſecus ſeſe habet. Reſpiratio cum aliqua vehementia peragitur, muſculi huic inſervientes pectus elevant & contrahunt, ut, cum reſpiratio ordinariè quietè peragatur, in

Quomodo is in morbo caduco producatur?

hoc caſu ſit laborioſa & impetuoſa : adeo ut omnes in univerſum ſpiritus ſuperſtites in eo ſolo videantur occupari, ut ne reſpiratio, & ab hac dependens trajectio ſanguinis per pulmonem, omnino intercludatur. Qua ratione hæc fiant, jam explicare non vacat, cum illud non difficulter concipiatur, ſi quis probè perſpectum habeat, noſtrum corpus eſſe machinam pneumonico hydraulicam, cujus vita & actiones à ſanguinis preſſione & reſpiratione pendent. Sufficit obſervâſſe hæc ita ſeſe habere. Non ſine ratione hoc exemplum adduxi, quandoquidem in Epilepticis, cum pulſu frequentiori, non rarò obſervatur ſpuma circa os, & reſpirationis difficultas. Hinc colligo, in Epilepticis ſanguinem per pulmonem difficilius circulari, ſaltem in Epilepſiâ à repletione, ut autem natura huic incommodo ſubveniat, ſpiritus animales copioſius per nervos vagi paris, tum etiam ſpinalis medullæ non paucos diſtribuit. Si autem à cordis agitatione majore, ſanguis difficilius per pulmonem trajiciatur, in quo mali prima labes non hæret, quanto difficilius idem ille ſanguis per cerebrum, ejuſque membranas diſtribuetur? Itaque huic parti laboranti etiam opem ferre ſtudet natura; qua autem ratione, cum muſculi, caput & cranium inveſtientes, non videantur aliquid opis poſſe adferre? Subvenit natura eo modo quo poteſt, ſcilicet fibras utriuſque membranæ cerebri contrahendo, & ſuo modo convellendo : unde tum ſpiritus vehementius & ſucceſſive per reciprocas ſuccuſſiones verſus partes inferiores propelluntur cum maximo impetu. Hinc jam inſultus & ceſſationis ratio explicari poteſt. Nempe ubi cerebri pia meninx ſeſe contrahit, ſpiritus animales verſus medullam oblongatam & ſpinalem copioſe propelluntur, quandoquidem tubuli ſunt repleti, & cerebri moles cum impetu contracta pondere ſuo vehementer propellit eoſdem. Duræ meningis alia eſt ratio : ea cranio arctiſſime annexa, non videtur cerebrum multum poſſe comprimere, niſi quatenus proceſſus verſus falcem & cerebellum dimittit. Facit tamen aliquid, quia per fibras tendinoſas ſinus contrahit, adeoque ſanguinem expellit, unde tum circulatio aliquo modo promovetur, & paroxyſmus deſinere, vel minori impetu perfici incipit. Prout autem ſpiritus animales, pro variâ corporum diſpoſitione, in

hos

hos vel illos musculos & viscera impetuose, & inordinate influunt, ita hæ, vel illæ partes magis vel minus afficiuntur. Quandoquidem autem cor & sanguis eodem tempore admodum agitatus est, proportionaliter vis debet intendi, prout spiritus ad aliquantulum cohibendum sanguinis motum progressivum in his aut illis musculis, sanguinis autem ad eundem continuandum, impetus sunt majores.

Hinc jam patet quare Carus, Coma somnolentum, Lethargus, Apoplexia cum Epilepsia magnam habeant affinitatem, quomodo iterum distinguantur: item quomodo Epilepsia symptomatica, de qua, ut & Apoplexiâ in sequentibus, non raro morbis soporosis copulentur. Nempe in omnibus hisce casibus cerebri ejusque vasorum & membranarum major vel minor est repletio, hinc etiam major vel minor mentis obnubilatio, quando autem hæc violentior contractio membranarum cerebri non adest, adest tantum stupor & somnus præternaturalis, ubi autem tanta adest repletio, ut contractio fibrarum sequatur, sequitur etiam propulsio violenta spirituum animalium & motus convulsivi, seu Epilepsiæ symptomaticæ. Atque ita patet, ex meis fundamentis, convenientiam & nexum naturalem horum symptomatum, item differentiam, quæ inter illa intercedit, clarissimè explicari. Hæc autem esse obscurissima, si hactenus inventæ hypotheses admittantur, ii norunt, qui de hisce attentius cogitarunt. Morborum soporosorum & convulsivorum differentia.

Explicasse mihi videor magnam partem definitionem Morbi caduci, explicui itidem, in quo consistat sensuum internorum abolitio, quod sit sensorium commune, & quomodo convulsiones abolitioni sensuum internorum jungantur. Explicui quæ sit convenientia & discrimen inter morbos soporosos & convulsivos, restat ut videamus quare adjunxerim in fine hunc affectum à repletione potissimum originem ducere, cum antea contenderim à repletione & inanitione Convulsiones oriri?

Nempe quando Morbum caducum ab Epilepsiis symptomaticis distinguimus, ad hoc caput tantum pertinet illud symptoma, quod illos, qui sibi & aliis videntur satis sani, affligit, per intervalla repetit, & aliquando per totam vitam perdurat, subsequente, sensim majori vel minori mentis hebetudine. Morbus caducus oritur potissimum à repletione

Hujus autem tres præcipuè dari species existimo, nempe Morbum caducum à vitio cerebri dependentem: Morbum caducum ante eruptionem mensium aliquando infestantem, & Morbum caducum ab hisce vel illis partibus originem, ut videtur, trahentem. Omnes autem hi morbi caduci potissimum à repletione, vel universali, vel particulari videntur originem sumere, nisi forte lypothymia vel syncope invadens faciat, ut affectus ad Morbum caducum ex inanitione non malè possit referri. Alias quædam Epilepsiæ symptomaticæ, uti videbimus, propriè & sæpe ab inanitione originem ducunt.

Morbus caducus à vitio cerebri.

Videtur mirum Morbum caducum pertinacissimum & curatu difficillimum esse morbum, cum tamen ita affecti munia sua quotidiana obeant, cibos appetant, benè digerant, egerant. Illud ex eo oritur, quod in hisce affectibus non tantum partes fluidæ, sed & solidæ male sint affectæ. Ego in talis, Morbo caduco vexati, capite inveni tumorem durum & rotundum. Eodem modo è *Rhodio Bonetus* refert, Epilepsiam obortam à carnoso tuberculo in cerebri ventriculo contento. *Sepulchret.* l. 1. Sect. XII. obs. 26. vide quoque obs. 27, 30. Ita *Falcoburgius* in dissectione cadaveris Epileptici, nullam aliam causam invenit, nisi ventriculorum cerebri angustiam. Ibid. obs. 28. Huc refer serum caput sæpe numero opplens. Vid. ibid. obs. 6. 10. &c.

Ante mensium eruptionem.

De Epilepsia ante pubertatem, & mensium eruptionem infestánte agit *Hippocrates* Aph. 28. s. III. & 7. s. V. Existimo autem hunc affectum potius ad Morbum caducum, quam ad Epilepsiam symptomaticam & hystericam referendam esse, quandoquidem hysterica Epilepsia post pubertatem non minus, quam ante pubertatem solet affligere: deinde quod non necessario huic malo hysterica symptomata conjungantur.

Per consensum.

Epilepsiæ ab his vel illis partibus originem ducentis memorabile exstat exemplum apud *Tulpium* obs. l. IV. c. 2. *Curtium Rogerium* uxore orbatum, ac mœste viventem invaserat morbus comitialis, sine ullo vel levissimo præsagio, sensit tamen insequentes paroxysmos manifestam originem trahere è pollice pedis sinistri, indeque ab ipso articulo, vagum, ac oberrantem elevari vaporem, primum quidem genu, ac humero, deinde

de vero cervici, ipſique cerebro moleſtum, cum conſpicuâ mentis labe, ac terribili nervorum contractione, reflexo capite verſus dorſum, per eam convulſionis ſpeciem quam Græci ὀπισθότονον vocant. *Sylvium* ſimilem vidiſſe caſum refert *Scenkius* L. 1. de Epilepſiâ obſ. 17. vide quoque exempla alia Epilepſiæ è digito, manu, brachio, ore ventriculi ſuſcitatæ apud eundem obſ. 6, 7. &c. Non ſuccurrunt jam aliæ ſpecies, quin ad haſce facile reduci poſſint. Epilepſiæ ab Utero nullam facio mentionem, quandoquidem de Affectibus hyſtericis, quatenus convulſiones habent comites, *Williſii* exemplo, peculiari capite agam. Non facio mentionem Epileſiæ ſymptomaticæ febrilis, vulnerum comitis &c. quandoquidem eæ proprie non poſſunt dici morbus caducus in ſpecie, quia morbus caducus ſæpius, & per intervalla invadit illos, qui ſibi alias videntur ſani, hæ autem Epilepſiæ ſpecies aliquando ſemel atque iterum invadunt, nec poſtea recurrunt. Epilepſiæ tamen è pollice pedis &c. fuit facienda mentio, ne viderer oblitus Epilepſiæ per conſenſum, cujus auctores ſolent facere mentionem. Vide *Zacutum Luſitanum* de Med. Princ. hiſt. l. 1. hiſt. 18. 20.

Oſtendendum jam eſt omnes has ſpecies potiſſimum originem ſumere à repletione. Nempe quando cerebrum, pars ſolida, vitiatam eſt, quando ſubſtantiam ejus tumor durus occupat, manifeſtum eſt, arteriarum propagines debere aliquomodo comprimi, adeoque ſanguinis motum aliquomodo impediri. Hinc ſequitur major repletio arteriarum carotidum, præcipuè, cum in tali caſu ſuccedat cordis celerior contractio, ut obſtaculum illud removeatur. Tantum autem abeſt, ut obſtaculum inde ſuperari poſſit, quandoquidem tumor eſt induratus, ut hæc ipſa crebrior contractio multum faciat ad arterias, cerebri baſin, ſubſtantiam, & membranas copioſè irrigantes, replendas. Hinc imprimis nervi optici premuntur & comprimuntur, ſcotomiæ oculis obverſantur, uti ab auctoribus annotatum fuit, viſus in paroxyſmo omnino aboletur. Premuntur etiam alii nervi, imprimis his proximè accumbentes nervi oculorum motorii, hinc videre licet, oculos morbo caduco affectorum ante paroxyſmi invaſionem immotos,

In morbo caduco, vitio cerebri producto, conſideranda eſt repletio.

tos, & veluti rigidos persistere. Cum itaque hæc vasa cerebrum universum & membranas perreptantia repleta sint, premuntur substantia cerebri corticalis, tum medullaris, nec non medulla oblongata, sensus omnis perit, spiritus non determinantur motu placido versus musculos, sed vehementi & convulsivo, ægri concidunt, exprimuntur spiritus versus nervos per oculos, faciem, viscera, artus, distributos, cordis motus celeriter, & cum impetu perficitur, respiratio est vehemens & laboriosa, infimi ventris viscera etiam afficiuntur, artus convelluntur, manus claudit æger, pollices manui includit, pedes vehementer convellit, aliquando caput in silicem impacturus, nisi adstantes succurrant: plures non raro requiruntur sani, ut unius ægroti validos & convulsivos motus coerceant.

Nempe cum *natura*, observante *realdo columbo*, *semper conservandi operis sui studiosa*, *ubi majus periculum impendet*, *ibi quoque majora struat præsidia*, in formatione partium, & statu naturali, ita etiam eadem impensè satagit laboranti parti succurrere. Hinc fibras meningum cerebri contrahit, ut id quod molestum est, excutiat: imo illa ipsa repletio vasorum ad contractionem facit. Quemadmodum enim motus musculorum ab impedito motu progressivo sanguinis, adeoque repletione fibrarum muscularium, dependet, ita etiam contractio membranarum ab eadem repletione fibrarum dependet, accedente, copiosiore spirituum animalium affluxu. A spirituum versus cor influxu dependet celerior & vehementior contractio ejusdem, adeoque sanguinis circulatio & pressio; cumque eodem tempore spiritus determinentur tumultuosè versus musculos, eorum fibras tendant, sequitur, motu progressivo vehementi cohibito, influxum sanguinis impetuosum quoque debere producere motum muscularem involuntarium, adeoque convulsivum. Quamvis enim determinatio spirituum in hos vel illos musculos causa sit, cur hi potius quam alii intumescant, quamvis etiam hic validus influxus sit causa majoris tensionis fibrillarum nervearum, vis tamen inflationis seu intumescentiæ musculorum, unde contractio, & motus artuum pendet, pot ssimum sanguini adscribenda venit. Itaque, cum in hoc

hoc casu, sanguis celerius circuletur, magis prematur, magis expandatur, non est mirum, motum muscularem tanta peragi vehementiâ, ut vires morbo caduco correptorum, sanorum vires longis parasangis post se relinquant. Præterea si in memoriam revocemus ea, quæ de respiratione dixi, nempe quando sanguinis motus aliquomodo cohibetur per pulmonem, tum motum muscularem majori vi peragi, manifestum est, cum in hoc casu, transitus sanguinis per pulmonem sit difficilior, atque inspiratio laboriosa & vehementior, necessario vires debere esse majores. Confirmatur hoc αὐτοψίᾳ, nempe quando morbo caduco correpti vires suas exerunt, tum etiam validè inspirant. Habent hæc locum in morbo caduco, licet æger non sit plethoricus, ex eo, quod sanguinis motu per cerebrum aliquomodo difficiliori reddito, vasa arteriosa multum debeant repleri, quod si autem ad pravam hanc cerebri dispositionem accedat sanguinis in universo corpore copia, symptomata hæc omnia erunt graviora. Arteriæ carotides facilius & citius replebuntur, spiritus à depressione cerebri majori propellentur vi, magis agitabunt cor, sanguis majori vi versus pulmonem propelletur, adeoque vasa ejus magis distendet, respiratio tanto erit laboriosior. Turbulentus talis spirituum & sanguinis motus hic non supponitur à me, uti quidam falsa supponunt, verum ille sese pulsu facile manifestat, laboriosa respiratio in adstantium oculos etiam incurrit.

Atque hæc sufficere arbitror, ut pateat, in Morbo caduco à prava cerebri dispositione producto rectè considerari repletionem. Demonstrandum eandem illam repletionem habere locum in Morbo caduco, ante eruptionem mensium quibusdam contingente. Absolvemus hoc paucis in re manifestâ. Nempe ideo mensium eruptionem molitur natura, ut nimiâ repletione aliquomodo exhaustâ, tanto alacriores & vegetæ vivant fœminæ, atque ad procreationem & nutritionem liberorum tanto sint aptiores. Quando de naturâ hoc pacto hic & alibi loquor, utor terminis & modis loquendi consuetis, novi quomodo hæc sint intelligenda. Itaque quando hoc munere, hac evacuatione defungi non potest, corpus universum repleri nimium debet, adeo ut facile possint oriri symptomata

Ut & in eo, qui ante mensium eruptionem contingit.

Morbi

Morbi caduci, eo quo explicatum eſt modo. Oportet tantum conſiderare in hoc caſu, ſanguinem ordinarie eſſe magis viſcidum. Eadem illa viſciditas, quæ impedit ne ſanguis per filamenta vaſorum uteri effluat, etiam non ſatis aptum eundem reddit ad ſatis promptè pertranſeundum minimas arteriarum carotidum propagines, adeoque repletionem earundem nimiam, & Morbum caducum producit. Quandoquidem tamen non omnes hoc morbo infeſtantur, ſed aliæ his, aliæ longè aliis expoſitæ ſunt ſymptomatibus, non negligenda eſt *ἰδιοσυγκρασία* & particularis cerebri ejuſque vaſorum diſpoſitio, quæ procul omni dubio concurrit in illis, quibus hoc ſymptoma eſt familiare. Quod ſi cauſæ minus efficaces, ſeri copia, aut vaſorum reptatus non admodum perverſus tantum concurrat, erumpentibus menſibus juxta *Hippocratem*, ceſſare ſolet. Si vero vitium aliquod cerebri conjungatur magis noxium, per totam vitam affligere ſolet Morbus caducus, ſeu Epilepſia periodica.

De morbo caduco ab aliis partibus, ut videtur, originem ducente.

Major eſt difficultas explicandi qua ratione Epilepſia oriatur è pollice pedis, vel hoc, vel illo membro. Novi Auctores facere mentionem *veneni* membro tali *penitus inſidentis*, novi eos facere mentionem halitus, vaporum è venenatâ illâ materiâ emiſſorum. Verum cum ego veritatem, non commenta anilia quæram, non debet videri mirum, ſi hoc negotium accuratius excutiam. Imponere potuerunt hæc dogmata ante detectam ſanguinis circulationem, poſt eam detectam iis albus non poteſt adjici calculus. Itaque accuratè ſtatus controverſiæ primum eſt determinandus, tum oſtendendum, materiam talem venenatam pollici pedis (unico enim huic tantum, brevitatis gratia, immorabor exemplo) non potuiſſe inſidere, nec exinde halitus emittere, quibus ſolis adſcribenda eſſet Epilepſia. Non nego ægrum hunc *Curtium Rogerium* ſimile quid ſenſiſſe, non nego etiam de hiſce ſymptomatibus fuiſſe conqueſtum, non nego inſultum Epilepticum præceſſiſſe hunc ſenſum, illud nego, è tali ſenſu rectè concluſum eſſe, materiam venenatam pollici pedis penitus inſediſſe, nego halitus hoſce venenatos abſque aliâ cauſa produxiſſe hoſce inſultus. Medici quidem de tali cauſâ aliâ minus fuerunt ſolliciti,

ti, ſibi imaginantes hos vapores omnino ſuffeciſſe ad ſymptomata hæc producenda; inde tamen, concluſio non valet, cerebri conſtitutionem fuiſſe laudabilem, nihil excrementitii in eo fuiſſe collectum. Ego puto has cauſas præcipuè reſpiciendas. Cauſas alias fuiſſe neglectas exinde patet, quod hiſtoriæ plures exſtent de talibus Epilepſiæ ſpeciebus, ſed breviter tantum literis conſignatæ, quaſi res eſſet extra omnem dubitationis aleam poſita, affectum hunc nullam aliam habere cauſam, quam vapores ex hac vel illâ parte elevatos. Vid. *Schenkium*. l. 1. obſ. 6, 7, 8, 14, 15. 17. &c.

Hæc ut fiant manifeſta, non diſputabo nunc philoſophicè id quod nos ſentimus, hoc eſt mente percipimus, aliud eſſe quam id quod in membris, & ſenſoriis noſtris contingit. Vulneratur pars, cauterium admovetur, ſentit æger dolorem aut æſtum, cum tamen in parte affecta ſit ſolutio continui, aut motus rapidiſſimus *ſubtilis aëris*, ut loquitur *Hippocrates*. Illud dicam, aliquando in nobis excitari ſenſum, qui, ſi ad veritatis trutinam examinetur, non videtur locum habere poſſe, cum operationes corporis noſtri mechanicè, hoc eſt, ſtructuræ partium convenienter, peragantur: unde evincitur explicationem talem eſſe rejiciendam, quæ conſtructioni machinæ noſtræ omninò repugnat. Id manifeſtum eſt in Catharris: laborat aliquis odontalgiâ, dicit ſeſe ſentire Catharros calidos, frigidos, in partem affectam delabentes, cum tamen viæ, per quas defluere poſſint catharri tales à cerebro, ſint nullæ. Itaque ſenſus, ſeu ſenſationes tales nos in errorem deducere non debent, uti ego illud forſitan, ubi ad Catharros erit perventum, ſc. Libro ſecundo, docebo. Itaque è tali ſenſu non poteſt concludi *vagum ac oberrantem elevari vaporem primum quidem genu, ac humero, deinde vero cervici ipſique cerebro moleſtum*: ſed inquirendum eſt, unde ille ſenſus producatur?

De ſenſationibus in nobis aliquando excitatis.

Verum diſtinctius negotium ipſum excutiamus. Nego venenum aliquod acre pollici pedis penitus inſediſſe. Quo illud probatur argumento? E ſenſu. Ego putem me eviciſſe, argumentum tale non procedere. Ut pateat venenum nullum pollici pedis inſediſſe, contendo nullas ejus notas in hoc caſu fuiſſe conſpicuas. Nullus manifeſtus dolor, nulla inflammatio, nullus tumor, nullum apparuit ulcus. Venenum totâ

De Veneno pollici pedis inſidente.

ſub-

ſubſtantiâ peccare dicitur, venenum partes, quibus inſidet vel erodit, vel corrumpit, vel ſaltem malè afficit. Si *Mercurius ſublimatus* fuerit aſſumptus, acerbiſſimum dolorem producit in ventriculo, ventriculum omnino corrodit, licet verſus ventriculum continuò deferatur ſaliva, temperando veneno apta, licet oleum & liquores blandi aſſumantur, eidem ſcopo inſervientia. Ergo ubi nulla talia ſymptomata, nulla ſigna inſidentis veneni evadunt manifeſta, nullum etiam in parte ſtatuendum eſt venenum. Deinde quo pacto venenum hoc ad pollicem pedis fuiſſet delatum? An per arterias? An per nervos? An fuit generatum in pollice pedis? Quare à jugi ſanguinis influxu non fuit vel penitus abſorptum, vel etiam temperatum? Poſſent hæc latius deduci, verum hæc ſufficere arbitror illi, qui præjudiciis minimè excæcatus, rem ipſam ſpectare voluerit. Si autem venenum ipſum pollici pedis inſederit nullum, clariſſimum eſt, auram venenatam non potuiſſe elevari. Qua enim viâ vapores illi adſcendiſſent? An per nervos? Atqui illi ſpiritus animales à cerebro verſus membra deferunt. An per arterias? Atqui illi ſanguinem à corde verſus extremitates deferunt. An per venas? Atqui oportuiſſet vaporem illum fuiſſe acerrimum, qui ſanguini venenoſo, non tantum à pollice pedis, ſed & omnibus aliis membris refluo, confuſus, non fuiſſet temperatus, antequam ad cerebrum eſſet perventum. An per vaſa lymphatica? Atqui illa lympham quidem verſus ductum chyliferum, non autem verſus cerebrum deferre poſſunt. Concludo, cum venenum illud in pollice pedis fuerit nullum, cum halitus illi venenati cum ſtructura & uſu partium, atque ſanguinis circulatione manifeſtè pugnent, non eſt explicatio ſatis commoda, ad formandum diſtinctum conceptum, quomodo morbus caducus in hoc caſu producatur?

Vera explicatio. Si ergo hæc ſuppoſitio veneni, & halituum venenatorum examen ſuſtinere non poſſit, age videamus, an explicatio poſſit excogitari, quæ hiſce abſurditatibus careat? Non erit hæc longè petenda, ſi tantum conſideremus omnes Morbo caduco laborantes non ſemper, ſed per intervalla tantum hiſce ſymptomatibus infeſtari, unde rectè concludimus, licet diſpoſitio ad hunc morbum adſit, eam tamen plerumque à cauſis externis, vel

vel internis in actum deduci. Quamvis tuberculum in cerebro lateat, quamvis ventriculi ſint anguſtiores, quamvis latex ſeroſus copioſior cerebrum premat, non tamen ſemper convellitur æger, ubi ſanguis moderatè & blandè movetur, quando arteriarum carotidum ramuli majores aut minores non ita replentur, ut ſenſus aboleatur, ut motus ſubſequantur convulſivi. Illud tum demum contingit, ubi ſanguis à cauſa externâ vehementius agitatur, in quo caſu obſtaculum illud cerebri, impediens facilem circulationem, repletionis majoris arteriolarum, adeoque depreſſionis cerebri eſt cauſa. Ita notiſſimum eſt, quoſdam ex animi commotione, ab æſtu, ab odoribus ſuavibus, aut etiam fœtore, quoſdam ab ebrietate, repletione, &c. in paroxyſmos convulſivos incidere. *Curtius Rogerius* igitur laboravit morbo caduco à repletione, ſanguis fuit glutinoſior à mœrore, copioſior à defectu exercitii &c. ſerum fortè copioſius in cerebro aggeſtum, vel fortè aliæ cauſæ acceſſerunt, quæ non ſatis exactè annotatæ ſunt. Itaque quando ſenſum illum perſentire cœpit, commotus & metuens paroxyſmum, eo ipſo ad paroxyſmum fuit redditus diſpoſitus. Quid? quod ſanguis, fortè frigidior, à pollice pedis per venas ſurſum delatus, aliquam circulationi immutationem afferre potuit. Etenim non ulla commodior, mihi videtur hujus ſenſus explicatio, quam ſi dicamus, eam eodem modo contigiſſe, quemadmodum in febrium intermittentium principio, primum conſpiciuntur ungues livere: poſtmodum ægroti conqueruntur febrem ab extremitatibus verſus lumbos ſerpere, tandem ſymptomatibus variis futuram moleſtam. Itaque & hæc morbi caduci ſpecies confirmat meam ſententiam, ſcilicet, morbum hunc potiſſimum à repletione originem ducere. Repletionem autem nimiam, & quidem fortè ſeri majorem habuiſſe locum in hoc ægro, curationis ratio perſpicuum reddit; Quæ ad curationem in uſum ſunt vocata V. S. Cathartica, cucurbitulæ anguſtiores, ferrum candens, brachiorum & crurum manantia ulcera per tres menſes, ea omnia apta nata ſunt plenitudinèm nimiam expugnare. Quæ hactenus dixi ex eo confirmantur, quod mihi narravit Medicus longa praxi exercitatus, ſimile quid alii ægroto accidiſſe,

 qui

qui ab eo tempore quidem à paroxyſmis morbi caduci immunis, verum ſemper mente fuit hebetiore. Forte ſerum manſit ſatis copioſe aggeſtum in cerebro, ita tamen, ut novos paroxyſmos Epilepticos periodicos excitare non valuerit. Saltem mentis hebetudo evincit, cerebrum ipſum ab omni labe non fuiſſe prorſus immune.

Quomodo repletio ſit intelligenda?

Videor mihi ſufficienter eviciſſe, in omnibus Morbi caduci ſpeciebus potiſſimum repletionem eſſe reſpiciendam, quæ tamen ita explicanda eſt, ut ſimul debeat conſiderari contractio membranarum cerebri, cujus in ſuperioribus eſt facta mentio. Repletionis & inanitionis conceptum Hippocraticum in morbis cerebri maximi uſus, retinui, ut pateat, plurima ab auctoribus prolata examen ſuſtinere non poſſe, cauſas has obvias ſufficere. Quandoquidem tamen repletio in diverſis cerebri affectibus habet locum, ut diſcrimen, quod eſt inter morbos convulſivos, & reliquos, in quibus convulſiones abſunt, appareat, conſideranda eſt hæc membranarum contractio. Quamvis enim *Baglivo* in iis, quæ de *fibra motrice* memoriæ prodidit, non aſſentiar, illud tamen veriſſimum eſt, non ſemper ſolum conſiderandum eſſe partium fluidarum vitium, ſed inſuper ſolidarum texturam, ut multorum morborum genuina pernoſcatur indoles. Illud itidem veriſſimum eſt, fibras membranarum ſeſe variè poſſe contrahere. Apparet illud manifeſtè tum in aliis caſibus, tum in mactatione animalium Si enim diligenter attendas, poſt mortem & eviſcerationem eorundem, crebra adhuc conſpicitur membranarum contractio. Ita mihi videtur omninò veriſimile, membranas cerebri, à nimia repletione vaſorum arterioſorum malè mulctatas, fibrarum contractione conari excutere moleſtiam illam, atque hac eâdem contractione cerebrum comprimere, nec non ſpiritus animales, tubulos medullares replentes, expellere turbulentè verſus viſcera & muſculos, atque ita excitare motus convulſivos vehementiſſimos. Movetur cerebrum, in ſtatu vario obſervatur ſyſtole & diaſtole, id quod *Realdus Columbus* rectè annotavit l. 1. c. 5. de re anatomicâ; his verbis: *In bregmate, cum adhuc molle eſt, Syſtolen ac Diaſtolen planè perſpicimus, id quod nobis optimè confirmat, perpetuo conſtrictionis ac dilatationis motu*

motu cerebrum donari. Movetur cerebrum in ſtatu ægro in vulneribus capitis, ejusque membranarum, quæ non raro convulſiones excipiunt. Nempe ubi membranæ cerebri à fragmento oſſeo premuntur & irritantur in vulneribus capitis, facile convulſio ſequitur, quia ſpiritus animales, ad partem affectam copioſius confluentes, tendunt fibras nerveas, ſanguinis motum progreſſivum aliquomodo ſufflaminant, ac contractionem fibrarum motricium producunt. Quid ni in Morbo caduco contractionem convulſivam ſtatuas, ubi naturaliter ſyſtole & diaſtole habet locum?

Contractio hæc convulſiva excutit quicquid cerebro moleſtum eſt, conſtrictione vaſa deplet, ſinus adducit, ſanguinem impetuoſius verſus cor propellit, unde circulatio & preſſio ſequitur facilior. Arteriæ quippe, ſinus aliquomodo exhauſtos offendentes, ſanguinem non ita difficulter propellunt, unde depreſſio cerebri & nervorum imminuitur, adeoque ſenſuum internorum actio, abolita ad tempus, iterum reſtituitur, & paroxyſmus ceſſat. Et hæc mihi videtur vera eſſe cauſa, quare in Morbo caduco convulſionibus ceſſantibus iterum excitentur ægri, & ad munia ſua redeant. Quomodo paroxyſmus deſinat.

Dixi in deſcriptione Morbi caduci eum potiſſimum excitari à repletione. Explicui qua ratione ego concipiam hoc fieri. Non inutile tamen eſt, hic quoque inanitionem conſiderâſſe. Quamvis enim inanitio in maximè propriâ ſignificatione, locum habeat in Epilepſiis ſymptomaticis, à copioſâ & repentinâ evacuatione excitatis, poteſt tamen fieri in Morbo caduco quoque inanitionem non eſſe negligendam. Nempe quando à cauſâ externâ quiſpiam, Morbo caduco corripi ſolitus, primum in Lipothymiam incidit, quam ſtatim ſequitur novus paroxyſmus. In hoc caſu propulſio ſanguinis è corde minori perficitur vi, pulſus ferè aboletur, calor & dilatatio ſanguinis imminuuntur, reſpiratio ferè tollitur, extremitates frigent, ſpiritus animales minori producuntur copiâ, adeoque inanitio omnino videtur locum habere. Cum autem ſyſtole & diaſtole cerebri, motui cordis & reſpirationi ſint proportionatæ, neceſſum eſt, utrumque hunc motum reciprocum ad tempus ferè tolli. Non propellitur ergo ſatis vividè ſanguis De inanitione.

è ſiniſtro cordis thalamo, novorum ſpirituum animalium jugis productio ſufflaminatur, non expanditur modo conſuetò cerebrum, ſed potius concidit ſubitò, adeo ut pars inferior & medullaris, ab incumbente cerebro comprimatur. Concidit cerebrum eo tempore, quo tubuli medullares ſpiritibus copioſis adhuc gaudent, ſupponimus enim hominem, alias ſatis vegetum, repentè lipothymiâ corripi, concidens cerebrum pellit eoſdem verſus medullam oblongatam & ſpinalem ſpiritibus turgidam, atque hinc in nervos varios: ſpiritus hi verſus muſculos & viſcera expulſi, fibras tendunt, tenſione motum ſanguinis progreſſivum, minorem quidem, non tamen omnino ſublatum, cohibent, adeoque motus convulſivos cum mentis ſtupore producunt, Morbi caduci novum cient paroxyſmum. Non putem in hoc caſu convulſivum motum membranarum cerebri ita obtinere, quemadmodum in Morbo caduco à repletione producto, ſed præcipue conſiderandam molem cerebri flaccidam redditam, pondere ſuo partes ſubjectas prementem, atque ejuſdem diſpoſitionem ad Morbum caducum. Neque enim omnes lipothymia correpti in morbum caducum incidunt, ſed ii, qui ei obnoxii ſunt. Depreſſio hæc cerebri tanto magis eſt efficax in homine, quanto hominis cerebrum ceterorum animalium, comparatione inſtitutâ reſpectu magnitudinis corporum, magis ſuperat. Quod ſi ulterius huic comparationi inſiſtere velimus, medulla oblongata in homine cerebro directè ſubſtrata eſt, ſecus atque res ſeſe in brutis habet, debet itaque ſubſidentia & compreſſio cerebri ſpiritus animales quaquaverſum propellere ſatis magna vi, licet paroxyſmus à lypothymiâ originem trahat. Influunt ergo hi ſpiritus verſus oculos, palpebras, faciei muſculos, nervos pari vagi: cor, pulmonem, diaphragma agitant: influunt verſus nervos ad artuum muſculos diſtributos. Itaque partes hæ omnes convulſionibus exagitantur. Non ſolet talis paroxyſmus diu continuari, ſed ubi lipothymia ſuperata eſt, ſuperatur Morbus caducus: imo ille ipſe influxus ſpirituum verſus cor & præcordia, cordis majorem motum excitando, ſimul lipothymiam & Morbi caduci paroxyſmum tollit. Ita videmus rem ſeſe habere: poſt convulſiones haſce ceſſantes ægrum oculos iterum aperire, ſurgere & diſcedere. Fa-

Facile jam eſſet è hactenus dictis erroneas aliorum opiniones convellere. Verum non immorabor refutationi Galenicorum, ventriculorum cerebri obſtructionem ſtatuentium cauſam Epilepſiæ, quoniam hæc opinio innititur præjudicio de ventriculorum uſu, tanquam ſpirituum animalium promptuariis; deinde quoniam jam ante me vidit *Urtzerus* hanc ſententiam examen ſuſtinere non poſſe. Libro de Epilepſia c. 11. Vide quoque *Philothei Eliani Montalti* Archipathologiæ. Tract. XVII. c. 4. Non immorabor refutationi ſententiæ *Averrhois*, Epilepſiæ cauſam ſtatuentis flatum genitum quidem in ipſomet cerebro in Idiopathiâ, aliunde tranſmiſſum in Sympathia. Vid. eund. c. 5. Non immorabor refutationi ſententiæ *Fernelii* venenatam qualitatem ſtatuentis, cui ſe opponit *Zacutus Luſitanus*. L. 1. de M. P. H. quæſt. 12. Non refurabor refutationi ſententiæ Chymicorum, quandoquidem hi in cauſis explicandis & obſcuri ſunt & infelices. Non immorabor ſententiis *Williſii*, *Sylvii*, aut *Neotericorum* refutandis, quandoquidem is qui mea hæc ritè perſpecta habebit, is facile videbit quam ficulneis hæc omnia innitantur fundamentis, nec eſſe neceſſe refutare opiniones inconceſſis innixas principiis. Illud tamen addere non erit inutile: *Galeni* ſententiam de obſtructione ventriculorum atque ipſius cerebri, non malè poſſe conciliari cum iis quæ hactenus diſputavi. Ex abolitione principum facultatum illam colligebat: ego ex eâdem cauſâ, ut & ſtructurâ cerebri compreſſionem deduco, quæ non minus efficaciter ſpiritus animales intercipit. *Eſt enim animalis ſpiritus, qui in ventriculis cerebri continetur*, *PRIMUM* (verba ſunt *Montalti* Tract. XVII. c. 4.) *ANIMÆ INSTRUMENTUM, tum in ſenſibilibus actionibus, tum in iis, quæ à conſilio & voluntate procedunt.* En iterum confirmationem ſententiæ, hoc capite propoſitæ. Ordinis ratio jam poſtulat, ut me accingam ad cauſarum antecedentium & procatarcticarum explicationem. Refutatio omittitur.

Cauſæ antecedentes variæ ſunt, imprimis cerebri humiditas, & flacciditas; ita enim facile humores ſeroſi incrementum capere, & tumores generari poſſunt: ita ad depreſſionem præternaturalem cerebrum redditur aptum. Ventriculus debilior Cauſæ antecedentes.

bilior quoque, cibum non concoquens ſufficienter, generationis humorum viſcidorum, ſanguinis minus defœcati, defectus evacuationis neceſſariæ cauſa eſt. Lympha, ſaliva, ſuccus pancreaticus, ſerum copioſum ſanguinem minus activum producunt. Bilis ſi non ſufficienter ſegregetur, aut non ſit laudabilis conſiſtentiæ, etiam ad minus laudabilem ſanguinem, nec non ad tardiorem ſecretionem & excretionem fæcum alvinarum facit. Quod ſi meſenterium tumoribus ſcirroſis facilem tranſitum chyli impediat, ſanguinis quoque preſſio minus robuſta ſanguinem minus laudabilem, minus defœcatum, nutritioni minus aptum reddit. *Hippocrates* in libro de *Morbo Sacro* inter cauſas præcipuè meminit pituitæ. Et revera, ſi partes glutinoſiores ſanguini ſint permixtæ, ſanguis ad promptè pertranſeundum fibrillas minimas arteriolarum cerebri minus eſt aptus: unde tum neceſſariò ſequitur earundem arteriarum major repletio, nec non cerebri depreſſio. Idem ille ſanguis facile incrementum ſuppeditat tumoribus cerebri vel ſtrumoſis, vel etiam ſcirroſis. Idem ille ſanguis minus aptus eſt evacuationi per vaſa uteri, ſanguinis menſtrui excretioni dicata. Glutinoſa hæc conſtitutio non parum intenditur, ſi lympha ſit minus mobilis, aut ſi ſaliva & ſuccus pancreaticus peccent aciditate nimiâ, quemadmodum videmus ab acido admixto humores multum inſpiſſari. *Johannes Georgius Greulichius* in χοληλογίᾳ p. 69. §. 30. à bile uterinas evacuationes deducit: ab eâdem bile concluſa tum varia ſymptomata, tum etiam Epilepſiam derivandam eſſe cenſuit. Non enumero inter cauſas antecedentes tetros & malignos halitus ac vapores, ſive in cerebro, ſive extra cerebrum genitos, de quibus *Schenkius* l. 1. de Epilepſia. obſ. 7. tum quod conceptus horum vaporum præjudicio innitatur, uti vidimus, tum quod vaporum explicatio adhibita ſit, quandoquidem conceptus de obſtructione à pituita non ſatis arridebat, tum etiam quandoquidem omnem Morbum caducum exiſtimem eſſe idiopathicum, uti poſtmodum demonſtrabo. Quod ſi abſceſſus repertus ſit in cerebro, uti *Fernelius* teſtatur, tum frivolum eſt recurrere ad vapores, cum abſceſſus abundè ſufficiat ad Epilepſiam producendam. Manifeſtum illud evadit

dit ex experimento *Fracassati*. Hic in Epistola ad *Malpigium* p. 253. refert, ab infuso spiritu Vitrioli sanguinem concretum produxisse symptomata epileptica. Sanguis autem atramentum sutorium referebat. Quæ de Melancholia Auctores habent, ex hisce fundamentis sunt explicanda. Vid. *Montaltum* Tr. XVII. c. 9.

Inter causas procatarcticas primum locum sibi vendicat aër, non tantum quatenus frigiditate & humiditate cerebrum constringens & flaccidius reddens, occasionem præbet majoris accumulationis seri, sed & quatenus idem calidior, aut minus liber, aut etiam à turbâ hominum nimium vaporibus repletus sanguinis motum immutare, lipothymiam producere, atque ita novum paroxysmum provacare potest? Probè enim notandum est, quamvis dispositio ad producendum Morbum caducum in hisce miseris semper adsit, illos tamen per intervalla tantum in novos paroxysmos incidere, atque hos non raro originem suam debere causis externis. Absque hoc si esset, difficillimum foret conceptu, quomodo lunatici per aliquot horas, dies, hebdomadas integras, possent omnino immunes esse ab hisce vehementibus convulsionibus, atque subito in easdem incidere, tum iterum liberari. Oritur illud ex eo, quod spiritus & sanguis levi momento exagitari possint, unde tum difficultas transitus, repletio vasorum, contractio meningum sequitur. Idem aër si odoribus aut tetris aut suaveolentibus, *Moschi*, *Zibethi*, *Myrrhæ*, *Thuris*, *Styracis* sit inquinatus, etiam facile ad novum paroxysmum disponere potest. Huc referri potest mora in sole & sub dio protractior; ita enim sanguis, cerebro contentus, calefit, expanditur, atque nimiam vasorum repletionem efficere potest. Quod si autem talis etiam sanos in gravem capitis dolorem, vertiginem &c. conjicere potest, non debet mirum videri, si idem, ad morbum caducum dispositos, in novum præcipitet paroxysmum. Ventus etiam meridionalis aut borealis, quatenus humiditati & sero accumulando, vel etiam cerebri refrigerationi occasionem præbet, inter causas procatarcticas recenseri solet. Vide *Hippocratem* de Morbo sacro. Idem *Hippocrates* inter causas comitialis morbi recenset anni tempora Aph. 20. s. III. Τȣ̃ μὲν γὰρ ἦρ@ τὰ μανικὰ, ἢ τὰ ἐπιληπτι-

Procatarcticas Aër.

 κὰ,

κα̃, ἢ αἵματος ῥύσιες. &c. Vide quoque Aph. 22. & 16. ſ. III. Refrigeratio pedum in puellis, à defectu menſium laborantibus, admodum noxia. Exiſtimant quidem aſtrorum poſitum, ad hunc morbum inducendum, aliquid facere, id quod mihi à veritate videtur eſſe omnino alienum. Quæ eſt connexio inter Morbum caducum, & Eclipſin Lunæ? Quare ii, qui in hac Eclipſi naſcuntur, eo ipſo ad hunc morbum redduntur diſpoſiti? Sunt hæ aniles fabulæ, fortè ex eo ortæ, quod Lunæ lumen tum obſcuretur. Hinc arbitrati ſunt lumen mentis, in hoc morbo, ad tempus tenebris veluti involutum, à defectu lunari aut pendere, aut ſaltem cum eo relationem aliquam habere. Mutatio tamen tempeſtatum anni repentina, magnam in motu ſanguinis mutationem efficiens, aliquid poteſt. Vid. *Hipp.* Aph. 20. & 23. ſ. III.

Ea quæ extrinſecus adveniunt.

Non ſunt ſicco pede transmittendæ res extrinſecus advenientes. Nempe omnes res in caput validè impingentes, non tantum extrinſecus tumores & vulnera infligere, ſed & internè cerebrum vehementer quatere, atque lædere poſſunt. Concuſſio illa cerebri ſi omnino ſuperetur, læſi poſtmodum ſatis ſani degunt, quod ſi autem tumores ſcirroſi, aut ſtrumoſi relinquantur, tum poſtmodum morbus caducus, vitio cerebri exortus, diu affligere poteſt. Hæc prava diſpoſitio cerebri, quatenus à rebus extrinſecus advenientibus producitur, eſt hujus loci, nam vulnera & ulcera, aut dolores hæc comitantes pertinent ad Epilepſias ſymptomaticas de quibus in ſequentibus eſt agendum. Ad res extrinſecus advenientes poſſunt revocari Balnea, in quibus diutius commorari noxium, referente *Gabelchovero* obſ. 59. Cent. IV.

Cibus & potus.

Cibus & potus non minimum locum obtinent inter cauſas procatarcticas. Nam ſi repletio imprimis producat morbum caducum, omnia quæ in univerſo corpore repletionem, aut ſpecialiter eandem in capite producere poſſunt, in cauſarum antecedentium catalogo rectè enumerantur. Itaque ingluvies, quatenus non tantum nimiæ vaſorum repletioni, ſed & ſanguini viſcidiori, hoc eſt, minus ſubacto, occaſionem præbet, duplici nomine nocet, namque hoc pacto & æqualiter omnes arterias magis replendo, & arterias carotides minus promptè tran-

transſeundo, ad Morbum caducum diſponit. Etenim ſi ingluvies, abſque præviâ diſpoſitione, Epilepſiam ſymptomaticam producere poteſt, cujus exempla in ſequentibus narrabo, quanto magis eadem ingluvies & ad magis frequentes, & ad graviores, aut ſubitaneos inſultus diſponit? Quæ de ingluvie dixi, etiam de crapulâ dicenda ſunt. Habet hoc crapula peculiare, quod & cerebrum, & ſpiritus animales malè mulctet. Habet & hoc conſideratu digniſſimum, quod ſanguinem non tantum exagitet, ſed & vehementer expandat. Non mirum ergo, ſi crapula non minimum locum inter cauſas procatarcticas obtineat. Quemadmodum autem cibi & potus quantitate, ita etiam qualitate non parum peccare poſſunt. Non omnes cibi onere ſuo ventriculo æque moleſti, non omnes cibi æque difficulter digeruntur. Itaque quicumque cibi ægrè manducantur, aut dentibus comminuuntur, illi cibi etiam à ventriculo non ſatis facile concoquuntur. Hæc, ſunt inter ſe proportionata. Sunt tamen non pauca, quæ quamvis non ita difficulter comminuantur, non ſunt tamen probi ſucci, εὔχυμοι. *Franciſcus Hildesheim* habet exemplum puellæ Epilepſiâ correptæ ex uſu fructuum horariorum, & lactis nimiâ ingurgitatione. Anguillas itidem nocuiſſe refert *Foreſtus* L. x. obſ. 57. in Scholiis. Hi cibi in Morbo caduco noxii. In ſpecie enumerantur adhuc quidam cibi in hoc morbo vitandi, *Allia*, *Cepæ*, *Apium* ſeu *Petroſelinum* vulgare, quia ſc. vaporibus caput replent; verum re penitus perſpectâ, abſurda ſunt ea, quæ de repletione capitis à vaporibus proferuntur. Quod ſi autem facultates horum veras inveſtigemus, ſunt pleraque quodammodo aromatica, ſale volatili & particulis craſſioribus fœta, unde ſequitur, chylum hiſce imprægnatum, & ad ſanguinem delatum, debere magis eundem expandere, unde major ſequitur repletio vaſorum, atque ea diſpoſitio, è qua Morbum caducum facile ſuſcitari ſuperius innui ego. Adeo ut ea, quæ Auctoribus per experientiam innotuerunt, quæque perverſè explicata ſunt, non parum faciant ad ſententiæ meæ confirmationem. Enumerantur adhuc quædam, quæ creduntur pollere facultate peculiari hunc morbum excitandi, ut ſunt carnes *hœdorum* & *caprarum*, *hepar hircinum* & *caprinum*, *paſſerum cerebella* & ſimilia. Huc pertinet quoque *tuberum* frequens eſus ut & *co-*

thurnicum. An autem hæc omnia æque ſint noxia, ego aliis diſquirendum relinquo. Nocet quoque vinum impenſè craſſum, aut turbidum, aut recens, nec ſatis defœcatum. Quemadmodum autem ingluvies, ita etiam fames & inedia protracta noxia, uti illud exemplo *Diodori Grammatici* apud *Galenum* conſtat. Vide *Sennertum* l. 1. p. 11. c. 31.

Motus & quies.

Motus & quies utraque in hoc morbo noxia, ſi ſint immoderata. Motus immoderatus non tantum preſſionem ſanguinis multum auget, ſed & calorem, & expanſionem. Non tantum cor celerius & frequentius contrahitur; verum motus muſculorum, cum reciprocâ antagoniſtarum diaſtole & ſyſtole perficiatur, quaſi cordi ſuccenturiatur; adeoque & preſſionem & expanſionem multum auget. Itaque ſi obſtaculum aliquod hæreat in cerebro, uti explicatum eſt, facile ſuſcitatur novus paroxyſmus. Quies & otium diuturnum, vita ſedentaria, non tantum ſanguinem producit magis lentum, ſed & inſenſibilem tranſpirationem, & excrementorum evacuationem minus promovet. Hinc facile humores ſeroſi nimium capiunt incrementum, adeoque ventriculos cerebri replent, aut etiam ad tumorum in cerebro augmentum non parum faciunt. Perſuaſum quoque fuit, ſi quis *caprinâ pelle* recenter excoriatâ induatur, & ſic opertus mari intingatur, eum ſtatim caſurum; verum fides ſit penes Auctores.

Somnus & vigilia.

Cum Somnus & vigilia maximè cerebrum & ſpiritus animales afficiant, atque ope cerebri reliquas in corpore partes, perſpicuum eſt, utriuſque conſiderationem non eſſe ſuſque deque habendam. Somnus protractior ſpiritus animales ſegniores reddit, adeoque cerebri depreſſioni reſiſtendæ ineptiores; idem ſomnus excrementa in cerebro multum accumulat, adeoque utroque nomine in Morbo caduco noxius eſt. Spirituum animalium ſegnitiem, in Morbo caduco, alicujus eſſe momenti patet ex iis, quæ de Comate vigili, Phrenitide &c. diſputavi in ſuperioribus: tum enim illorum motus depreſſioni cerebri & ſomno reſiſtit.

Excreta & retenta.

Non minus ad diſponendum homines ad Morbum caducum faciunt, excreta & retenta. Et quidem colluvies ſeroſa, ſi in cerebro cohibeatur, manifeſtum eſt, hinc cerebrum ad hunc affe-

affectum disponi. Si menstruus fluxus desit, corpus non tantum, generaliter considerando, nimium repletur, verum etiam sanguis magis magisque ineptus evadit circulationi per minimas vasorum propagines commodè absolvendæ. Alvi adstrictio, ordinaria quibusdam, non tantum molesta, sed & summè noxia est: verum illa non tam facile medicamentis, quam quidam convenienti regimine superatur. Nimia venus & spiritus animales exhauriendo, & sanguinem effœtum reddendo, ad hunc morbum vel excitandum, vel etiam aggravandum non parum facit. Vitanda, & cane pejus ac angue, fugigienda illicita, moderanda licita, & animus regendus.

Dixi superius occasiones aliquas ordinariè, præcedere hosce paroxysmos, hæ sæpenumero sunt animi passiones repentinæ. Sanguis & spiritus ab hisce exagitati cerebrum magis replent, membranis molesti sunt, adeo ut hinc sæpe exoriantur novi insultus. Passiones magis lentæ, & minus vehementes, tristitia, mœror & similes, sanguinem glutinosiorem, & circulationi absolvendæ per cerebrum, ejusque membranas ineptiorem reddunt. Eædem illæ passiones secretiones ordinarias & maximè necessarias non tam promovent, quam impediunt. Ubi autem secretio minor est, excretio itidem est minor, itaque sanguis minus defæcatus, spiritus minus evadunt mobiles. Hinc vigor corporis multum imminuitur, adeoque ægroti variis morbis, imprimis cerebri, magis redduntur expositi. Moeror etiam ad Scorbutum disponit, qui morbus non raro affectibus convulsivis stipatur, & ad pravas cerebri dispositiones homines reddit aptos. Animi pathemata.

Accedendum est ad Morbi caduci differentias, quæ à circumstantiis præcipuè petuntur. Alius est hæreditarius, alius adscititius: observante *Hippocrate* libro de Morbo sacro, & *Zacuto Lusitano* in Praxi Medicâ admirandâ l. 1. obs. 33. Alius est recens, alius inveteratus. Alius Mares, alius Fœminas. Alius juniores, alius majores motu infestat. *Schenkius* l. c. obs. 11, 12, 13. annotavit ex animi affectibus quosdam Epilepsiâ correptos, ut & pueros è terrore. &c. Alius ante pubertatem, alius serius incipit. Alius per signa consueta ægrum de instante paroxysmo monet, alius subito absque ullo, aut exi- Differentiæ.

guo ſenſu ingruit. Solent Auctores diſtinguere etiam hunc affectum in Idiopathicum & Sympathicum, quæ diſtinctio mihi in hoc morbo non videtur habere locum: eſt omnis Morbus caducus idiopathicus. Ut mea mens rectè percipiatur, non nego Auctores de Epilepſia per Idiopathiam & ſympathiam potuiſſe & debuiſſe tractare; verum non puto mihi iſtorum veſtigiis inſiſtendum. Illi capite de Epilepſiâ admodum diverſas ejus ſpecies ſimul tractant, itaque hæ à ſe mutuo erant diſtinguendæ. Ego autem, ut confuſionem illam, admodum (ut mihi quidem videtur) noxiam, evitarem, ſtatim in principio hujus tractationis propoſui tabulam exactam, nequaquam falſis imaginationibus, & perverſis hypotheſibus, ſed praxi accuratæ innixam. In ea Morbum caducum, ſeu Epilepſiam periodicam, ab Epilepſiæ ſymptomaticæ diverſis ſpeciebus diſtinxi. Epilepſiæ ſymptomaticæ ſpecies poſſunt dici Epilepſiæ per conſenſum: cum autem in ſequentibus de iis in ſpecie ſit agendum, Morbus caducus omnis mihi eſt Idiopathicus. Ne cui autem aliquis poſſit hærere ſcrupulus, non erit inutile, tres à me propoſitas Morbi caduci ſpecies paucis percurrere. Primam igitur ſpeciem eſſe Morbum caducum per eſſentiam, nulli poteſt eſſe dubium, quandoquidem ea à vitio cerebri oritur. Altera ſpecies etiam, ex iis quæ explicata ſunt, debet ſtatui contingere per Idiopathiam, quandoquidem ea non omnibus contingit ante menſium eruptionem, & non raro adjunctam habet & ſanguinis & cerebri pravam diſpoſitionem. Vide *Joſephum Quercetanum* in principio Tetradis graviſſimorum capitis affectuum. Contingit itaque iis tantum, in quibus cerebrum malè affectum eſt, adeoque cenſendus eſt, Morbus caducus per eſſentiam. Epilepſia hyſterica, ſeu ſuffocationem hyſtericam excipiens, aut cum ipſa copulata, eſt Epilepſia per conſenſum; verum in hac ſpecie, & ætate, non eſt neceſſe morbum caducum præcedere ſuffocationem hyſtericam ante pubertatis tempus non ita crebro aut graviter affligentem. Nec eſt quod mihi quiſpiam objiciat, non videri hic vitium cerebri inſigne adeſſe, quandoquidem tales non raro liberantur: verum non mirum eſt in hiſce affectum ſuperari, ubi ſanguis incipit eſſe melius diſpoſitus, ubi ſpiritus red-

redduntur alacriores, cum tales adhuc totius corporis capiant incrementum, in augmento autem non rarò vitia corporis, membrorum distorsiones sæpe, emendantur: quid mirum ergo, si sanguis & spiritus melius dispositi, si majori cum vigore circulationem & nutritionem absolventes, incipientem cerebri, aut ejus vasorum pravam dispositionem emendent? Putem me sufficienter evicisse hanc speciem etiam meritò referri ad Morbum caducum idiopathicum, si quis tamen ad hystericam affectionem hanc ablegare malit, is suo fruatur sensu. Major videtur difficultas respectu tertiæ speciei, quæ, secundum Auctores, originem habet ab aurâ venenata ab his vel illis partibus adscendente. Verum ex iis, quæ superius disputata sunt, putem esse manifestum, perversè statui aliquod venenum in illa parte latere, quandoquidem illud nulla sui præbet, colore, dolore continuo, actione læsa, qualitatibus mutatis indicia. Si autem venenum tali in parte non lateat, nec ab illâ potest statui produci Morbus caducus. Quod si autem morbus caducus oriatur à levissima membri ex. gr. refrigeratione, longè frequentiores deberent esse Epilepsiæ periodicæ. Cur in quartanarum principio non oritur Epilepsia satis gravis? cum non tantum à pedis pollice, sed ab omnibus digitis, ab omnibus unguibus lividis versus superiora & lumbos videtur serpere febris? Revera aura hæc Epileptica, cujus auctores faciunt mentionem, non melius potest explicari, quam exemplo modo allato, cum reptatus sit omnino similis. Si autem quartana non ideo dicatur contingere per consensum, quia ejus indicia sese in extremitatibus unguium livore produnt, non potest etiam Morbus caducus, à pollice pedis, ut videtur, ortus, dici per consensum. Dicet fortasse aliquis, atque tu ipse hanc speciem à reliquis distinxisti: illud ego libentissimè fateor, atque illud erat necessarium, ne illius viderer oblitus: deinde constituit etiam distinctam, speciem non quatenus per sympathiam aut idiophiam affligit, sed quatenus non repentè ac sine sensu, verum cum præviis signis invadit, & hæc est illa distinctio, cujus superius quoque memini.

Signa Morbi caduci non tantum ex iis quæ in superioribus Signa.

sunt

ſunt tradita, eluceſcunt, ſed ita cognita ſunt, ut nec hominibus plebejis ſint obſcura. Illum inſtare aliquando indicat Vertigo, parva Epilepſia ab antiquis vocata, teſte *Quercetano* in Tetrade c. 2. Verum quis ſit nexus inter Morbum caducum & Vertiginem, demum è meâ explicatione liquidò innoteſcit. Capitis dolor & gravitas, nonnunquam & faciei pallor præcedit. Et hæc quidem ſigna meam & *Hippocratis* ſententiam: Convulſiones oriri vel è *Repletione*, vel ex *Inanitione*, admodum confirmant. Quæ eſt cauſa Vertiginis? Repletio. Quæ eſt cauſa doloris capitis? Repletio. Quæ eſt cauſa gravitatis capitis? Repletio. Quæ eſt cauſa palloris faciei? Inanitio. Repletio arteriarum carotidum à ſanguine, & preſſio in orbem nervorum opticorum cauſa eſt Vertiginis. Repletio vim inferens vaſis & membranis cerebri, cauſa eſt capitis doloris. Repletio, nimiâ ſanguinis quantitate caput onerans, cauſa eſt gravitatis capitis. Faciei pallor, à defectu influxus ſpirituum animalium, præcipuè ſi accedat Lipothymia aut Syncope, rectè ad inanitionem referri poteſt. In Convulſionibus, ſeu Epilepſiis ſibi mutuo brevi ſuccedentibus, obſervatur adhuc aliud ſignum imminentis, & jam jam invaſuri novi paroxyſmi, adſtantibus admodum manifeſtum: oculi manent immoti ac rigidi, viſus aboletur. Hoc ſymptoma, & ſignum manifeſtiſſimum, non ex auctorum lectione, ſed è praxi diligenti, explicationem itidem non ab auctoribus, ſed è meis fundamentis didici. Cur viſus aboletur? Cur oculi perſtant immoti? Cur, ſi manus ante illos moveatur, ne nictitant quidem oculi? Non pendent illa à vaporibus, halitibus, aut flatibus à partibus inferioribus elevatis: non à ſanguine & liquore nervoſo ſibi mutuò contrariis, non à particulis ſpaſmodicis, non ab exploſione. Dependent illa à repletione nimiâ arteriarum carotidum, à compreſſione nervorum opticorum, atque oculos moventium. Dependent illa à denegato influxu ſpirituum, ob arteriarum, nervos ad oculum diſperſos undique cingentium, tumore & repletione nimiâ. Diſtat hæc repletio gradu à Vertigine. In Vertigine quippe adeſt aliqua, & in circulum leviter afficiens nervos opticos, compreſſio: in Epilepſia, talis, ut ita dicam, conſtipatio, ut viſus ad tempus omnino aboleatur.

tur. Non replentur rami carotidum arteriarum, quin simul repleantur vertebrales, ejusque ramificationes laterales. Quamvis enim ego *Wepfero* assentiar, rete mirabile in homine neganti, promit tamen arteria carotis, promit arteria vertebralis ramificationes laterales non contemnendas, quæ hic negligendæ non sunt. Ab horum vasorum omnium repletione dependet compressio medullæ oblongatæ, protuberantiæ annularis, & nervorum ex hisce oriundorum. Cum enim basis cranii impediat, quo minus vasa hæc sese versus inferiora explicare possint sufficienter, medulla autem oblongata, protuberantia annularis, & nervi admodum sint molles, facile concipimus impetum irruentis sanguinis, repletionem vasorum ingentem, debere, non tantum visum, sed & reliquos sensus, tum in organis exterioribus, tum in universo corpore abolere. Ab hac mechanicâ vasorum, ut & cerebri universâ mole, perpendiculariter basi & vasis majoribus incumbente, petenda est ratio, quare vertiginosi non raro erecti titubent, & pejus habeant, melius decumbentes, cum alias videretur illos pejus debere habere, ubi situs declivis faciliorem progressum ad cerebrum concedit. Ubi hæc compressio omnimoda præcedit, non longe abest paroxysmus, quippe jam non tantum fibrillæ arteriarum minimæ, sed & trunci majores expansi sunt: itaque cerebrum à jugi cordis contractione, adeoque sanguinis copiâ, ulterius deprimitur, sensus abolentur, vis infertur membranis ejusdem, tenduntur fibræ nerveæ, sanguinis motus progressivus aliquomodo impeditur, convelluntur membranæ, & incipit paroxysmus. En facilem & veram explicationem symptomatis & signi frequenter obvii.

Distinguendus jam est Morbus caducus à reliquis Epilepsiæ symptomaticæ speciebus. Ab Epilepsia symptomaticâ febrili facile distinguitur, quandoquidem hæc excipit febres graviores sive in principio sive etiam in progressu subsequatur. Nempe in hoc casu ægri sæpe toto vitæ tempore ab hisce symptomatibus fuerunt immunes, febrilis orgasmus vehemens, & sanguinis expansio illa excitat. Eadem est ratio, si hæmorrhagiæ, vulnera, ulcera, dolor, purgatio nimia, producat convulsiones. Major est difficultas, ut distinguatur Morbus caducus ab

Epilepſiis hyſtericis. Oportet attendere, an ægræ frequenter corripiantur ſuffocationibus hiſce, an globi, veluti adſcendentis ad fauces, tumor ſentiatur? Non rarò etiam in affectibus hyſtericis mentem non adeo eſſe obnubilatam, nec ſenſus internos ita abolitos, uti in Morbo caduco, obſervari ſolet. Hæc ita ſeſe habere & ego, & alii animadverterunt practici, cauſam antecedentia explicant, nempe in Epilepſiâ periodica cerebrum malè affectum, in affectu hyſterico cerebrum ſatis benè diſpoſitum eſt. In Morbo caduco vitium præcipuè eſt in partibus ſolidis, in Suffocatione hyſterica in partibus fluidis, niſi uterum male affectum velis in obſtructione menſium. In Morbo caduco poſſunt inteſtina, & ventris inferioris viſcera, ſeſe ſatis bene habere, in Suffocatione hyſterica plerumque flatus & rugitus, nec non convulſiones partium, infimo ventre contentarum, adſunt. Solent mulierculæ & homines plebei adhuc attendere, an pollex firmiter palmæ manus ſit incluſus, hoc ſi contingat, non dubitant amplius paroxyſmum morbi caduci, ſi abſit exiſtimant non morbum caducum, ſed potius affectionem eſſe hyſtericam, ſaltem diſtinctam ſpeciem ab hoc affectu. Poſſet hæc obſervatio primâ fronte videri parvi momenti, mihi tamen, attentius de eâ cogitanti, viſa eſt non omnino negligenda. Nempe pollex non tantum muſculis gaudet robuſtis, ſed & è pari quarto & maximo nervorum, ad brachium diſtributorum, propagines recipit. Itaque ubi cerebrum malè affectum eſt; ubi ſenſus interni omnino aboliti, ubi ſpiritus animales tumultuoſè è cerebro propelluntur verſus medullam ſpinalem, non eſt mirum, ſi pollex vehementius contrahatur, adeo ut non niſi difficulter extricetur. Ubi autem cerebrum minus affectum eſt, valida hæc contractio non ita obſervatur. Comparationem autem inſtituentes inter Morbum caducum, & Epilepſiam hyſtericam, facile intelligemus, ſpiritus animales in hâc tumultuoſius in nervos intercoſtales & octavi paris, verſus viſcera intimi & medii ventris diſtributos, influere, quandoquidem inteſtina laborant, & flatibus ſunt diſtenta ordinariò, ſimulac autem illa moleſtia ſentitur, cor in conſenſum trahitur, cerebrum primariò non eſt affectum; in Morbo caduco aliter res ſeſe habet, cerebrum

ipſum

ipsum malè affectum est, mens obnubilata, ideoque spiritus versus medullam oblongatam & spinalem, nec non in nervos hinc prodeuntes influunt. Est ergo signum non contemnendum hoc, quod homines plebei observarunt. A reliquis speciebus & motibus convulsivis facile distinguitur Morbus caducus, quandoquidem plerumque sensus internos non abolent, præter convulsiones seu Epilepsiam infantum, has autem à reliquis ætas distinguit.

Morbus caducus est affectus curatu difficillimus, & sæpe nullis cedens remediis. Virginibus & puellis ante mensium eruptionem accidens, non rarò postmodum superatur. Huc pertinet *Hippocratis* Aphor. 7. s. v. Τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόισοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται, μετάστασιν ἴσχει. ὁκοίσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει. Ubi malum est hæreditarium rarissimè, vel nunquam tollitur. Sensim solent à crebris insultibus facultates animales debilitari, adeo ut postmodum ægrotis mentis acumen omnino obtundatur. Periculum vitæ in paroxysmis ordinariis non admodum manifestum, dummodo ægri à graviori lapsu, & similibus arceantur incommodis. Quanto magis malum est inveteratum, tanto difficilius tollitur, tanto facilius novus excitatur paroxysmus. Quemadmodum enim in iis, qui sæpius vomunt, à levissimâ causâ iterum excitatur nausea & vomitus, ita Morbo caduco sæpius correptis, è leviori causa novus oritur insultus. Igitur oportet attendere, ubi suspicio est novi paroxysmi, ad faciem, oculos, loquelam, ne subito & improvidè invadens Morbus caducus, ægrotum vehementer prosternat, vel aliâ ratione lædat. Morbus caducus in senibus & decrepitis difficillimè, vel nunquam curatur. Prognosis.

Indicationes generales in hoc morbo respiciunt, vel ipsum paroxysmum, vel extra paroxysmum in usum vocanda: paroxysmus quam ocissimè tollendus, extra paroxysmum repletio & inanitio expugnanda, specifica exhibenda: quibus indicationibus speciales in curationis tractatione adjicientur. Indicationes

Curationis modus apud veteres fuit admodum *superstitiosus*, expiationibus & incantationibus perfici solitus, quasi Morbus caducus prorsus differret ab aliis affectibus, quem errorem vidit, & refutare conatus est *Hippocrates in libro de Morbo* Cura.

bo sacro. q. v. Curatio in paroxyſmo perficitur ſpiritus animales excitantibus, quæ ſimul facultate pollent cerebri depreſſionem tollendi. Hujuſmodi ſunt *ſalia volatilia* & *ſpirituoſa. Spir. Sal. Armon. Spir. & Sal. Volat. C. C. Succini, Fuliginis, Oleum Succini, Tinctur. ejuſdem* ut & *Caſtorei. Liquor. C. C. Succinatus, Aquæ Antepilepticæ, Apoplecticæ* &c. Si enim talia naribus admoveantur, vel prudenter in os infundantur, ſolent recreari ægri. Imo ipſe paroxyſmus non diu perſeverare ſolet, ſi cerebri concuſſio, caſus vehemens, alliſio capitis in ſilices præcaveatur.

De V. S. in paroxyſmo in uſum vocanda.

Dubitatur, num in paroxyſmo conveniat V. S. nec ne? Verum, antequam ad hanc quæſtionem reſpondeam, obſervandum eſt, non tantum ſpectari Morbum caducum, ſed & reliquas Epilepſiæ ſymptomaticæ ſpecies, adeoque eodem modo de hac quæſtione agendum eſt. Nempe in Morbo caduco ordinariè V. S. non ſolet in uſum vocari, quandoquidem is adeo brevis eſſe ſolet, ut vix poſſit advocari chirurgus, vix inſtitui V. S. poſſit, quin inſultus diu ſit ſuperatus, in reliquis autem Epilepſiæ ſpeciebus, præcipuè à repletione, paroxyſmi plures ſibi mutuo non raro ſuccedunt, & priori finito novus ingruit, in hoc caſu utile eſt diſquirere, num V. S. conveniat nec ne? Reſpondeo itaque V. S. non tantum abſque ullo periculo poſſe in uſum vocari, ſed & non raro eam omnino requiri. Poteſt ſecari vena, quandoquidem æger ſatis eſt vegetus, adeoque nullum periculum ab ejus uſu impendet. Quid ni homini plethorico venam pertundas? Quid ni copiam ſanguinis imminuas, antequam æger ſuccumbat? Danda tantum eſt opera, ut vulnus prudenter infligatur, ut induciæ ac dilucida intervalla obſerventur, vel brachium ita contineatur, ut non difficulter chirurgus officio ſuo defungi poſſit. Neceſſaria ſæpe eſt V.S. quandoquidem ab ejus neglectu maximum impendet periculum. Si enim nimia repletio ægrum in paroxyſmum conjiciat, antequam ſanguis valdè agitetur, quanto magis eadem repletio, poſt validam & frequenter iteratam cordis contractionem, erit moleſta, non tantum cerebro, ſed & pulmoni, ſæpe itidem repleto? Difficultas circulationis non uno ſe prodit indicio. Poſſum ego teſtari, me aliquoties cum ſummo ſucceſſu, non tantum juſſiſſe venam pertundi in tali caſu,

ſu, verum etiam admodum copioſè juſſiſſe extrahi ſanguinem, cum maximo ægrotantis levamine. Memini me tale exemplum in *Cogitationibus meis de Inſtauratione Medicinæ* narrâſſe admodum memorabile, quod diligenter animadvertiſſe junioribus eſt utiliſſimum. Referam in ſequentibus aliud non contemnendum. Utile itaque eſt, & neceſſarium, in caſibus difficilioribus, ad V. S. & quidem largam recurrere, etiam in ipſo Epilepſiæ inſultu.

Non ſunt tamen hæc ita accipienda, quaſi velim, in omnibus hominibus, aut in omnibus Epilepſiæ paroxyſmis promiſcuè V. S. eſſe uſurpandam. Non eſt ſecanda vena in omni inſultu, hoc pacto vires nimium attererentur, nec tamen tolleretur morbus. Poteſt enim quis Morbo caduco & Epilepſiâ infeſtari, qui non eſt admodum plethoricus. Nempe repletio arteriarum carotidum, eſt quidem cauſa paroxyſmi, verum ea repletio non ſemper contingit ex eo, quod corpus univerſum nimiâ humorum copiâ laboret, ſed ex eo, quod tranſitus impediatur à tumore, malâ conformatione, aut etiam ſero nimio ventriculos replente. Judicio itaque opus eſt, & conſtitutio ægri, plethora, V. S. intermiſſio, vitæ genus, conſuetudo, evacuationes ſuppreſſæ, vel nimiæ, vires &c. conſiderandæ ſunt, antequam quis de V. S. ſtatuat. Sunt plures caſus in quibus à V. S. planè eſt abſtinendum. Non convenit ſæpe V. S. in Epilepſiis ſymptomaticis febrilibus. Non convenit in Epilepſiis ab hæmorrhagiâ nimiâ excitatis. Non convenit in Epilepſiis ab inanitione, aut in quibus larga evacuatio produxit Convulſiones. Illud tantum volui indicare, Epilepſiam, aut ejus paroxyſmos, per ſe, non vetare V. S. imo eandem ſæpe in ipſis inſultibus, cum ſummo ſucceſſu in uſum vocari. Specialior autem determinatio, ubi conveniat, nec ne, item qua quantitate &c. ſit educendus, è circumſtantiis ritè expenſis, nec non ex iis, quæ poſtmodum de reliquis ſpaſmorum differentiis explicanda ſunt, determinandum.

Plura poſſent addi, quæ ad excitationem ſpirituum in paroxyſmo faciunt, qualia ſunt enemata, emetica, purgantia, cucurbitulæ, errhina, ſternutatoria; verum cum Morbi caduci paroxyſmus citiſſimè ſoleat deſinere, hæc ſicco tranſeo pede, ad

ad ea, quæ extra paroxyſmum in uſum vocanda ſunt, me accingens.

Extra paroxyſmum repletio & inanitio expugnanda. Quod ſi igitur repletio univerſalis producat Morbum caducum, ea eſt imminuenda, quandoquidem ab hac paroxyſmi graviores dependent. Si æger ſit plethoricus, V. S. repletioni proportionata in uſum eſt vocanda. V. S. minuit nimiam humorum copiam, & preſſionem imminuendo, faciliorem motum ſanguinis per minimos tubulos efficit. Quemadmodum in Pleuritide V. S. difficiliorem motum ſanguinis per minimas arteriolas faciliorem reddit, atque vaſorum nimiam diſtenſionem imminuit, ita etiam in Morbo caduco res ſeſe habet. Quamvis enim hic inflammatio non adſit, nec ſanguinis, minimas arteriolas replentis, æſtus, adeſt tamen repletio arteriarum carotidum nimia, quæ non minus indicat V. S. quam minimarum fibrillarum inflammatio. Si menſtruorum defectus producat paroxyſmum, itidem V. S. habebit locum. In priori caſu inſtituatur V. S. in brachio, in poſteriori in pede. In priori caſu majori quantitate educendus eſt ſanguis, in poſteriori parcius, ne vires, ad evacuationem promovendam requiſitæ, nimium labefactentur. *Zacutus Luſitanus* è *Raſe* habet exemplum frequentis Epilepſiæ, è ſanguinis copiâ ſubortæ, V. S. curatæ. *Idem* refert quendam, ſæviſſimâ Epilepſiâ frequenter concuſſum, ſectâ ex intervallis ſaphenâ, ab eâ præſervatum. M. P. H. l. 1. Hiſt. 26. & Obſ. 22. Vide eundem *in Praxi Medica admiranda.* L. 1. obſ. 24, 26, 27. *Riverius* obſ. 38. Cent. IV. refert hiſtoriam puellæ XII. annorum, poſt multa remedia fruſtra tentata, V. S. liberatæ, unde colligit *Venæ ſectionem* ad Epilepſiæ curationem plurimum conferre. Quemadmodum autem ſuperius vetui in omni paroxyſmo ſecari venam, ita nec velim ſemper recurri ad V. S. extra paroxyſmus. *Dodonæus* ſanguinem *vitæ theſaurum* dixit. Vid. *Gabelchov.* obſ. x. *Cent.* VI. in annotationibus. Nolim abſque urgente neceſſitate ſanguinem imminui: nolim temerè exhauriri vitæ fontem, caloris nativi promum condum, in ſtatu ſano, & ægro optimum præſidium. Intempeſtiva V. S. ſæpenumerò non morbum, ſed hominem jugulat. Repletio arteriarum carotidum eſt quidem cauſa paroxyſmi, quandoquidem ſanguini obſtaculum occurrit motum progreſſivum impe-

Extra paroxyſmum.

pediens, non tamen est necesse hanc esse universalem, sufficit si sanguini agitato liber denegetur transitus. Prudentia itaque hic requiritur, & constitutio ægri, plenitudinis signa, vitæ genus V. S. intermissio, consuetudo, evacuationes suppressæ, & similia diligenter expendenda sunt, uti in superioribus quoque innui.

Sunt & alia evacuationis universalis genera, quæ hic percurrisse non erit inutile, nempe emetica, purgantia, sudorifera, diuretica, menses moventia. Emetica non parum corpus exhauriunt, quandoquidem non tantum ea, quæ ventriculo continentur evacuant, sed & liquores, ope glandularum excernendos, alliciunt & imminuunt. Hoc autem in casu ea prudenter sunt in usum vocanda: quandoquidem non tantum consideranda est evacuatio, hâc ratione procuranda, sed & dispositio cerebri prava, ne illa inde deterior reddatur, ac plura excitentur symptomata. Etenim in valido illo excernendi conatu, non tantum ventriculus vehementer contrahitur, sed & sanguis & spiritus vehementer exagitantur, cerebrum ipsum non parum concutitur. Concussio illa cerebri, uti superius de Paralysi quoque monui, non semper est tuta. Agitatio sanguinis & spirituum, facile novum potest producere paroxysmum. Itaque ubi cerebrum malè affectum est, emetica potius omittenda, saltem non usurpanda ante institutam V. S. in corporibus plethoricis. In virginibus, è mensium defectu malè affectis, si nausea vexet, ea tutius in usum vocabuntur, quandoquidem sanguini viscidiori, mensium eruptionem impedienti, hoc modo subtrahitur pabulum. *Willisius* præscribit infusionem *Croci metallorum* in *Vino Hispanico* factam ab ℥ß ad ℥jß. *Vel Tartar. emet. Mynsicht. gr.* IV. ad vj. & in iis, qui tenerioris sunt constitutionis. *Sal. Vitriol.* ℈j. ad ʒß. post horas superbibendo plures libras lactis cerevisiati: dein pennâ, aut digito gutturi indito, vomitus provocetur, & aliquoties iteretur. Laudat quoque vomitum *Untzerus*, ac varia enumerat emetica inter alia *Turpethum minerale* ad gr. IV, V, VII. *Vitriolum Veneris* ad gr. XV. XVIII. XX. cum *extracto Liqueritiæ*. *Phlegma Vitrioli*. *Crystallos Vitrioli albi* ad ℈j. vel ʒß. cum *Aquæ Beton.* vel *Fænic.* *Zacutus Lusitanus* refert è *Rase* quendam Epilepticum

Conveniunt emetica.

cum post assumptum medicamentum vomitum provocans, & melancholiam purgans, per tres menses præservatum fuisse à casu. Vid. *Ejusdem* H. M. P. hist. 25. & Praxin Medicam admirandam L. 1. obs. 28.

Purgantia. Insignis quoque usus sunt purgantia. Sive enim respicias tumores in cerebro enatos, sive serum copiosius aggestum, sive etiam humores tenaces sanguinem ad motum ineptiorem reddentes, purgatione hisce vel pabulum subtrahitur, vel illorum imminuitur copia. Variæ enumerantur ab *Untzero* pilulæ, morsuli laxativi, Vinum purgans, *Magisterium Ellebori* nigri, *Syrupus Helleboratus*, alia purgantia mineralia. Lubet adjicere formulam unam atque alteram *Willisii.*

℞. *Resin. jalapp.* ℈ß.
Mercur. dulc. ℈j.
Castor. gr. iij.
Conserv. flor. Poeon. ʒj.
F. Bolus.

℞. *Pilul. Fœtid. maj.* ℈ij.
Resin. jalapp. gr. v.
Ammon. solut. in aq. hyster. q. s.
F. Pilulæ. no. v. malim x vel xij.

Miris encomiis prædicat *Syrupum Nicotianæ*, *Zacutus* l. 1. H. M. P. obs. 23. quo plures grandes natu se ait vidisse curatos, quibus plura auxilia, nec cauteria in capitis ambitu aperta, diuque servata opitulari potuerant. *Lazarus Riverius* observationem refert pueri trimuli, ab Epilepsiâ liberati fumo *Tabaci*, unde vomitus fuit concitatus. Vid. *Eund.* obs. 60. Cent. II. Quod si autem validiora medicamenta, in tenellâ hâc ætate, cum tanto fuerint usurpata successu, rectè colligimus in hoc morbo convenire purgantia validiora: *Mercurialia*, *Colocynthidem*, *Scammoneum*. Distinguebant Veteres corpus universum in tres regiones, & illarum respectu judicium ferebant num blandiora, vel etiam potentiora requirerentur purgantia. Itaque cum hic materia non tam in primis hæreret viis, quam in secunda, aut tertia regione, purgantia quoque usurpabant validiora. Possumus nos dicere, validiorem requiri vellicationem, ut successus possit sperari laudabilis, ubi cerebrum malè

affe-

affectum, aut obnubilatum est. Validum hoc medicamentum præscribit *Montanus*, quod ideo omittendum non putavi, ut appareat ita revera sensisse veteres, uti statim explicatum est. Est autem tale:

℞. *Confect. Hamech.* ℥ß.
Trochisc. Alhand. ℈ß.
Syr. Rosar. solutiv. ℥ij.
M.

Substituemus formulam concinniorem:

℞. *Mass. Pilul. Mastichin.*
Mercur. dulc. aa ℈ß.
Trochisc. Alhand. gr. v.
Cum *Tinct. Castor.*
F. Pilulæ. no. v.

Tertium, inter evacuantia universalia, locum dedi sudoriferis, hic etiam insignis usus, quandoquidem non tantum seri partem aliquam per cutis poros eliminant, sed & quod sanguinem reddant magis fluidum. Fluiditas autem sanguinis, insigni illi repletioni arteriarum, quæ in hoc morbo locum habet, remedio est. Quid? quod discussio tumorum aliquando ope sudoriferorum obtineatur? Conveniunt itaque in hoc casu *decocta lignorum* quorum in superioribus non semel est facta mentio. Conveniunt quoque Chymica medicamenta appropiata in hoc morbo, de quibus in sequentibus agemus. Non est tamen existimandum à sudoriferis, omissa V. S. posse obtineri sufficientem repletionis imminutionem. Sudorifera potissimum exhauriunt humores serosos & tenuiores, relicta massa caseosa non ita liquida. Sæpe autem hæc pars proportionaliter est nimium aucta, quæ cum alia ratione quam V. S. promptè imminui nequeat, frustra hunc scopum assequi quis studet solis sudoriferis, aut etiam purgantibus. Provoco ad omnes Practicos, qui non obfuscati præjudiciis, quæ multis imposuerunt, è lectione librorum vernacula lingua nimis confidenter conscriptorum, praxim sedulo & attentè exercuerunt, illi nôrunt hæc ita sese habere. Sudoriferorum encomia, & in eorum usu non negligendas cautiones, nec non enumerationes & descriptiones Vide apud *Untzerum* de Epilepsia l. II. c. 7. *Willisium* in fine Sudorifera.

cap. 3. de Morbis convulſivis: ubi Methodus Therapeutica, ab ipſo adumbrata, prorſus incaſſum cadit, ſuadet ad remedia *magna* devenire, in horum cenſu primum locum tribuit diaphoreticis. Refert quoque *Alfonſum Ferrium* plurimos Epilepticos ſimplici *Guajaci decocto* bis in die ad ℥vj. vel viij. præſcripto, ejuſque decocto ſecundario, vice potus ordinarii aſſumpto, curâſſe.

Diuretica. Sequuntur medicamenta diuretica, etiam in hoc morbo non contemnendi uſus. Hæc itidem ſanguinem fluidum reddunt, ſerum copioſius evacuant, adeoque ſero, in ventriculis collecto, vel colligendo, pabulum ſubſtrahunt. Oportet medicum eſſe attentum, quo natura vergat, atque eandem eo ducere per loca convenientia. Ad diuretica non incommode referri poteſt *Hydromel* cum *Hyſſopo* incocto, quod ab antiquis plurimum laudari tradit *Williſius*, & hoc ejuſdem decoctum.

℞. *Rad. Pœon. mar. Angelic.*
Imperator. Valerian. aa ʒvj.
Fol. Betonic. Salv. Lilii convall.
Puleg. aa m. j.
Sem. Rutæ, Nigell. aa ʒiij.
Pœon. ℥ß.
Paſſular. ℥iij.
Liquerit. ʒß.

inciſ. & contuſ. Coquantur in *aq. fontan.* ℔ vj. ad tertiæ partis conſumptionem. Circa finem adde *Vini Ceraſor. nigr.* ℔ß. vel ℥x.

F. Colatura quæ ſervetur in vaſis occluſis.

Doſis ℥vj. ad ℥viij. bis in die.

Vel prædicta ingredientia exceptis *Liqueritiâ* & *Paſſulis*, coquantur in ℔vj. *Hydromelitis* ad conſumptionem tertiæ partis.

A prædictis formulis non multum abludunt *Hydromel Antepilepticum*, ut & *Decoctum Untzeri*, quæ l. 11. de Epilepſiâ. c. 11. videri poſſunt.

Menſes moventia. Quemadmodum ante menſtruorum eruptionem in juvenculis ſæpe oritur Morbus caducus, & poſt eorundem eruptionem tollitur, ita in id incumbendum eſt medico, ut naturæ minus

nus

nus debitè, vel planè non defungenti suo officio, succurrat. Repletioni à defectu mensium orto, eorundem evacuatio optimè succurrit. Itaque in hoc casu menses moventia sunt eximii usus. Non est hujus loci de iis in specie agere, sufficiat observâsse *Chalybeata* hic egregiè convenire: nec non hanc Morbi caduci speciem imprimis meam confirmare sententiam, nempe eundem originem suam debere repletioni. Formulæ concinnari possunt tales, ut *Chalybs* basim constituat medicamenti, adjectis cephalicis, & specificis antepilepticis. ex. gr.

℞. *Limatur. Chalyb. puriss.* ℥vj.
Rasur. Ungul. Alcis. Cranii human. violentæ morte exstincti. aa ℈ij.
Fol. Sabin. Ruth.
Sem. Apii Levistici.
Cort. Winteran. aa ʒß.
F. Pulvis. Dos. a ℈j. ad ʒß. & ultra manè cum *Vino albo Gallico*, vel Rhenano calido, superdeambulando, vel corpus blandè exercendo.

Vidimus remedia quæ nimiam repletionem (ordinariam Morbi caduci causam) respiciunt, ac imminuunt, videndum qua ratione inanitio tollatur. Non agemus hic de inanitione universali, quandoquidem ea non producit Morbum caducum, sed Epilepsiam symptomaticam, de qua in sequentibus. Considerandum tantum est, quo pacto debeat succurri lypothymiæ, in iis, qui hoc morbo correpti sunt, novum paroxysmum producenti. Illud fit, deducendo ægrotum ex aëre concluso, & vaporibus aut fumo carbonum infecto, in aërem liberum. Eundem è sede altiori humo imponere necesse, quandoquidem multi non ferunt talem sessionem: ubi autem inferior corporis pars, vel totum corpus, excepto capite, humi prostratum est, defectui sanguinis, versus cerebrum parcius moti, succurritur, inanitio hæc occasionalis superatur, adeoque & paroxysmus. In genere oportet respicere causas lypothymiam producentes, easque removere, & in usum vocare ea, quæ in superioribus sunt laudata, tanquam excitantia ægrotum in paroxysmo. Si lipothymia à sanguinis defectu universali non habeat originem, quod De inanitione tollendâ.

 in

in hoc caſu ſupponimus, quandoquidem diſtinguimus Morbum caducum ab Epilepſiâ ſymptomaticâ, è nimia ſanguinis evacuatione ortâ, manifeſtum eſt, debere imprimis reſpici ſpiritus, qui eo modo excitandi ſunt, uti jam innuimus. Ubi jam ad ſe redire incipit æger, non inutiliter poteſt exhiberi mixtura ſpiritus excitans. ex. gr.

℞. *Aq. Meliſſ.*
Ruth. aa ℥ij.
Sp. Vini Cephalic. Mynſicht. ℥j.
Tinctur. Croci. ʒjß.
Sal. Volat. C. C. ℈ß.
Syr. Stæchad. ℥ß.
M.

De Specificis medicamentis.

Diximus in indicationibus generalibus, non negligenda eſſe ſpecifica. Et hæc proculdubio eſt pars curationis, quæ non tantum in hoc, ſed & plurimis aliis morbis, maxime deſideratur. Non deſunt quidem deſcriptiones plantarum, animalium, mineralium, non deſunt deſcriptiones remediorum ad pompam concinnatorum, non deſunt quoque encomia quibus hæc vel illa ſimplicia, aut compoſita celebrantur. Sed ſi veritatem libere profiteri liceat, pauca promiſſis reſpondent. Interim ſi quis innumeram varietatem plantarum, figura, odore, ſapore, ſucco, efficaciâ differentium conſideret, atque diligenter perpendat, haſce ad oculos paſcendos non ſolum eſſe ab Optimo & Sapientiſſimo Creatore formatas, is certe in eam propendebit opinionem, hanc varietatem, procul omni dubio, eſſe proportionatam morbis quibuſdam ſpecificè expugnandis. In hiſce facultatibus eruendis ſumus negligentiores, quiſque pro lubitu remedia extemporanea concinnat, in cortice, utplurimum, hæremus, nucleum non attingimus. Optandum ſanè eſt, ut huic defectui quiſque auxiliatrices admoveat manus: imprimis illi quibus herbarum colendarum ampla eſt ſupellex! Ut ad negotium noſtrum revertamur, recenſentur quoque medicamenta ad curationem Morbi caduci appropiata. Non eſſe omnibus numeris abſolutam hanc enumerationem ex eo eſt manifeſtum, quod hic plura, ille pauciora, alius alia laudet. Detur mihi venia eorum aliqua abſque præjudicio examinandi,
&

& veritati plus, quam præconceptæ opinioni tribuendi. Medicamenta ſpecifica poſſunt dividi in ſimplicia & compoſita. Inter ſimplicia quædam ſunt *Galenica*, quædam *Chymica*, *Galenica* ſimplicia inter primum ſibi locum vendicat,

Pœonia, cujus radix, flos & ſemen quacunque ratione uſurpata, mirifica quadam facultate Morbi caduci ſeminaria elidere dicitur. Hujus laudatur ſignatura à *Crollio* in libro de *Signaturis*. Verum ſi ea quæ in ſuperioribus de naturâ hujus morbi diſputavimus, attentè perpendamus, & exiguum ſucceſſum, qui ejus uſum conſequi ſolet, trutinemus, facile in eam propendebimus opinionem, huic plantæ deeſſe tam inſignes, quibus ornatur, virtutes. Si porro ipſum florem examinemus, ejus odor multis aliis, ſi non magnitudine, certè efficacia, plurimum cedit. Radix particulis activis non omnino deſtituitur. Semen mihi minoris videtur efficaciæ. Signaturis plantarum nimium eſſe tributum emunctæ naris practici procul dubio mecum ſtatuent.

Ruta planta egregia mihi inter cæteras non minimum arridet: Odor ejus eſt ſingularis: Sapor non diſſimilis; facultatis eximiæ: incidit, attenuat, diſcutit, adeoque non malè & ſudorifera & diuretica ſtatui poteſt. Cerebrum igitur roborabit, ſanguinem attenuabit, ſpiritus excitabit, ventriculum ejuſque digeſtionem adjuvabit, humores ſeroſos & per ſudorem & per urinam evacuabit, adeoque pluribus nominibus proderit. Hujus ſuccus expreſſus naribus illinitur, & bibitur, bibitur etiam decoctum. Videri poſſunt de hac planta Botanici, & *Untzerus de Epilepſia*. l. 11. c. 11.

Viſcum quercinum etiam valdè prædicatur: multis compoſitis antepilepticis miſcetur, verum ſi odorem & ſaporem diligentius examines, dubitabis, nec immeritò, an laudes huic remedio tributæ non excedant modum? Si quid præſtat, vires ejus in decocto ſunt ſudoriferæ.

Caſtoreum egregium medicamentum vires eximias & odore, & ſapore ſtatim prodit. Ideo in hoc morbo magni faciendum, quod non tantum cerebrum, ſpiritus animales, cor, viſcera reſpiciat, ſed & deficientem menſium evacuationem non mediocriter promoveat.

Philotheus Elianus Montalto, in Archipathologiâ. tract. xvii. c. 17.

c. 17. inter alia laudat *Smaragdum*, *Lapidem Bezoar*, *Aquam* infuſionis *Lapidis* qui in ventre *Hiſtricis* invenitur, & ex orientali Indiâ à Luſitanis advehitur, ab iiſque nominatur *Pedra de Porco Eſpinho*. Quemadmodum de primo horum non admodum magnam concepi opinionem, ita duo poſteriora ob vim diaphoreticam utilia cenſeri debent. Laudat idem *Leporis coagulum* cum *Aceto* ebibitum, *Cameli Cerebrum ſiccatum* eodem modo, *Muſtelæ* quoque *cerebrum*, & carnem ejus arefactam, *Ungulam Aſini*, *Cinerem Cuculi* &c. quæ apud prædictum auctores videri poſſunt.

Cranium humanum & *Ungulam Alcis* præterire non convenit, quippe quarum virtus odore ſeſe prodit, ſi vel raſpentur, vel deſtillentur. Sanguinem reddunt magis fluidum, adeoque cæteris palmam præripiunt, quando æſtus & expanſio ejus metuitur. Vide *Untzerum* l. 11. c. 11. *Schenkium*. p. 119.

Cornu C. uſtum minoribus pollet virtutibus, adeoque vires ejus in debellando Morbo caduco haberi debent admodum exiguæ, niſi in quantum humores acidos, qui inter cauſas antecedentes habent locum, aliquomodo temperare aptum natum eſt. Huic uſui etiam poſſunt ſervire *Poeonia*, & *Viſcum quercinum*; verum quantillum hoc ſit ad *Morbum Herculeum* extirpandum, quiſque facile judicabit.

Inter medicamenta *Hermetica* plura occurrunt maximè efficacia, adeoque debito encomio non defraudanda, inter ea primum locum dabimus *Oleo Succini*, medicamento minus grato ſed potenti, ſive enim cerebrum ejuſque tumores, aut collectos humores ſeroſos reſpicias prodeſt *Oleum Succini*. Si ſanguinem ejuſque minorem vigorem, aut etiam partes viſcidiores reſpicias prodeſt *Oleum Succini*: menſes movet, viſcera roborat, ſudorem promovet, urinam ciet. *Oleum ſuccini* pluribus indicationibus ſatisfacit.

Quamvis Auctores *Oleum Succini* inter medicamenta Antepileptica tantum recenſeant, non eſt tamen exiſtimandum *Sal. ejuſdem volatile* Morbum caducum nequaquam reſpicere. *Sal* hoc ſudoriferum eſt & diureticum, ſanguinem fluidum reddit, ad tumores diſcutiendos utile. Notandum enim non ſemper ex uſu eſſe ægroti, exhibere medicamenta oleoſa & valde efficacia,

cia, mitiora sæpenumero magis conveniunt. Laudatur quoque *Oleum Ligni Buxi*, *Oleum Ligni Heraclini*, *Oleum Cran. human. Ol. & Essent. Sanguin. hum. Tinctura Corallorum*, *Oleum Lunæ*, de quibus omnibus in specie dicere non est necessarium.

Spiritum tamen *Vitrioli* sicco pede præterire non possum, à *Crollio* tanquam specificum capitale laudatum, ab aliis in Morbo caduco; videri potest *Untzerus de Epilepsia* l. II. c. II. Ego ita existimo, in constitutione biliosâ, diebus canicularibus, atque in iis, qui ab aromaticis læduntur, quique sunt siticulosi, plus profuturum hunc spiritum, quam per multas ambages undique conquisitam medicamentorum farraginem. Si enim medicamenta sudorifera & diuretica hic eximii sunt usus, quid ni in usum vocabimus spiritum hunc, utrâque facultate donatum? Si nimia sanguinis expansio sæpe novos cieat paroxysmos, quid ni huic obviam eamus medicamento non contemnendo? Si tempus vernum, & insuetus aëris calor, sæpe noceat Morbo caduco vexatis, quid ni *Spiritu Vitrioli* sanguinem ad ordinariam reducemus temperiem? *Spiritus* ergo *Vitrioli* in Morbo caduco, non uno nomine, multum valet.

Medicamenta composita tum Dogmaticorum tum Hermeticorum singula examinare non est necesse. Variæ formulæ apud *Untzerum*, *Philotheum Montalto*, *Sennertum* &c. videri possunt. Libet adjicere formulam, cujus efficacia prædicatur.

℞. *Ungul. Alcis* ℈j.
Nucis moscatæ raspat. ʒß.
Carbon. Tiliæ arbor. ℈j.
Offic. talor. Leporis calcinat. no. ij.
Margarit. or. gr. v.
Sacchar. cryftall. ʒj.
F. Pulvis dividendus in vij. doses.
Assumat æger quotidie cubitum iturus unum pulverem, non negligendo diætam commodam, imprimis caveat sibi ab animi pathematibus.

Progrediendum jam est ad curam specierum Morbi caduci, quarum in superioribus facta est mentio. Si metus sit tumoris in cerebro exorti, omni ope annitendum, ne ille capiat in- Cura specialis tumorum.

incrementum, per intemperantiam, validas corporis concussiones, frigus externè susceptum: sed in id incumbendum, ut ille potius discutiatur. Hoc est quidem naturæ opus, attamen ea adjuvari potest, exhibendo medicamenta sudorifera, & incidentia temperata. Libet adscribere verba *Philothei Eliani de Montalto* tr. XVII. c. 17. *Quod attinet interna, efficacissimum est præsidium in pituitosa materia —— decoctum guajaci, aut parilliæ, aut Chinæ cum Sassafra Indica, salvia, Betonicâ & Stæchade, Hyssopo, radice Angelicæ & Poeoniæ, aut aliis huic affectioni peculiariter conferentibus, per plures dies juxta consuetam normam, & exsiccantem victus rationem, sudorem bis in die ciendo. Quo vero tempore sudores dimanabunt, tonsô capite adhibeantur sacculi referti* semine anisi, fœniculi, baccis Lauri contusis, ligno Aloes, salviâ, Chamæmelo, milio & sale *torrefactis omnibus in sartagine.* Quæ ille generaliter tanquam efficacissima prædicat, ea etiam non malè quadrant in illa specie, de qua nunc agimus. Ad discutiendos tumores etiam faciunt medicamenta cephalica dicta, quæ sunt attenuantia, tenuium partium, ut & salia volatilia. Non nego ea rarius votis respondere medici & ægroti, cujus rei duplex mihi videtur causa, quarum prior est, quod tumores tales scirrosi & inveterati curationem respuant, altera, quod non satis diu in principio insistatur methodico eorum usui. Hinc Morbus caducus raro curatur. Non debet tamen negligi æger.

Serosi laticis Quando humor serosus ventriculos cerebri replet, & copiosius in capite aggestus est, illius evacuationi incumbendum. Fit illud per purgantia diaphoretica, diuretica, & evacuationes particulares dictas. De prioribus evacuationibus in superioribus est actum, adeoque illa hic repetere non est necesse. Addam tantum aliqua, quæ in hoc morbo laudantur, nempe *Spir. Card. benedicti*, *Tartari compositum*, *Fuliginis. Tinctur. Bezoardicam*, ut & *Antimonium diaphoret.* cum *Theriac.* vel *Mithridat.* exhibitum *Olea destillata Succini*, *Lign. Bux. Rutæ*, *Caryophyll.* &c. *Walsmidius* laudat *D. Ludovici* Pulverem Epilepticum, quoniam autem hic Laudani opiati quantitatem satis ingentem recipit, non nisi prudenter in usum est vocandus. Non amo ego opiata in affectibus spasmodicis, nisi producantur à vigi-

liis

liis protractis, in quo casu morbi causa est respicienda, nisi dolor & urgentia symptomata eorum prudentem usum flagitent: verum de hisce in sequentibus erit agendum. Restant evacuationes cerebri particulares, Errhina, Apophlegmatismi, Gargarismata, verum cum eorum jam ante sit facta mentio, & *Untzerus* atque alii practici hæc satis fusè pertractent, non judicavi necessarium hisce immorari: Setacea commendantur à *Platero* & *Sennerto*. De Fonticulis in sequentibus agam.

Altera species est ea, quæ oritur à mensium defectu. In hac specie menses moventia conveniunt, de quibus actum in superioribus. Addendum tamen, posse aliquando menses moventibus utiliter permisceri purgantia ex. gr. Defectus mensium.

℞. *Limatur. Chalyb. purif.* ʒß.
Aloes lucid.
Trochisc. Alhand.
Resin. Jalapp.
Castor. opt. aa ℈j.
Croci Brit. ℈ß.
Cum *Elix. prop.*
F. Pilulæ no. xxx.

pro vj vel vij. dosibus, vel etiam pluribus pro circumstantiarum varietate prudenter determinandis.

Restat tertia Morbi caduci species, in qua vapor venenatus & malignus ab hâc, vel illa corporis parte sursum videtur adscendere. Hoc in casu ferro & igne in partem illam debacchantur medici, de partis extirpatione deliberant, cauteria inurunt, quæritur an rectè hæc in usum vocentur, nec ne? Respondeo: ex iis, quæ in superioribus disputavi, patet, me minimè existimare focum mali, aut venenum in illa parte hærere, omnem Morbum caducum esse idiopathicum, unde sequitur, me illius esse opinionis, frustra vario tormentorum genere excruciari partem innoxiam. Quemadmodum enim in febribus intermittentibus, cum livore unguium incipientibus, malè & absque omni fructu digitis & unguibus admoverentur cauteria, quoniam ideo tantum hæ partes livent, quia à corde longissimè remotæ, febrilis paroxysmi indicia primum produnt, Tertiæ speciei.

 ita

ita exiſtimo etiam peſſimè has partes aliquando crudeli inſtrumentorum apparatu vexari. Dicat aliquis, num illis partibus aliqua debeat fieri medicina, nec ne? Dico his partibus rectè poſſe fieri medicinam, ſed eam tantum conſiſtere in partis roboratione. Suppono enim partes has, è quibus aura talis videtur adſcendere, eſſe debiliores, adeoque noxam ſeſe ibi primum prodere; itaque roboratione opus eſt tantum, ſi nulla malè affectæ partis alia, quam quorum meminerunt vulgo auctores, ſigna appareant. Poſſunt ergo fomenta, emplaſtra, cataplaſmata, balnea &c. in uſum vocari, nulla autem alia, quam confortantia. Dicat aliquis, an omnino rejicis omnis generis cauteria? Reſpondeo: non rejicio omnis generis cauteria, ſed nolim ea aliis locis quam conſuetis, niſi ſummâ urgente neceſſitate, inuri: ſc. nuchæ, brachiis, cruribus; ita enim pars aliqua laticis ſeroſi, alias cerebrum malè mulctaturi, exhauritur, adeoque prava cerebri diſpoſitio, Morbi caduci cauſa, aliquomodo corrigitur. Quantum ad cauterium ſuturæ coronali inurendum, ſi ritè Auctorum placita examinemus, videbimus, illud maximam partem innixum eſſe præjudiciis, de vaporibus verſus cerebrum adſcendentibus, præjudiciis de Catharrorum origine, productione, deſcenſu: adeoque his ratiocinationibus non multum tribuendum eſſe videbimus. Si porro objectiones & reſponſiones, ab Auctoribus propoſitas perpendamus, plurima falſa & erronea adduci ſatis patebit: itaque locum incommodum, & inuſtionem, quam aliquando dira exceperunt ſymptomata, poſthabebimus locis ordinariis & conſuetis. Quod ſi quis contendat, tamen hanc curandi methodum aliquando ægroto profuiſſe, exiſtimo non hoc ideo factum eſſe, quod illa curandi ratio juxta rationis præſcriptum ſit inſtituta, ſed quod evacuatio laticis ſeroſi profuerit, & fortè minori medicamentorum apparatu & commodiori methodo, majus emolumentum potuiſſet afferri ægrotanti. Deinde ſi aliqua ſunt exempla eorum, in quibus talis profuit inuſtio, ſunt etiam non pauca in quibus malè ceſſit hic curandi modus. Teſtis mihi *Ludovicus Septalius*, libere pronuncians: *Ego vero liberè affirmare poſſum, me quadraginta horum annorum ſpatio, quo in magna hac urbe Medicinam facio, nullum ex iis, quibus cauterium hoc inuſtum*

eſt,

est, vidisse à tali remedio adjutum, sed aliquos etiam, inflammatione in parte excitata, esse periclitatos: potissimum primis annis juventutis meæ, quo tempore aliqui adhuc ex iis vivebant, qui barbaram sectantes Medicinam frequentius genus hoc auxilii in usum ducebant: sed subsequenti tempore Medicis spe sua fraudatis sæpius, exolescere tandem illud, & posthaberi meritò cœpit. Locus exstat *Animadv. Med.* l. 1. p. m. 164. &c. q. v. De cauteriis latius disputantem vide *Untzerum* de Epilepsia l. II. c. 9. *Conradum Victorem Schneiderum*, de Catharris l. IV. c. II.. Prosunt cauteria brachio vel cruri applicata, cujus exemplum habet *Zacutus Lusitanus* in *Pr. Med. admiranda.* l. I. obs. 20.

Restaret ut Diætam hic præscriberem commodam, verum cum ea non ita difficulter colligi possit ex iis, quæ superius disputavi, cumque practici de eâ soleant agere, non est necessarium eam adjungere: interim observari velim animi passiones imprimis hic debere considerari, id quod non tantum ex iis quæ in præcedentibus disputavi est manifestum, sed & è duplici *Gabelchoveri* observatione, Epilepsiæ ab animi commotione curatæ. *Curat.* 23. & 24. *Cent.* IV. quæ facit ad confirmationem sententiæ meæ in superioribus propositæ. Diæta omittitur.

CAPUT DUODECIMUM QUARTUM.

De Epilepsiis symptomaticis febrilibus.

INscriptio hujus capitis, & tabula superius proposita ostendit, me existimare, hæc symptomata febrilia esse distinguenda à Morbo caduco, de quo capite præcedenti egi. Quamvis enim externâ facie in eo conveniant, quod in ambabus speciebus mens sit abolita, ægri nihil sentiant, nihil percipiant, artus, facies, &c. vehementer convellantur, in eo tamen longissimo intervallo à se mutuo distant, quod hæ à febre dependeant, non nisi febricitantes adoriantur, & curatâ febre omninò cessent. Differunt ergo quoque & causis, & curandi ratione. Quam utile autem sit ea, quæ & ab aliis dependent causis, & quæ aliam curandi rationem postulant, separatim tractare, nulli potest esse obscurum. Morbus caducus differt ab Epilepsiâ febrili.

Possem has Epilepsiæ species ad febres ablegare, adeoque eas Epilepsia febrilis hic tractanda.

eas ſicco tranſire pede, niſi neceſſitas hanc tractationem plane flagitaret. Juxta Methodum quam mihi propoſui, doctrina de Febribus non habebit locum, niſi poſt tractatos medii, & infimi ventris morbos, adeoque tempus requiritur non exiguum, antequam ea publici fiat prius. Quamvis enim hæc jam literis ſit conſignata, debet tamen iterum ad incudem revocari, antequam adſpicere lucem poſſit. Itaque non tam diu ſuſpenſus eſt tenendus curioſorum animus, ſed hic explicanda eſt Epilepſiæ febrilis natura, quatenus ea cum Febribus neceſſario nexu cohæret. Dari Epilepſias has febrilli nemini poteſt eſſe obſcurum qui ad ea, quæ in praxi occurrunt, ſatis fuit attentus. Non tantum Epilepſiæ occurrunt, ſed & ſatis frequentes, quamvis non ſemper Auctores earum inter ſymptomata febrium meminerint. Verum ſæpe videas homines antecedentium ſequi gregem, quam veritati inveſtigandæ indefeſſo ſtudio incumbere. Non eſt tamen omnino neglectum hoc ſymptoma. Vid. *Foreſt.* l. VII. 17. & *Sennert.* l. IV. c. 18.

Febrium cauſa ſæpe eſt repletio.

De Febribus in genere non diſputo, illud tamen velim diligenter animadverti, Febres non rarò è repletione ducere originem. Quamvis enim ſæpe externa cauſa præcedat, cui febris adſcribi poteſt, tanquam occaſioni, febrilem paroxyſmum primum producenti, cauſa antecedens ut plurimum eſt repletio. Atqui hoc reſpectu *Sydenhamius* non malè pronunciavit, Febres eſſe conatus naturæ illud ſuperare geſtientis, quod corpori moleſtum & noxium eſt. Ut aliquis hujus veritatis idæam animo concipiat, oportet cogitare ad nutritionem corporis noſtri ſufficere, ſi appetui noſtro mediocriter ſatisfiat, ita partes, per inſenſibilem tranſpirationem avolantes, reſtituuntur, ita jactura, ab excretis corpori illata, reſtituitur, ita homo ad opus ordinarium redditur ſatis aptus. Jam autem quotusquiſque eſt, qui intra hoſce mediocritatis cancellos ſeſe continet? Quotusquiſque eſt, qui non data occaſione appetitui nimium tribuit? Quem non cibi & potus grati lenocinia ſeducunt? Qui à varietate ciborum & potus, nec non variis gulæ irritamentis delinitus, modum illi ſtatuit juſtum? Ita omnes, quotquot ſumus, ad intemperantiam reddimur proclives, ſæpè intemperantiæ luimus pœnas, non tantum

poſt

poſt ingluviem, aut aliqualem crapulam gravati, ſed & ex iiſdem cauſis in varios, pro varia partium ſtructurâ, incidentes morbos. Ita videmus, cauſas conſiderando non eſſe mirum, ſi repletio & intemperantia pariat febres. Quod ſi ea quæ uſus docet examinemus, ſæpe contingit quoſdam è febribus, aut aliis morbis emergentes, emaciatos, alacres & vegetos per aliquot tempus degere, poſtquam autem corpus iterum multum repletum eſt, è levi occaſione iterum in febres incidere. Quid? Quod V. S. neglecta in febre aliquando lethalia pariat ſymptomata? Quid? Quod febris unica purgatione & V. S. ſuperetur? Vid. *Gabelchoverum* Curat. 8. & 9. Cent. VI. E priori obſervatione patet, ægrotos aliquando melius de curationis ratione judicare, quam medicos minus attentos, vel præjudiciis occupatos, quales non pauci occurrunt. In poſteriori, non unum, ſed tria curationis per V. S. & purgationem occurrunt, exempla: quæ tam facile morbum non jugulâſſent, niſi repletio cauſa fuiſſet febris. Quanto autem major repletio hanc produxit, tanto facilius æger convulſionibus eſt obnoxius, uti è ſequentibus patebit, ubi deſcriptionem hujus ſymptomatis propoſuerimus.

Epilepſia febrilis *eſt vehemens corporis convulſio, cum ſenſuum internorum abolitione à febrili repletione & orgaſmo producta, febre curatâ nullis novis paroxyſmis affligens.* Deſcriptio Epilepſiæ febrilis.

Quando dico Epilepſiam febrilem vehementem corporis convulſionem, eam diſtinguo à Motibus convulſivis, qui, quamvis quoque in febribus, & aliis morbis accidant, ſunt tamen minus vehementes, nec crebris & repetitis concuſſionibus corpus univerſum exagitantes. Epilepſia hæc eſt adeo conſpicua, ut nullus, qui ægrotanti adeſt, eam poſſit ignorare, vel eandem non animadvertere: motus convulſivi & tendinum ſubſultus adeo exigui ſæpe ſunt, ut non niſi diligenter attendendo obſerventur à medicis in exploratione pulſus. Videbatur autem mihi ad tractationem diſtinctam non nihil facturum, ſi de Epilepſiâ hâc, & motibus convulſivis in ſpecie agerem, quemadmodum nos hæc noſtro idiomate diſtinguere ſolemus Epilepſiam febrilem dicendo Stuipen. Motus autem convulſivos Scrikken & Trekkingen. Ea explicatur.

Abolitio sensuum internorum.

Sensuum internorum abolitione convenit hæc Epilepsiæ species cum Morbo caduco, differt à Motibus convulsivis, in quibus mens sæpe constat, quamvis non rarò contingat eam esse obnubilatam; verum illud non est de essentia motuum convulsivorum.

Oritur à nimiâ repletione.

Dixi hanc Epilepsiam originem ducere à repletione, & talis præcipuè locum habet in febrium initiis, quando à nimia sanguinis copia, non sufficienter imminutâ, statim ægri in hos incidunt paroxysmos. Ita videas homines admodum robustos, ante V. S. celebratam in initio febrium, admodum anxios, vertigine aut caro corripi, quibus succedunt aliquando Epilepsiæ, quas nunc tractamus. Nempe si corpus, ante febris insultum, sit humoribus & sanguine onustum, necessum est, illud multo magis gravari, ubi febris ingruens pulsum celeriorem, pressionem majorem, cum sanguinis insigni expansione & æstu produxit. Ita apparet Epilepsias, in principio febrium invadentes, à repletione ducere originem. Eadem illa repletio habet locum in Epilepsiis, in progressu febrium, & augmento morbi, contingentibus, sed aliâ ratione. Tum enim non tantum consideranda est sanguinis copia, sed & immutatio, & à naturali statu recessus. Nempe à febrili orgasmo introducitur in universum corpus & sanguinem dispositio inflammatoria, iisdem symptomatibus non raro stipata, quæ sanguinem ineptiorem reddit ad promptè subeundum minimas arteriarum carotidum ramificationes, unde tum repletio earundem major, sensuum internorum obnubilatio, visus abolitus, oculi fixi, ac insultus epileptici. Hanc immutationem sanguinis in febribus, inspectione ejusdem educti, sæpe observare licet. Non rarò contingit, eandem dispositionem sanguinis etiam in principio habere locum, verum illud non semper accidit, sanguis in principio febrium eductus, satis laudabilis nonnumquam conspicitur, in progressu autem Morbi, ubi hæc symptomata adsunt, immutatio illa sanguinis magis ordinaria, &, si V. S. educatur, magis conspicua est.

De Epilepsiâ febrili extraordinariâ.

In tabula superius proposita feci mentionem Epilepsiæ febrilis ordinariæ, quam dixi, in principio vel in augmento febrium contingere, explicui utramque, prout illæ ad Febrem relationem ha-

habent, dantur adhuc Epilepſiæ tales, extraordinariæ, à medictæ, quæ ſcilicet febres Epidemias malignas, & peſtilentiales comitantur. Nempe ſi febris mitior, vel non admodum maligna, gravia hæc producat ſymptomata, non eſt mirum, ſi eadem acuta & maligna, à contagio aëris producta, ſanguinem & ſpiritus magis exagitans, majorem æſtum, & dyſcraſiam ſanguinis producens, non ſit immunis à gravi hoc ſymptomate. Refert *Williſius* è *Horſtio* hiſtoriam Febris Epidemicæ per Haſſiam graſſantis, & Convulſiones graves ſeu Epilepſiam producentis. *Idem* habet hiſtoriam Febris Epidemicæ cerebro & nervoſo generi potiſſimum infeſtæ, in *Anglia* anno 1661. increbreſcentis in *Pathologia* cerebri p. m. 105. *Sennertus* in enumeratione ſymptomatum Peſtilentiæ, qui morbus eſt epidemius, recenſet etiam convulſiones. *Idem* fuſè deſcripſit febrem malignam cum Spaſmo qui anno 1596 & 1597 in Epiſcopatu Colonienſi, *Weſtphalia*, *Comitatu Waldeccenſi*, & *Witterſteinenſi*, atque *Haſſia* graſſatus eſt, quia vulgo die Kriebel Kranckheit/ Kriempffſucht/ oder Ziehende Seucht appellarunt. *Laurentius Donkers* in tractatu de morbo puncticulari, quoque meminit motuum convulſivorum. p. 206.

Non explico modum productionis harum Epilepſiarum, tum quoniam is è ſuperioribus evadit manifeſtus, tum etiam, quoniam hæc tractatio hic tantum locum invenit, quatenus cum reliquis morbis convulſivis cognatione quâdam jungitur Epilepſia febrilis. Juvat tamen hactenus explicata è *Williſio* confirmare. Is de Morbis convulſivis p. 120 & 121. annotavit ea, quæ in diſſecto obſervaverat cadavere. Nempe *calvariæ olla amota ſtatim vaſa meningum perreptantia, ſanguine plurimum turgeſcere conſpiciebantur: quaſi ferè tota cruoris maſſa in capite aggregaretur: porro membranæ iſtæ, ubi cerebellum inveſtiunt, atque altius inſtratæ ipſum à cerebro dirimunt, ſanguine pluribus in locis extravaſato ſuffuſæ, colore atro purpureo inſigniebantur: ut minimè dubitandum eſſet, quin phlogoſis, ſive inflammatio illic circumcirca excitata, convulſionum, adeo atrociter infeſtantium, cauſa fuerit.* Poſtmodum addit, *ventriculos omnes aqua limpida fuiſſe repletos.* An poteſt confirmatio illuſtrior ſententiæ in ſuperioribus propoſitæ adferri? Si vaſa meninges perreptantia

Præcedentium confirmatio.

tia post mortem fuerint inventa adeo turgida, ubi omnia subsidere solent, quanto magis eadem illa intumuerunt, ubi à corde crebrius contracto, æstuans continuo propulsus fuit sanguis? Si sanguis, absque externa causa, fuit inventus extravasatus, quanta debuit esse repletio antequam è tubulis effunderetur arteriosis? Si sanguis quasi universus in capite visus fuit *Willisio* aggestus, manifestum est, cerebrum debuisse multum deprimi, sensus obnubilari, denique tandem convulsiones induci. Si sanguis tanto impetu fuit propulsus, ut è vasis effunderetur quanta vis debuit cerebro, visceri molli, inferri antequam læsio tubulorum fuit producta? Videmus itaque repletionem vasorum nimiam, cerebri depressionem, transitum per arteriarum fibrillas difficilem, impetum sanguinis è corde propulsi, & pressionem hic imprimis debere considerari. Quid? Quod ægri in febribus sæpissimè de pulsatione molestissima conquerantur? Contingit illud & ante & post V. S. etiam in iis, qui convulsionibus necdum sunt obnoxii: ubi mens est læsa querelæ cessant aliquando, quamvis causa doloris non sit sublata.

Testimonium hoc, & hinc petita confirmatio tanto majoris debet videri ponderis, quandoquidem depromptum est ex ejus Viri scriptis, à cujus hypothesi, mea sententia longissimo distat intervallo. Statuit ille *laticem pauperiorem*, & quasi *effœtum*. Liquorem *particulis heterogeneis*, partim *narcoticis*, partim *explosivis* refarctum. Statuit ille vitia hæc à *sanguinis dyscrasia* (quam postmodum explicat, quod *spiritu & sulphure* aliquantum depressis, *particulæ aquosæ*, cum *sale* & *sulphure* impuro simul evectis, fuerint exaltatæ) & *cerebri dispositione prava*, originem habuisse. Rogo autem, quæ harum omnium suppositionum in cadavere apparuerint vestigia? Quæ *laticis pauperioris*, quæ *particularum heterogenearum* indicia? Quæ *salis*, quæ *sulphuris impuri* signa? Si *inflammatio*, si *phlogosis* circumcirca excitata, *procul omni dubio* produxerit has convulsiones, cur fictitias afferre causas, quam manifestis inhærere maluisti? Sententia tanto debet statui probabilior, quanto magis inconcussis, quanto simplicioribus innititur principiis. Quæ ille post mortem in cadavere oculis lustravit, ea evincunt non alia,

alia, quam quæ proposita sunt, in vivo habuisse locum. Unde arteriarum tumor? A repletione. Unde color atro-purpureus? A repletione. Unde inflammatio & phlogosis? A repletione. Unde vasa disrupta? A repletione. Repletio cum ingenti æstu, & expansione juncta: Repletio à cordis crebra & præternaturali contractione excitata: Repletio cerebri mollem substantiam aggravans, & deprimens, omnium horum symptomatum fuit causa. Possem hæc amplius confirmare ex iis quæ in thorace sunt observata, è pulmone rubicundo, & velut cruore suffuso, & sic porro, nisi ea, quæ hactenus adducta sunt, abundè sententiæ meæ veritatem evincerent.

Hæc breviter dicta sufficiant, ut relatio quæ inter Epilepsias hasce, & Febres, illas producentes, innotescat, cætera ad doctrinam de Febribus pertinent. Differentiæ sunt, quod aliæ sint graviores, aliæ leviores: aliæ quæ Epilepsiæ nomen omnino merentur, aliæ quæ ad motuum convulsivorum naturam propius accedunt; est enim hic quædam latitudo. Aliæ statim in principio accidentes, aliæ circa statum ingruentes, aliæ ordinariæ, uti dictum est, aliæ extraordinariæ. Possent aliæ statui differentiæ juxta sexum, ætatem &c. sed illæ sunt minoris momenti. Majoris momenti est, quod aliæ brevioribus repetant intervallis, aliæ rarius ingruant. Differentiæ.

Signa per se sunt manifesta, ægri subito in ἀναισθησίαν & vehementes membrorum contractiones incidunt, quæ postquam per aliquot tempus tragædiam suam exercuerunt, iterum desinunt. Urina sæpe inflammatoria, præcessit sitis ingens, capitis dolor, Vertigo, Phrenitis, Coma vigil, aut Carus: quanto graviora statim ingruunt symptomata, cerebrum & spiritum animales valdè afficientia, tanto major metus est ab Epilepsiis febrilibus. Signa in affectibus Epidemicis occurrentia, è particularibus relationibus, & diligenti observatione investiganda. Signa.

Prognosis ita habet. Omnis Epilepsia symptomatica febrilis valdè est periculosa, quandoquidem reliqua prava effecta aggravat. Quanto autem pluribus vexatur æger symptomatibus, tanto citius succumbere solet. Leviores tamen Epilepsiæ, in principio contingentes, facilius expugnantur, quandoquidem Prognosis.

dem

dem vires integræ ſæpe remedio generoſiori concedunt locum, quod non permittunt eædem exhauſtæ. Quæ in febribus malignis accidunt convulſiones, cæteris paribus, magis ſunt periculoſæ, quam quæ in febribus vulgaribus contingunt. Hæ enim plerumque vel à repletione, vel à corporis diſpoſitione, ſæpe non admodum malâ dependent, cum illæ à malignitate & contagio habeant ortum. Quanto brevioribus intervallis repetunt Epilepſiæ, tanto periculoſiores. Quæ apud *Hippocratem* Aph. 20. & 21. ſ. III. de Epilepſiis vernalibus & autumnalibus dicuntur, quamvis ea pluribus ſpeciebus applicari poſſint, tamen, meo quidem judicio, de Epilepſiis febrilibus non malè intelliguntur.

Indicationes

Indicationes generales ſunt, nimiam repletionem imminuere, ſpiritus recreare, æſtum temperare, ſanguinis motum ad cerebrum magis vergentem aliò derivare. Hæ ſunt omninò genuinæ indicationes, neceſſario nexu cum explicatione, in ſuperioribus propoſitâ, cohærentes, in praxi utiliſſimæ, votis medici, nec non ſaluti ægrotantium maximè accommodatæ. Hinc naſcitur præjudicium non paulò veriora eſſe ea, quæ à me ſunt diſputata, quam ea, quæ è falſa hypotheſi ſunt eruta.

Cura per V. S.

In curatione primum ſibi locum vindicat V. S. in morbis convulſivis ſummi uſus, quandoquidem hi à repletione ſæpe numero dependent. Ad repletionem autem tollendam præſentiſſimum remedium eſt V. S. Non eſt tamen ea promiſcuè uſurpanda. Convenit ea in Epilepſiâ ordinariâ, in principio febrium accidente, imprimis ſi καρηβαρία, Cephalalgia, Vertigo, aut ſimilia præceſſerint ſymptomata. Convenit etiam in augmento morbi, ſi eum à ſtatu aliquantulum adhuc videamus abeſſe, nec vires ſint admodum fractæ. Non eſt inſtituenda in ſtatu, aut viribus attritis, niſi ſumma id poſtularit neceſſitas, & conſultius ſit anceps experiri remedium quam nullum. Non eſt etiam inſtituenda in declinatione morbi, niſi circumſtantiæ aliquæ eam omnino flagitent. Ex gr. Quando in augmento, aut ſtatu morbi ea debuit omitti, ob ſymptomata ejus uſum vetantia: aut quando pars caſeoſa ſanguinis peccat. Quantumvis enim tum medicamentis pur-

gan-

gantibus, sudoriferis &c. insistas, exhauries quidem serum & serosas partes sanguinis, caseosa autem & crassior ejusdem pars hærens, & replens vasorum arteriosorum minimas fibrillas, varia producet symptomata, & fortè tibi sub larva morbi hypochondriaci & scorbutici imponet, quem varia medicamentorum farragine vix, aut ne vix quidem, solâ V. S. facillimè & brevissimè, jugulabis. Verum hæc in transitu, quamvis ex intimâ praxeos medulla sint petita & maximi usus, uti forsan alias latius explicabo. Dubitari posset, an in febribus malignis ea in usum sit vocanda nec ne? Verum difficilis est responsio quandoquidem febres malignæ & epidemicæ non omnes sunt unius generis. *Sydenhamius* laudat V. S. & quidem largam, *Gabelchoverum* eam commendare etiam in morbo castrensi, in superioribus vidimus. Idem *Gabelchoverus* de V.S. in peste instituenda disputat. Curat. 69. Cent. v. *Willisius* quoque V. S. in febre epidemica à se descripta laudat. Hic finem impono, totum hoc negotium discutere, non est hujus loci, cum id ad doctrinam de febribus pertineat. Videri potest *Septalius* in animadversionibus, & *Mollenbroccius* in Medullâ totius praxeos Medicæ aphoristicâ.

Nimia repletio imminuitur hoc in casu quoque purgantibus, verum ea prudentiam medici requirunt, ne intempestivè in usum vocata ægroto noceant. Conveniunt purgantia in initio morbi, ubi convulsiones sequuntur affectum soporosum, Carum mihi dictum. Quum enim vires constent, cumque Carus & Epilepsia purgationem suadeant, ea quamprimum est præscribenda. Ex. gr. Purgationem.

℞. *Elect. Panchymagog. nostr.* ℥ijß.
Cremor. Tartar. ʒß.
Aq. Meliss. q. s.
M. F. Haustus.

Si forma mitior arrideat

℞. *Fol. Senn. mund.*
Rhei elect.
Tartar. Rhenan. alb. aa ℈ij.
Sem. fænic. d.
anis. aa ℈ß.

Bulliant leviter colat. ℥iv. Add.
Syr. Rosar. solat. c. senn. ʒij.
F. Haustus.

Electuarium à Medicis Marpurgensibus præscriptum in febre epidemicâ apud *Sennertum* videri potest. *Willisius* laudat medicamenta cathartica, ac imprimis vomitoria, statim in morbi principio exhibita, cui ego facile assentior. Non quod succi nervosi superfluitates in viscera inferiora exprimantur; sed quod ventriculus & primæ viæ exhauriantur, saliva tenax, postmodum morbum aggravatura, nec non bilis, in pluribus nimia, educatur, & in universo corpore repletio imminuatur.

Non sunt facilè exhibenda purgantia erumpentibus, in metu Variolarum, aut Morbillorum, aliquando propinari possunt.

Non sunt exhibenda in Epilepsiâ circa statum, viribus attritis, ingruente.

Clysteres. Ubi ergo circumstantiæ aliquæ purgationem vetant, repletionis aliqua imminutio sperari debet ab usu enematum, in hoc morbo magni usus. Conveniunt enemata in Epilepsiis, in quibus ægroto catharticum per os exhibere non possumus. Conveniunt enemata in Epilepsiis circa statum Morbi, & viribus fractis ingruentibus, ubi non est tutum exhibere purgationem per os. Conveniunt non tantum ad evacuationem aliquam procurandam, sed & æstum temperandum, spiritus recreandos, sanguinis motum ad cerebrum nimium vergentem, versus primam regionem blandè alliciendum. Formula talis potest præscribi:

℞. *Rad. Lilior. alb.* ℥j.
Fol. Malvæ m. ij.
Parietar.
Cichor. aa m. j.
Flor. Chamomill. p. j.
Sem. Carui. ʒjß.
Coq. s. a. ex *aq. pura* colat. ℥x. Add.
Elect. Cholagog. Sylv.
Mellis Mercurialis aa ℥j.
Sal. com. ʒj.
M. F. Enema.

Wil-

Willisius vult Enemata quolibet die injici. *Wierus* majori quantitate clyſteres præſcribit in Epilepſiâ :

℞. *Malvæ*, *Mercurialis*, *Betæ*,
Betonicæ, *Majoranæ. ad m.* j.
Furfurum tritici. m. ß.
Fl. Anethi.
Centaur. min. p. j.
Sem. carui. ʒß.

Concidantur & in q. ſ. *aquæ* decoquantur ad tertias, exprimantur, & colentur. colati juris accipe ℥xv. quibus admiſce :

Pulpæ Caſſiæ. ℥j.
Hieræ ſimpl. ℥ß.
Olei commun. ℥iij.
Salis. ʒj.
F. Enema.

Spiritus in hoc caſu optimè recreantur acidis, *Aceto Bezoardico*, *Calend. Sambucino*, *Rutaceo*, *Scyllitico*, &c. ſive illa naribus admoveantur, ſive etiam lateri candenti inſpergantur, ſive etiam internè exhibeantur ad ſpiritus excitandos, & ſudores blandè promovendos. Acida ambabus his gaudent facultatibus, ambo hæ in Epilepſiâ febrili optimè conveniunt. Ex. gr.

Spirituum recreatio per acida perficitur.

℞. *Aq. Meliſſ.*
Ruth.
Betonic.
Fl. Tiliæ.
Acet. Bezoard. aa ℥j.
Cremor. diaphoret. ℈jß.
Lapid. Bezoar. occid. ℈ß.
Syr. Acetos. Citri. ℥ß.
M.

Si cui forma hauſtus magis arrideat is utatur ſequenti

℞. *Raſur. Ungul. Alcis.* ℈j.
Margarit. ppt. ℈ß.
Sal. Abſinth. gr. v.
Succi Limon. depurat.

 Rob.

Rob. Ribesior. aa ℥ij.
Aq. Rosar. q. s.
M. F. Haustus.

Timæus exemplum habet Pestis *Aceto theriacali* curatæ L. VIII. cas. 32.

Æstum temperantia.

Æstus temperatur diluentibus & sudoriferis. Duluentia insignis sunt usus omni tempore, præcipuè ubi sitis intensa vexat, & morbus eundo tantas acquisivit vires, ut alia medicamenta in usum vocari non possint. Ea enim sanguinem temperantur, & magis fluidum reddendo, impediunt ne arteriarum carotidum ramificationes nimium repleat sanguis, vel magis fervens & dilatatus, vel etiam inflammatoriam dispositionem nactus. Ex. gr.

℞. *Rad. Scorzoner.* ℥ij.
Cichor. ℥j.
Fol. Acetos. m. ij.
Borrag.
Bugloss. aa m. j.
Coq. s. a. *ex aq. pura* colat. ℔ij. Add.
Rob. Ribesior. ℥jß.
Succi Limon. depurat. ℥ß.
M.

Willisius præscripsit hoc modo:

℞. *Rad. Scorzoner. Chærefol. Gramin.*
Eryngii cond. aa ʒvj.
Pomum incisum.
Fol. Pimpinell. Ulmar. aa m. j.
Passular. ℥jß.
C. C. usti. ʒij.
Incis. & contus. Coquantur igne claro in aq. fontan. ℔iv. ad tertiæ partis consumptionem, colaturæ claræ ℔ij. Add.
Syr. Acetos. Citri, aut Violar. ℥ij.
Sal. prunell. ʒjß.
F. Apozema.
Dos. ℥iv. ad vj. ter in die.

Sudorifera.

De sudoriferis, quatenus ex acidis constant, jam egimus, subjici-

jicienda sunt alia, in hoc symptomate itidem utilia. Nempe cum sudorifera sanguinem reddant magis fluidum, si non destituantur debito vehiculo, atque, facilem promovendo circulationem, impediant quo minus in minimis arteriarum carotidum ramulis hæreat, repletionem nimiam ac convulsiones producat ea omninò sunt præscribenda. Eligenda autem sunt temperatiora, præcipuè si æstus, aut malignitas vexet. *Lapidem Bezoar* in Febribus malignis & petechialibus pluribus prædicat *Gabelchoverus* in Annot. ad obs. 3. Cent. v. cujus vires egregias testatur expertum esse *Jacobum Augustum Thuanum*. Vult autem illum exhiberi mediocri quantitate, nec aliis medicamentis misceri. Huic miscelæ se opponit his verbis: *At vero considerare debuissent LAPIDEM BEZOAR ita dici, quasi domitorem veneni; vel Regem venenorum, quod vi & efficacia sua, quædam venena superet. Quemadmodum enim Rex in suo regno confirmatus, socium concurrentem ferre non potest, eâdem ratione LAPIS BEZOAR se cum aliis simplicibus misceri non patitur; vel minus laudabiles effectus præstat. &c.* Sunt & alia medicamenta sudorifera ac Alexipharmaca, in hoc casu insignis usus. Talia sunt *C. C. Sp. ppt. Unicornu, Rasura Ungul. Alcis Margarit. ppt. Cremor diaphoreticus, Bezoardicum minerale, & Lunare* Pharm. Bat. *Calx Lunæ & Cinnab. Antimonii* ejusdem. Huc refer & *Decoctum ad sitim* ibidem præscriptum.

Ex his variæ possunt concinnari formulæ: ex. gr.

℞. *Lapid. prunell.* ʒß.
Margarit. ppt.
Cremor diaphoret. aa ℈j.
F. Pulvis. pro iij. dosibus.

Walsmidius in Febre Hungarica hoc modo præscripsit:

℞. *Aq. C. C. Citrat.*
Contra febrem malign.
Cerasor nigr. aa ℥ij. Hoc morbo correpti facile fiunt epileptici.
Epilept. ʒiij.
Confect. de Hyacinth. ℈j. vel ʒß.
Sp. destillat. g. xij.

Syr. Acetos. Citri.
liberantis aa ℥jß.
M.

Timæi pulvis Epilepticus magiſtralis.

℞. *Magiſt. Lunæ* ʒiij.
Perlar. or.
Corall. rubr.
Oc. Cancri.
Succin. alb.
Matris perlar. aa ʒj.
Cran. human. ℈iv.
Corn. Alcis phil. cal. ℈iv.
C. abſque ign. calc. ʒjß.
Fæcul. poeon. ℈v.
M. F. Pulvis. Affund.
Spir. Ceraſor. nigr. q. ſ. ut fiat quaſi paſta.
Teratur in marmore poſtea iterum exſiccetur, laborem hunc ter repetendo ut
F. Pulvis ſubtiliſſimus.

Quod ſi loco tantæ farriginis magiſteriorum, ſimplicia vulgari modo præparata, in uſum eſſent vocata, pompæ minoris, non minoris tamen fuiſſet efficaciæ potuiſſet concinnari pulvis.

Ad convulſiones epilepticas febriles hunc habet pulverem *Sennertus*.

℞. *Rad. Pentaphyll.*
Tormentill. aa ℈ß.
Raſ. Ungul. Alcis. ʒj.
Cryſtall. ppt. ℈ß.
Corall. rubr. ppt.
Margarit. ppt.
Oc. Cancri ppt. aa ʒj.
Smaragd. or. ppt. ℈ß.
Rad. Poeon. maſc. ʒj.
F. Pulvis

Pro ditioribus addantur aliquot grana *Lapidis Bezoar.*

De medicamentis opiatis. Non facio mentionem opii, vel medicamentorum opiatorum, quamvis ea ad expellendos ſudores & malignitatem ſuperan-

perandam non mediocribus polleant viribus. Verum oportet considerare, nos versari in curatione Epilepsiæ febrilis, & quidem à repletione ortæ, in qua arteriolæ carotides nimium sunt repletæ: non oportet itaque repletionem, &, hanc consequentem depressionem cerebri augere. Sive enim Epilepsiam consideres in principio, sive etiam in augmento vexantem, suspecta sunt medicamenta opiata. Suspecta sunt in principio, quandoquidem insignis est repletio arteriarum carotidum, & aliquando non mediocris in somnum propensio. Quid? quod sanguinis ferocientis æstus medicamenta hæc aliquando planè respuat? Ubi autem morbus in progressu est, vel ad statum accedit, non est tutum ægroto adeo debili exhibere medicamenta hæc potentia. Oportet ut medicamenta semper viribus ægri respondeant. Hinc patet quam perversè quidam non tantum Agyrtæ, sed & medici, promiscuè Opio in satis magnâ utantur quantitate. Hæc tamen ita intellecta velim, quod ea quidem universaliter loquendo sint vera, sed tamen posse particularia supervenire symptomata; quæ medicum cogant ab ordinario tramite deflectere: nempe si singultus, dolor, vigiliæ pertinaces, aut etiam alvi fluxus superveniant. In hisce casibus non est tantus ab Opio metus, quandoquidem continua irritatio non sinit ægrotum in nimis profundum, aut continuatum incidere somnum. Si autem quis metuat *Laudanum Opiatum*, vel *Cydoniatum*, ac similia medicamenta, is poterit uti vel Emulsionibus cum *Semine* aut *Syrupo Papaveris albi*, vel etiam *Diascordio Fracastorii*, quod insignibus laudibus ornat *Gabelchoverus* l. v. obs. 21. Verum cum compositionem hanc esse inconcinnam ob *admixtum Piper*, *Zingiber*, *Galbanum*, jam dudum sit observatum, non est necesse in eâdem formulâ semper hærere, possumus concinnare hoc, vel simile *Diascordium* novum, in variis casibus utilissimum.

DIASCORDIUM NOVUM.

℞. *Fol. Scordii siccatorum.*
Boli Armen. ver. aa ℥jß.
Flor. Rosar. rubr.

 Di-

Dictamni Cretici.
Sem. Acetosæ.
Rhei elect. aa ℥j.
Rasur. Ung. Alcis.
Opii depurat. aa ℥ß.
Rad. Bistort.
Cinnamom. acut. aa ʒij.
Vini Canarin. q. s.
Mellis despumat. ℥xx.
F. s. a. Electuarium.
Dosis à ʒß. ad ʒj. & ultra.

Potest hoc exhiberi vel formâ Boli, vel potiunculæ, dissolutum cum aqua appropiata, possunt eidem alia admisceri sudorifera, ex.gr.

℞. *Diascord. novi.* ℈ij.
Lapid. prunell. ℈ß.
F. Bolus.

℞. *Diascord. novi.* ʒß.
Cremor. diaphoret.
Lapid. prunell.
Sacchar. perlar. aa ℈ß.
Aq. Meliss. q. s.
M. F. Haustus.

Quomodo motus sanguinis alio derivetur?

Non est negligendus motus sanguinis, versus caput impetum præcipuè exserens, quem dixi alio derivandum esse. Quamvis enim motum sanguinis immutare in nostrâ non sit potestate, videmus tamen eum versus alias partes quodammodo allici posse. Hunc in finem utiles esse possunt hirudines, ubi evacuatio blanda sanguinis requiritur, quandoquidem suctu eliciunt sanguinem. Utiles quoque esse possunt Cucurbitulæ cum, vel sine scarificatione, pro circumstantiarum varietate. Utiles quoque Clysteres, de quibus in superioribus est actum. Suppositoria non sunt ita commoda, tamen non omnino rejicienda. Non sunt etiam omnino negligenda vesicatoria, verum cautè, nec tendinibus musculorum applicanda, ne nimium dolorem excitando, non tam curemus quam irritemus

Epi-

Epilepſiam ſymptomaticam. Circa nucham & parotidas ſatis tutò in uſum vocari poſſunt. Non ſunt negligenda pediluvia, in hoc caſu inſignis utilitatis, quandoquidem non tantum aliò derivant motum ſanguinis, ſed & quoniam fluidiorem eundem reddere poſſunt. Ex. gr.

℞. *Fol. Ruth. m.* iv.
Abrotan.
Malvæ
Biſmalvæ.
Violar. aa m. ij.
Flor. Roſar. rubr.
Chamomill. aa p. j.
Coq. ſ. a. ex *aq. pura.*
Pro pediluvio.

Supplantalia, ſive è fermento acri, ſive etiam piſcibus variis, aut animalibus vivis concinnata, eximii quoque ſunt uſus. Breviter hæc tantum volui tangere, quandoquidem de iis in ſuperioribus jam eſt actum, tum etiam, quandoquidem hic non eſt tractanda integra febrium doctrina, ſed tantum quatenus Epilepſiæ febriles haſce tanquam ſymptomata excipiunt:

Subjungenda ſunt paucis quædam Curam differentiarum Epilepſiæ febrilis ſpectantia. Circa Epilepſias graviores & leviores obſervandum, remedia debere eſſe proportionata magnitudini morbi, ne ſcilicet in leviori ſpecie efficaciſſima remedia, in graviori minus potentia adhibeamus. Ideo gravioribus morbis ſæpe ſuccumbunt ægri quod medicamenta & auxilia quidem convenientia, non autem ſufficientia in uſum ſint vocata. Cura differentiarum.

Epilepſiæ in principio ingruentes cogunt ad potentiora remedia confugere. Nempe ubi vires ſunt validæ, & corpus valdè repletum planè neceſſarium eſt, ut ſanguis ſtatim copioſè educatur, nec purgantia in majori doſi omittantur. Niſi enim illud fiat, intempeſtivè, ac ſine fructu, ad diaphoretica confugimus. Ubi autem morbus eundo vires acquiſivit, à potentioribus hiſce remediis potius abſtinendum eſt, niſi neceſſitas id planè poſtulet. Nempe vires jam non parum ſunt fractæ, ſpiritus exhauſti, morbus ad ſtatum vergit; aliquando

do crifis inftat. Itaque vires non funt magis infringendæ, nec natura crifim moliens, ab utili opere, avocanda eft. Cum fanguis in hoc cafu à naturali defciverit crafi, & ferum fæpe in fubftantiam gelatinofam fit excoctum, oportet ut ejus fluiditati incumbamus potum exhibendo copiofiorem, aut Apozemata, aut *Julapia*, aut etiam acidulas: deinde ut fudor temperatis medicamentis promoveatur, non neglectis externis.

Quæ hactenus dicta funt refpiciunt Epilepfias febriles ordinarias, extraordinariarum & epidemicarum non eadem eft ratio: hæ quippe iifdem regulis non comprehenduntur. Ut de his accuratum formetur judicium, oportet perfpecta habere, quæ medici eximii hifce de febribus memoriæ prodiderunt. Videndus eft *Hippocrates*, *Ballonius*, *Sydenhamius*, *Willifius* &c. Pro variâ aëris conftitutione cura earum non parum differt, itaque tum diverfæ circumftantiæ, mos, & motus morbi, nec non juvantia & nocentia diligenter funt trutinanda, ut quifpiam de hoc vel illo morbo epidemico formet judicium. Hæc breviter hic tantum tangenda fuerunt, quandoquidem fufior tractatio propriè ad doctrinam de Febribus pertinet.

Quod ad reliquas differentias attinet, defumptas à fexu, ætate, paroxifmis brevioribus, aut longioribus intervallis repetentibus, eæ prudentiam medici requirunt. Attendenda eft hæc regula, medicamenta femper viribus & conftitutioni ægroti, nec non magnitudini morbi debere effe proportionata.

Subjungenda eft paucis diæta. Aër fit purus & obfcurus, Diæta. æftate *aqua*, *aceto*, herbis ac floribus convenientibus, temperatus, hieme convenienti igne à frigore vindicatus. Cubiculum, in quo decumbit æger, fit fpatiofum, atque tale, in quod liberior aër non incommode intromitti poffit. Vitandus fumus carbonum, fœtor, nimia amicorum falutantium turba.

Cibus parciffimè exhibeatur; funt enim hæ febres plerumque acutæ, in quibus diæta tenuis omnino requiritur. Veteres in hac materiâ adeo fuerunt fcrupulofi, ut etiam de ufu *Ptifanæ* difputarent, uti ex *Hippocrate* de diæta in morbis acutis patet. *Idem* Aph. 65. VII. Ἢν τις πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ, τῷ μὲν ὑγιαίνοντι ἰσχὺς, τῷ δὲ κάμνοντι νοῦσος. Po-

Potus sit tenuis, aquosus, atque abundans, facessat perversus siti ægros enecandi mos. Nihil est quod metuamus ab ingesto potu majorem putredinem. Nihil utilius quam æstum restinguere, sanguinem diluere, serum magis fluidum reddere, vehiculum sudoribus erumpentibus suppeditare. Acida, si expetat æger, aut etiam acidulæ, promptè concedantur. Αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι. &c. *Hipp.* 1. Aph. 16.

Somnus & vigilia, quantum pote, debito modo sese habeant, cum utriusque excessus multum noceat; somni quidem, quoniam is, si sit nimius ad Epilepsiam viam sternit, vigiliarum autem nimium protractarum sequela est spirituum dissipatio nimia. Vid. *Hipp. Aph.* 1. s. 11.

De medicamentorum opiatorum, usu & abusu in superioribus egi. Si somnolentia præcesserit Epilepsiam, somnus admodum suspectus est. Vigiliæ continuatæ pessimæ.

Motum in pluribus casibus impedit morbi magnitudo. Morbi magnitudo quoque lecto ægrotos affigit. Nolim tamen eos in eodem lecto diutius contineri, nisi aut sudor copiosè erumpens, aut vires debiles id requirant. Præstat sæpe ut ægrotus, in sedili collocatus, per aliquod tempus capite elevato sedeat, quam ut semper lecto mancipetur. Ratio hujus rei est in promptu: quia nempe decubitus diuturnus caput non parum replet. Difficilior est ejusdem adscensus per arterias carotides perpendicularis, quam si æger capite tantum acclivi fere horozontaliter decumbat. Salutantium turba utplurimum ægroto nocet, quoniam quieti moderatæ, cui omnino studendum, contraria est. In somnolentiâ tamen nimia & clamor, & strepitus, & vociferatio sæpenumero requiruntur.

Excretiones pleræque in hac Epilepsiæ specie utilissimæ, quandoquidem oritur à repletione. Alvinæ primas vias exhauriunt, quæ alias æstum non parum augent. Quid? quod copiosior dejectio sanguinem, ad cerebrum magis contendentem, aliquomodo avertat. Urinæ & sudoris copiosior evacuatio non tantum arterias & venas aliquomodo exhaurit, sed causa ac signum est, felicis eventus. Causa, quandoquidem nihil magis dispositionem inflammatoriam, ac sanguinis tenaciorem

emendat, quam ſudoris, aut etiam urinæ, copioſior excretio. Signum, quandoquidem exinde colligitur humores reddi magis fluidos, id quod ad curationem non parvi eſt momenti. Quid? Quod non raro hac via natura criſin moliatur? Quamvis autem ſudor adeo ſit neceſſarius, non eſt tamen is ſtragulorum mole cogendus & veluti exprimendus. Sæpe ab hac ægrotos tractandi perverſâ ratione, æſtus vehementer intenditur, ſanguinis expanſio augetur, anxietates & circa præcordia, & circa pectus intenduntur. Ac circa præcordia quidem, ob inſignem repletionem arteriarum, copioſe ventriculum perreptantium; circa pectus, ob diſtenſionem vaſorum pulmonalium, compreſſionem arteriæ aſperæ, difficiliorem per arterias, è capacibus vaſis in anguſtiſſimas diremptas fibrillas, tranſitum: Itaque hoc in caſu memoriâ tenendum eſt, *eſſe modum in rebus; omne nimium naturæ inimicum.* Proſunt quoque reliquæ evacuationes ſanguinis ſive per nares, ſive per hæmorrhoides, ſive etiam per menſtrua, aut lochia in puerperis, contingant. Horum omnium ratio ex iis, quæ explicata ſunt, facile eluceſcit. Itaque ut brevitati ſtudeam horum ulteriori explicationi immorari deſino.

Animi pathemata ſint moderata. Metus imprimis nocet, quandoquidem orificca cordis, nec non vaſa pulmonis multum conſtringit adeoque circulationem difficiliorem reddit. Animus quietus, ſua ſorte contentus, calamitates moderatè & patienter ferens, lætitia bonæ conſcientiæ, non tantum ad ſanguinem fluidiorem reddendum, ſed & criſim promovendam multum facit.

Lætus in præſens animus, quod ultra eſt
Oderit curare, & amara læto
Temperet uſu. Nihil eſt ab omni
Parte beatum.

CA-

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Epilepsiâ pedissequâ Dolorum, Purgationum, Vulnerum & Ulcerum.

HAs Epilepsiæ species omnes hoc capite tractare est animus, quandoquidem in eo conveniunt, quod dolor omnes comitetur. Videtur quidem prima fronte Epilepsia pedissequa Purgationum debere referri ad Epilepsias ex inanitione ortum ducentes, adeoque ad eas, quæ hæmorrhagiam sequuntur; verum re penitius perspectâ, dolor non minus quam inanitio, has producit convulsiones. Nempe in purgationibus nimiis, primo quidem mucus intestinorum abraditur, postmodum non rarò sequitur sanguis merus; quilibet autem facile intelligit, tunicam intestinorum nerveam valde debere irritari & lædi, antequam sanguis merus è vasis arteriosis prorumpat. Itaque primum de dolore in genere, tum quomodo ille in omnibus hisce speciebus locum habeat, ostendendum. Cur de hisce affectibus simul agam?

Dolor est tristis sensatio orta à vi partibus nervosis & sensibilibus illata, vel è solutione continui earundem partium. Quomodo vis illata, licet solutionem continui non producat, dolorem satis molestum excitare possit, capite de Cephalalgiâ ostensum est. In hac doloris specie, motus sanguinis impetuosus, cum ejusdem expansione conjunctus, partes nerveas malè mulctans, & spiritus commovens, causa est tristis hujus sensationis. In alterâ doloris specie à læsione, seu solutione continui productâ, dolor ille excitat sanguinis ac spirituum motum inordinatum. Nempe ubi partes nervosæ & valde sensiles vulnerantur, spiritus animales tumultuosè versus medullam oblongatam, è qua nervi primam habent originem, deferuntur, unde tum sequitur eorundem spirituum copiosior & turbulentus versus cor, pulmonem, præcordia, influxus. Oritur hinc impetuosior, & frequentior cordis contractio, sanguinem per universum corpus vehementius adigens, eumque non rarò multum expandens, atque Dolor.

que æſtum in univerſo corpore, cum ſudoris eruptione, producens. Sanguinis conſiſtentia eſt quidem fluida, non tamen tenuis, quippe V. S. eductus ſtatim concreſcens. Eſt ergo quidem proportionatus moderatæ preſſioni, non autem adeo ſubitæ, & impetuoſæ. Hinc ſequitur eum facile pulmonis & cerebri vaſa magis replere. Repletio hæc corpori moleſta, iterum difficilis circulationis ſenſum ope ſpirituum animalium ad cerebrum defert, unde ſpiritus magis agitantur, verſus viſcera copioſius confluunt, adeoque circulationem & preſſionem magis intendunt. Itaque arteriæ carotides magis replentur, cerebrum obnubilatur ac deprimitur, tandem ad Epilepſiam hanc ſymptomaticam, modo in ſuperioribus explicato, cogitur. Vid. *Hipp. Aph.* 66. 67. ſ. IV.

Purgatio nimia. Hiſce de dolore in genere præmiſſis, non eſt difficilis applicatio ad purgationes nimias. Inteſtina gaudent copioſis nervorum filamentis, quæ ubi læduntur, triſtis ſenſatio ad cerebrum defertur, ſpiritus animales hinc commoventur, ſanguinem exagitant, adeoque convulſiones, vel graviores vel leviores, producunt. Hic deſino, neque enim mihi propoſitum eſt, omnia quæ ad hypercatharſin ſpectant, hic producere. Sufficit oſtendiſſe quæ relatio inter dolorem hypercatharſin producentem, & convulſiones, ſeu Epilepſiam hanc intercedat. Oportet tantum conſiderare, quædam medicamenta inteſtinis eſſe valdè inimica, adeoque promptius convulſiones producere. Ita ſi Petum ſive Nicotiana decocto clyſteris addatur, non raro hinc ſequuntur convulſiones, adeo ut ad rectæ curationis methodum non parum faciat perſpectum habere, quod ſit ſingulorum catharcticorum ingenium. Ad dolorem, & ea, quæ ſpiritibus noſtris inimica ſunt, referri poſſunt quoque convulſiones quæ à venenis variis, & morſu venenatorum animalium inferuntur, de quibus egit *Williſius*. Verum non eſt jam mihi otium de particularibus venenis, de morſu *Tarantulæ*, de *Chorea ſ. Vite*, nec etiam de convulſionibus à veneficio agere. Rarius contingunt hi affectus, itaque eos hoc loco indigitâſſe ſufficiet. Quotusquiſque eſt qui ſymptomatum horum oculatus eſt teſtis? De venenis vomitum producentibus in ſequentibus.

Vulnera. Vulnera Epilepſias ſymptomaticas producentia ſunt præcipuè

pue cerebri & capitis nervorum & tendinum. Vulnera capitis producere Epilepsias, ex observationibus practicorum, & *Boneti sepulchreto* manifestum est. Solent auctores uno & eodem capite de his Epilepsiis & de Morbo caduco agere: quam rectè illud factum sit, alii judicent. Ego saltem existimo cum hæc toto cœlo, uti ajunt, differant, etiam separatim debere tractari. Non raro oriuntur quoque Epilepsiæ symptomaticæ, à solâ contusione, disruptis vasis & sanguine intra calvariam effuso. Hæc autem species Epilepsiæ admodum confirmat meam, in superioribus propositam, sententiam, quia effusio sanguinis absque compressione cerebri intelligi non potest. Confirmat eandem observatio *Adr. Falcoburgii*, Epilepsiam deducentis à compressione ventriculorum cerebri, quæ itidem adjunctam debuit habere compressionem substantiæ ejusdem. Vid. *Boneti Sepulchretum* l. 1. sect. XII. obs. 24. Quod si accedant fragmenta cerebri membranas pungentia, tanto facilius subsequentur convulsiones. Oportet autem in hisce casibus simul considerare & Febrim, & agitationem sanguinis, cum spirituum animalium motu turbulento conjunctam. Quamvis vulnera nervorum & tendinum simul tractari possint, non inutile tamen est; eorum differentiam animadvertisse. Conveniunt in eo vulnera nervorum & tendinum, quod utraque dolorem insignem, tumorem, inflammationem producant: differunt in eo, quod dolor puncturæ nervi sit magis exquisitus, citius gravia producat symptomata, ac inflammatio latius serpat. Dixi in superioribus febrem & agitationem sanguinis, nec non spirituum animalium in hisce casibus esse respiciendam, quæ hic tanquam explicata suppono, ne iterum modum generationis harum Epilepsiarum sit repetendus.

Non rarò quoque contingit Epilepsias sequi operationes chirurgicas graviores, sectionem calculi è vesicâ, sectionem herniæ, amputationem alicujus membri &c. Harum Epilepsiarum rationes & modi producendi facile intelliguntur, ex iis, quæ de dolore diximus. *Operationes chirurgicæ graviores.*

Non est quoque necesse de ulceribus in specie agere, quandoquidem ulcera excipiunt vulnera, & iis, quæ de vulneribus dicta sunt, ritè perspectis, facile symptomata ulcerum intelliguntur. *Ulcera.*

Causæ. Accedendum jam eſt ad cauſas, quas, ex antecedentibus, facile intelligimus potiſſimum debere deduci ad repletionem. Non nego in dolore & nervorum vulneribus poſſe quoque conſiderari irritationem, verum ea non immediatè, ſed interveniente agitatione tumultuoſâ ſpirituum & ſanguinis ſuccedit, uti in ſuperioribus vidimus. Repletio hæc poteſt eſſe univerſalis, quando ſc. tales dolores, talia vulnera &c. incidunt in homines plethoricos: non eſt tamen neceſſe plethoram ſemper adeſſe, quandoquidem etiam in iis, quibus ſanguis non admodum abundat, poſſunt arteriarum carotidum fibrillæ nimium repleri, à vehementi ſanguinis agitatione, quod hic ſufficit. Scriptores chirurgici hoc in caſu conſiderant inflammationem & tumorem, verum repletio, Epilepſiam productura, ad cerebrum debet pertingere, nec eſt præter alia, eam, quam nos explicuimus. Epilepſiæ autem & convulſionum à nimiâ purgatione alia eſt ratio, quandoquidem in hoc caſu facile lipothymia, ob nimiam evacuationem, poteſt ſuccedere, adeoque Convulſio ab inanitione produci. Itaque Epilepſia pediſſequa purgationum dolore convenit cum reliquis Epilepſiæ ſpeciebus ſimiliter à dolore, & ſolutione continui productis, differt tamen in eo, quod non ſemper evacuationem nimiam habeat comitem. Poteſt tamen contingere à dolore quoque excitari lypothymiam, poteſt dolori quoque jungi hæmorrhagia. Non incommodè egiſſem forſitan peculiari capite de Epilepſia à purgatione; verum animadverto materiam tantam ſub manu natam, & tractatum hunc in majorem molem excreſcere, ut conſultius duxerim de eâ conjunctim cum aliis ſpeciebus dolorum agere. Si enim peculiari capite Epilepſiam hanc tractaſſem, fuſius agendum fuiſſet de Hypercatharſi, quod, cum ante me præſtitum ſit, evitare malui.

De Helleboro. Antequam tamen ad differentias accedam, non videtur inutile ſi *Hippocratis* Aphoriſmum 16. ſ. IV. examinemus, qui ita habet. Ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιείας ἔχουσι, σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει. Unde videtur poſſe colligi irritationi, non autem inanitioni, debere adſcribi convulſiones pediſſequas purgationum. Verum ſi diligenter perpendamus tractationis ordinem, quem ego ſum ſecutus, facile intelligemus

quo

quo pacto hæc ſint concilianda. Nempe dixi Epilepſias eſſe pediſſequas febrium, dolorum, vulnerum, ulcerum, hæmorrhagiæ, affectus hyſterici, hypochondriaci, &c. verum quemadmodum in partu & dolor, & hæmorrhagia conſiderari debent, ita etiam in purgationibus nimiis, & inanitio, & dolor ſimul ſpectanda ſunt, quando ſimul urgent. Quemadmodum in pluribus morbis contingit cauſas complicari, ita etiam idem hic locum habet. Qui autem novit ſymptomata ab unicâ cauſâ deducere, illi non erit difficile concipere, quomodo plures cauſæ ſimul agere poſſint. Interim obſervandum eſt Convulſiones ab *Helleboro* productas, non niſi tardius, & poſt alia ſuccedere ſymptomata. Memini ego me duas filias tractâſſe, ab uſu *Hellebori albi* in ſummum vitæ diſcrimen, abſque manifeſtâ convulſione (quantum quidem jam ſuccurrit) adductas. Præter vomitum & dejectiones, aderat ſummum extremorum frigus, quod difficillimè ſuperabatur, poſtquam autem illud eſſet devictum, & ægrotæ ſudare inciperent, maximum periculum & moleſtiſſima ſymptomata erant ſuperata. Hoc ideo obſervandum eſt, ne quis putet qualemcumque irritationem producere convulſiones. Frigus illud extremitatum, & totius corporis, oſtendit & ſanguinem & ſpiritus peſſimè affectos eſſe. Frigus illud oſtendit Lypothymiam & ſpirituum deliquium, adeoque inanitionem, hic non eſſe negligendam. Non inutile quoque eſt conſiderâſſe, uti in ſuperioribus quoque monuimus, quædam inteſtinis, adeoque ſpiritibus, hinc valde agitari ſolitis, valde inimica eſſe. Ita cantharides veſicæ ſunt inimica, *Arſenicum* & *Mercurius* ſublimatus corroſivus non tantum ventriculum moleſte vellicant, ſed & planè exedunt. Quantus autem dolor hinc producatur, tum è naturâ horum venenorum, tum è querelis ægrotantium facile intelligimus. Non producerent autem hæc omnia convulſiones, niſi mutuum inter inteſtina, ventriculum & cerebrum intercederet commercium. Hæc eſt cauſa, quare, male affecta veſicâ, &c. non raro ſuccedant convulſiones vel univerſales vel etiam particulares, de quibus in ſequentibus videbimus.

Differentiæ ex iis, quæ jam explicata ſunt, eluceſcunt, alia Differentiæ.

 eſt

eſt à dolore à variis cauſis tum internis, tum externis, præcipuè gravioribus Chirurgicis operationibus, veneno aſſumpto, Lumbricis &c. excitato. Alia eſt à vulnere punctura nervi, aut tendinum. Alia à dolore, nec non inanitione, in hypercatharſi excitato. Quod ſi aliæ adhuc ſpecies occurrant, quæ jam mihi ſcribenti non occurrunt, eæ quoque huc referendæ ſunt. Occurrit & alia differentia non contemnenda, quod ſcilicet hæ cauſæ ſolæ, vel cum aliis conjunctim agant. Non reſpicio jam agitationem ſanguinis & ſpirituum, ſine qua dolor ne quidem concipi poteſt, ſed præcipue hæmorrhagiam, quæ non raro in gravioribus chirurgicis operationibus locum habet, quæque etiam in vulneribus aliis nervos aut tendines lædentibus ſimul produci poteſt. Poteſt produci, inquam, quoniam ea non eſt de eſſentia dolorum omnium, aut vulnerum. In hoc caſu non tantum dolor, ſed & inanitio, de qua in ſequentibus agendum, conſideranda eſt. Tandem adhuc eſt differentia, quod aliæ convulſiones ſint graviores, adeo ut aliquando omnino Epilepſiæ dicendæ ſint, aliæ ad motus convulſivos propius accedant. Eſt hic quædam latitudo. Reliquas differentias à ſexu, ætate, partibus vulneratis, viribus deſumptas ſicco pede tranſeo.

Signa. Signa in hiſce affectibus ſunt ſatis obvia; conqueritur æger de ingenti dolore, clamat, ejulat, poſtmodum ſuccedunt convulſiones vel graviores, vel leviores. Signa puncturæ nervi, vel tendinis è ſcriptoribus Chirurgicis petenda, ego enim de his tantum ago, quatenus convulſiones exinde ortas reſpiciunt. In purgationibus nimiis non tantum attendendum eſt ad ægroti querelas, ſed & inſpiciendæ dejectiones, ut de copiâ & qualitate exactius judicemus. Quanto minor ſanguinis copia prodit, quanto ea magis excrementis eſt permixta, tanto minor adeſt læſio inteſtinorum. Diligenter quoque perpendendum, num principia inflammationis inteſtinorum adſint, quod ſatis frequens eſt. Non defungitur autem benè ſuo officio medicus, quando ad partium fluidarum vitium tantum attentus, vitia ſolidarum vel non animadvertit, vel negligit.

Prognoſis. Prognoſis ita inſtituatur. Omnes Epilepſiæ ſunt periculo-

ſæ,

ſæ, quanto autem majorem ſenſuum abolitionem habent comitem, quanto brevioribus repetunt intervallis, quanto graviores ſunt cauſæ eas producentes, in tanto majus diſcrimen ægrotantes conjiciunt. Punctura nervi puncturâ tendinis periculoſior eſt. Quod ſi dolor hæmorrhagiam ingentem habeat comitem, tanto majus imminet periculum. Cauſarum ſimul agentium vis unita eſt fortior. Spaſmum à Veratro lethalem pronunciavit *Hippocrates* in *Aph.* Idem eventus ſolet ſubſequi venenum aſſumptum, niſi citò rejiciatur.

Indicationes generales ſunt dolorem lenire, nimiam evacuationem ſedare, Epilepſiæ venienti occurrere, eandem præſentem curare. Indicationes.

Quando dixi dolorem eſſe leniendum, id intelligi debet, in quantum illud fieri poteſt. Ex. gr. In operationibus chirurgicis gravioribus dolor evitari non poteſt. Reſpectus tamen ad dolorem eſt habendus, in quantum inſtrumenta adhibentur accommodata, acuta, Chirurgus eligitur dexter, operationum non imperitus, minime tremulus aut timidus; hæc enim ad operationem citius abſolvendam, & ſymptomata præcavenda non parum utilia. Quid? quod ad dolorem leniendum aliquando excitandus ſit dolor? Nempe ut punctura nervi curetur, non rarò vulnus novum infligendum, aut inflictum ampliandum eſt. Itaque dolor eſt leniendus pro ut natura vulneris, vel ſymptomatum illud requirit. Non oportet tamen crudelem eſſe Chirurgum, & abſque urgenti neceſſitate ferro & igne uti. Cura.

Dolor leniendus eſt medicamentis externis & internis, pro cauſarum varietate variis. Externa medicamenta debent eſſe proportionata vulneribus & ulceribus, aut etiam doloribus internis. De medicamentis externis vulneribus, puncturis &c, adhibendis non ago, tractantur hæc à Scriptoribus Chirurgicis ex profeſſo. Medicamenta externa in purgationibus nimiis non ſunt contemnendi uſus, ſive adhibeantur forma linimenti, emplaſtri, fotus, cataplaſmatis &c. Ex. gr.

℞. *Unguent. Martiat.*
Ol. Chamomill.

Ol. Absinth.
Anethini. aa ℥jß.
M. F. Linimentum.

℞. *Fol. Malvæ. m.* iij.
Bismalvæ.
Absinth.
Rutæ aa m. j.
Flor. Rosar. rubr.
Chamomill.
Melilot aa p. j.
Sem. Cumin. ℥ß.
Coq. ſ. a. è cereviſiâ dulci recentiſſima, pro Fomento.

Uſus eſt, immergere pannos laneos villoſos in liquore, & expreſſos calide ventri imponere.

Huc poſſunt referri omnia actu calida, licet propriè medicamenta non poſſint dici, Lintea, aſſeres calefacti. Prædicantur inſignes, in hoc negotio, vires *Lapidis Ophitis*, cujus laminæ etiam ita excavantur, ut commodè & æqualiter ventrem calefacere poſſint. De enematibus in ſequentibus agam.

Quomodo cataplaſmata dolorem leniant?

Non ſunt quidem cataplaſmata, fomenta &c. propriè anodyna, verum anodynis longe præſtantiora, quandoquidem morbo, ac ejus cauſis oppoſita ſunt. Ex. gr. ſi in inflammatione cruris utamur cataplaſmate appropiato, æſtus lenietur, tumor diſcutietur, partes humectabuntur, ſanguis reddetur magis fluidus, ac ita lenietur dolor: adeo ut non rarò ſomnus placidus obrepat.

Phellandrium.

Poteſt tamen contingere, ut medicamentis externis non incommodè admiſceantur medicamenta propriè dicta anodyna, inter hæc non malè mihi videtur referri *Phellandrium*, medicamentum olim minus in uſu, jam autem ob ſummam ejus efficaciam ſatis celebre. Refertur hoc ad *Cicutæ* ſpecies, cujus virtutes ſunt anodynæ.

Anodyna.

Quod ſi neceſſitas id poſtulet, & poſtulat non raro, poſſunt medicamentis externis commodè jungi interna anodyna & opiata. Ita *Vegerius* in Chirurgia l. 11. c. 33. commendat *Theriacam* & *Mithridatium* in *Aqua vitæ* diſſoluta. Poſſunt & alia

alia in usum vocari, verum prudenter, quandoquidem in Convulsionibus ea sunt suspecta, nec nisi præmissis universalibus, ubi ea requiruntur, usurpanda. Verum de hisce actum est in præcedentibus, & agetur adhuc in sequentibus.

Jam latus hic se aperiret campus de variis vulnerum speciebus agendi, verum non est mei instituti ea attingere, quandoquidem hæc chirurgiam propius spectant. Sufficiat hæc indigitâsse, qui plura desiderat, is consulat scriptores chirurgicos. *Pareum*, *Tagaultium*, *Barbette* &c. particularia omittuntur.

Nimiæ evacuationis curatio spectat Epilepsiam à nimiâ purgatione ortam. Ad evacuationes tales supprimendas præscribuntur ab Auctoribus adstringentia varia, & in fluxibus alvinis *Rhabarbarum*. Verum *Rheum* hic locum non habet, uti & pluribus aliis casibus. Adstringentia frustrantur exspectationem ægroti & medici: Opiatorum insignis in hoc casu est efficacia, ab opiatis optimus solet observari successus. Quod si Opiata jungantur *Rheo*, vel *Rheum* debita proportione jungatur opiatis, præparari potest medicamentum pluribus indicationibus satisfaciens. Talis est compositio *Diascordii novi* non uno nomine, in hisce & similibus casibus, summi usus. Quomodo nimia evacuatio sedetur.

Conveniunt itidem *Laudanum opiatum*, *Laudanum cydoniatum*, *Tinctura Opii*, *Athanasia*, *Pilulæ pacificæ*, *Diascordium vulgare*, *Leonardiens.* &c.

Ex hisce & similibus variæ possunt concinnari formulæ. Ex. gr.

℞. *Laud. opiat. gr.* iij.
F. Pilulæ. no. ij.
Sumat æger per intervalla unam.

℞. *Diascord. novi.* ʒj.
C. C. usti ℈ß.
M.

℞. *Athanas. nostr.* ℈ij.
Corall. rubr. ppt. ℈ß.
Aq. Fœnic. q. s.
M. F. Haustus.

℞. *Diascord. incomplet.* ʒjß.
C. C. usti.

Boli

Boli Armen. veræ. aa ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
Syr. Diacod. ʒvj.
Aq. Plantag. ℥iij.
Cinnamom. ʒij.
M.

Si sitis simul urgeat, quod frequentissimum est, præscribatur Emulsio ℞. *Amygdal. dulc. excort.*
Sem. Papav. alb.
Cucum. aa ℥ß.
Cum decoct. Scorzoner & C. C. F. s. a. Emulsio ad ℥xx. Add.
Syr. Diacod. ℥j.
Aq. Cinnamom. ʒiij.
M.

Non sunt omittenda Enemata, quale est hoc *Sylvii*:
℞. *Lactis Bubul. chalybeat.* ℥viij.
Terebinth. Venet. ovi vitello dissolut. ℥ß.
Mellis Rosac. ℥j.
M. F. Enema.

Quomodo Epilepsiæ venienti occurratur? V. S.

Epilepsiæ venienti occurritur imprimis V. S. Cum enim dolor, tumor, inflammatio, febris à sanguinis mole & impetu oriantur, si ejus moles & impetus imminuantur, non tantum symptomata, puncturam nervi & tendinum consequentia, infringuntur, sed & repletio vasorum cerebri, hancque consequens Epilepsia præcavetur. V. S. hæc repletioni, ætati, viribus ægri debet esse proportionata. Narratum mihi fuit à medico, qui Italiam peragraverat, ipsum observâsse Chirurgos sæpe & copiosè venam secare solitos, ubi ægroti è vulneribus, aut similibus casibus, decumberent. Cum autem interrogaret, quæ esset causa frequentium harum V. S? responsum tulit, nisi sanguis crebrò exhauriretur, pessima semper & repentina ægrotos infestare symptomata. Qui ad ea quæ in praxi occurrunt, non perfunctoriè erit attentus, is non difficulter observabit, etiam in hisce regionibus, ubi homines plerumque sunt famelici, ex omissâ V. S. non parum lædi ægros.

Epi-

Epilepsiæ quoque venienti occurritur, si alvus servetur libera, sive illud fiat blandis evacuantibus, per epicrasim sentinam corporis nostri, molesto onere sublevantibus, sive etiam enematibus. Per os ergo exhiberi potest tale Apozema, singulis matutinis temporibus propinando haustulum. Laxantibus.

℞. *Rad. Scorzoner.*
Polypod. qu. aa ℥j.
Herb. Sonchi
Taraxaci. aa m. j.
Tartar. Rhenan. alb. ʒj.
Coq. f. a. *ex aq. pura* sub finem decoct. Add.
Fol. Senn. mund. ʒij.
Rhei elect. ʒj.
Sem. anis. ʒß.
Colat. ℥xx. Add.
Syr. de Cichor. cum Rheo. ℥j.
M.

Nempe ubi quis repente vulneratus lecto mancipari necesse habet, primà regione admodum onustâ, non est mirum ipsum in varia incidere symptomata, nisi intestina aliquomodo exhauriatur. Quandoquidem illud autem ante inflictum vulnus fieri non potest, uti in casibus repentinis, postmodum illud negligendum non est. Clysteres egregii sunt usus ante extractionem calculi, quia simul partes vulnerandas fovent. Enematis hæc sit formula:

℞. *Rad. Lilior. alb.* ℥j.
Fol. Violar.
Parietar.
Malvæ.
Bismalvæ aa m. j.
Flor. Chamomill. p. j.
Sem. Levistic. ʒij.
Coq. f. a. ex *aq. pura* colat. ℥x. Add.
Elect. Panchymagog.
Mellis mercurialis. aa ℥j.
Sal. com. ʒj.
M. F. Enema, calidè injiciendum.

 Epi-

Quomodo Epilepsia curetur?

Epilepsia præsens curatur, si naribus admoveantur ea, quæ spiritus animales excitare, & depressionem cerebri tollere apta nata sunt: si internè Antepileptica exhibeantur temperatiora, si æstus, sitis, & hanc consequens sanguinis minor fluiditas, emendetur. Prioris generis sunt salia volatilia, imprimis *Sp. Salis Armon.* deinde & acida, *Acetum Sambucinum*, *Calendulæ*, *Bezoardicum*. Antepileptica hic debent esse temperatiora, quandoquidem febris ordinarie satis gravis adest. Ex. gr.

℞. *Rasur. Ungul. Alcis.* ʒj.
Cremor. diaphoret.
Margarit. ppt.
Lapid. prunell.
Sacchar. perlar. aa ℈j.
M. F. Pulvis dividendus in v. doses.

℞. *Aq. Fl. Tiliæ.*
Rutæ aa ℥jß.
Acet. Bezoard. ℥j.
Cremor. diaphoret.
Margarit. ppt. aa ℈j.
Syr. Poeon. ℥ß.
M.

Cui simplicior placet pulvis, is exhibeat

℞. *Lapid. Bezoar. or.* ʒß.
F. Pulvis, pro ij dosibus.

Ad sitim temperandam, & sanguinem fluidum conservandum

℞. *Rad. Scorzoner.*
Acetos. aa ℥j.
Fol. Scabiosæ. m. ij.
Coq. s. a ex *aq. pura* colat. ℔ij. Add.
Rob. Ribesior. vel
Syr. Acetos. Citri. ℥j.
Sp. Vitrioli q. s. ad gratum acorem.
M.

Posset hic subjungi curatio, differentias in specie concernens, verum cum de curâ agere non potuerim, quin simul aliquas tangerem, non erit necesse hisce immorari.

Cura differentiarum.

Unico verbo tantum addam, ubi venenum vel vehemens purgans

gans assumptum est, debere ægroto *Oleum Olivarum*, *Amygdalarum dulcium*, *cerevisiam tepidam* cum *butyro*, *lac tepidum* &c. copiose propinari. Imprimis non est negligendus calor externus ignis, foci luculenti, linteorum calidorum, lecti, qui internis etiam adjuvari potest, *Theriacâ*, *Mithridatio*, *Athanasiâ*. *Aqua Theriacali simplici*.

℞. *Aq. Meliss.* ℥ij.
Fœnic.
Theriacæ. s. aa ℥j.
Sal. Volat. ol. g. xxv.
Ol. Cort. Arant. g. v.
Laud. op. gr. j.
Syr. fœnic. ℥j.
M.

Non ago de diætâ, quæ maximam partem convenit cum eâ, quæ in Epilepsia febrili proposita est: nisi quod frigus hic ut plurimum valde noceat. Hinc ad operationes Chirurgicas graviores etiam hiems non est accommodata. Nocet quoque vehemens æstus. Diæta.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Epilepsiâ Pedissequa Repletionis, & Hæmorrhagiæ.

VEtus est verbum: *contraria juxta se posita magis elucescunt*. Jungam ego hoc capite duo contraria, ut tanto facilius utriusque natura pernoscatur. Contraria sunt sibi mutuo Epilepsia pedissequa Repletionis & Hæmorrhagiæ, non appellatione, ea enim nihil contrarietatis involvit, sed re ipsâ, quandoquidem in Epilepsiâ à repletione, copia humorum, corpori & cerebro molesta, hoc symptoma parit, in Epilepsiâ ab Hæmorrhagiâ subita evacuatio & sanguinis defectus Epilepsiæ sunt causæ. Breviter has ambas perstringemus, quandoquidem ex iis, quæ in antecedentibus fusè explicata sunt, satis elucescunt; ordinis tamen ratio exigebat, ut de hisce peculiari capite agerem. Contraria juxta se posita magis elucescunt.

Epilepſiæ à repletione deſcriptio.

Epilepſia à repletione *eſt ea Epilepſiæ ſymptomaticæ ſpecies, quæ homines, Morbo caduco minimè obnoxios, è nimiâ humorum copiâ ex improviſo infeſtat.*

Hiſtoria.

Deſcriptio hæc mihi ita videtur manifeſta, ut explicatione non indigeat, ejus loco ſubjungam hiſtoriam ſatis memorabilem. Vir ampliſſimus, Medicus & Practicus magni nominis, major natu, vitam cepit agere ſedentariam, ingluviei & potui cereviſiæ *Rotterodamenſis* largiori deditus, ut plurimum vini abſtemius. Mira ejus in evacuandis patinis dexteritas, mirus evacuandi ſchyphos ardor. Non tulit impune malè ſedulam diligentiam: quippe per intervalla Epilepſia corripiebatur vehementiſſimâ, à qua tamen ſola V. S. extemplo liberabatur. Advocatus fui in tali paroxyſmo non ſemel, adfui unà cum Chirurgo ſatis diu, antequam convulſiones tam brevibus interpolarentur induciis, ut nobis integrum eſſet venam aperire. Largâ autem celebratâ V. S. ſtatim levatus fuit æger, & brevi omnino reſtitutus. Tum iterum per aliquod tempus vivebat ſanus & vegetus, donec à nimiâ repletione in ſimilem incideret paroxyſmum. Huic autem vitæ generi adeo fuit deditus, ut nullis monitis ſeſe obſequentem præbens, tandem è Convulſione in morbum, febrem niſi fallor, inciderit; atque vitam cum morte commutâret. In *Cogitationibus meis* ſimilem retuli caſum in muliere gravidâ, mihi aliquando obſervatum. *Gabelchoverus* Curat. 58. habet exemplum Convulſionum epilepticarum ex nimiâ crapulâ. En Epilepſiam à repletione.

Epilepſia ab Hæmorrhagiâ.

Accedendum jam eſt ad aliam Epilepſiæ ſpeciem, quæ oritur à nimiâ hæmorrhagiâ. Quandoquidem autem hæc ſæpe admodum gravis eſt, in præſentiſſimum vitæ periculum ægrotos conjiciens, aliquando ſatis levis & periculi omnino expers, hinc Hæmorrhagiæ, in tabulâ, duobus locis feci mentionem, quam tamen hic eodem loco tractabo. Nempe periculum, quod cum una ſpecie conjungitur, in altera omnino abeſt, has Convulſiones à ſe mutuo diſtinguit, adeoque conſultum videbatur monere, eandem cauſam, prout gravius aut levius affligit, diverſas ſpecies Epilepſiæ poſſe producere, id quod in aliis ſpeciebus nonnumquam locum habet. Itaque quod de

hac

hac ſpecie dico, generaliter pluribus applicari debet. Contingit non rarò, à repentina & largiori ſanguinis evacuatione, ægrum in manifeſtum vitæ periculum, & gravem Epilepſiam conjici, non ſine ingenti diſcrimine, ſive illud ab arteria vulnerata, aut à gravi vulnere, aut etiam difficiliori operatione Chirurgica contingat, ſive etiam à quacumque hæmorrhagiâ. Aliquando autem à V. S. non admodum copioſa, in convulſiones, cum ſenſuum omnium abolitione, incidunt & ſani & ægri. Oportet autem conſiderare, hæmorrhagias, convulſiones producentes, debere eſſe repentinas, alias enim non rarò contingit, evacuationes quaſdam fieri admodum copioſas, ſenſim ægros valde debilitantes, ex. gr. Lochiorum, menſium, hæmorrhoidum &c. nec tamen ægrotos incidere in Epilepſias.

Non opus eſt explicationi cauſarum multum immorari, quandoquidem denominatio ipſa à cauſis petita eſt. Sufficiat obſervaſſe has cauſas non ſemper ſolas agere. Nempe in Epilepſia à repletione, concurrit non rarò ſanguis tenacior, & ad promptè pertranſeundum vaſa capillaria minima non ſatis aptus. Supponamus enim, uti in allato exemplo patet, aliquem uti victu liberaliori, exercitium negligere, facile concipimus, ſalivam diſſolutioni, ventriculum fermentationi & concoctioni, tantæ molis eſculentorum fore imparem. Eadem eſt ratio ulterioris præparationis, quæ in inteſtinis contingit, quandoquidem nec bilis, nec ſuccus pancreaticus proportionati, nec apti ſunt ulteriori digeſtioni ſatis ſufficienter abſolvendæ. Itaque chylus eſt minus laudabilis, minus fluidus, unde non poteſt non ejuſdem commatis generari ſanguis. Quid? quod ventriculi tunicæ ipſæ ſenſim magis extendantur, adeo ut fibræ debito deſtituantur robore? Quæ de repletione à ciborum copia dixi, applicari ſuo modo debent ebrietati. Contingit enim aliquando quoſdam genio indulgentes in convulſiones incidere vehementes, cum facultatum omnium læſione. Quamvis enim hic non adſit neceſſario plethora, adeſt major ſanguinis agitatio, expanſio, cerebri depreſſio adeoque eadem ſymptomata quæ enumerata ſunt. Hæc cauſa citiſſimè Epilepſiam hanc inducere poteſt, cum prior tardius in actum deducatur.

Cauſæ.

Considerandus quoque est dolor.

Circa Epilepsias, ab hæmorrhagia originem ducentes, oportet quoque obſervare, aliquando hanc ſolam imprimis eſſe conſiderandam, aliquando etiam dolorem exquiſitum, non tantum comitem, ſed & cauſam quodammodo hæmorrhagiæ. Nempe in gravioribus quæ manu exercentur operationibus, ſi neceſſum ſit vulnus infligi amplum, ſi operatio non ſatis citò abſolvatur, ſi vaſa majora lædantur, effluit quidem copioſè ſanguis, ſed & dolor ipſe ſpiritus, & ſanguinem valdè agitat, adeo ut tanto facilius ſequatur Epilepſia. In Epilepſia à partu difficili, & hæmorrhagia nimia hunc comitante, accidente, oportet itidem conſiderare dolorem parturientis fæminæ inſignem, vires tum à dolore, & conatibus irritis, tum etiam ab hæmorrhagiâ valde attritas, inſpirationem validam, cerebri dilatationem, adeoque ſenſuum obnubilationem, & ab hiſce cauſis ortas convulſiones admodum periculoſas. In Epilepſia à V. S. originem ducente, non oportet ſolum conſiderare evacuationem ſanguinis, ſed & ejuſdem refrigerationem: quippe non raro obſervare licet, effluente ſanguine nullum ſentire incommodum vel ægros, vel etiam ſanos, ubi autem ſolvitur vinculum, & ſanguini refrigerato liberior conceditur ad cor commeatus, tum demum in lypothymiam, & convulſiones ſolent incidere illi, quibus ſecta fuit vena.

Differentiæ.

In enumeratione differentiarum non eſt neceſſe meminiſci Epilepſiæ à repletione & hæmorrhagia, quandoquidem hæ ſunt duæ diſtinctæ ſpecies, quas hoc uno capite complecti placuit, tum quia contraria ſeſe mutuo illuſtrant, tum quod brevitatis ſtudio plures Epilepſiarum ſymptomaticarum ſpecies ſimul oculis ſubjicere non videbatur à ratione alienum. Quod ſi quis illis poſthac ſingulis, ſingula tribuere velit capita is, meo judicio, non peccabit. Diſtinguendæ ergo ſunt ſingulæ hæ ſpecies. Epilepſia à repletione oritur, vel à ſanguine magis vel minus laudabili, habet adjunctam ventriculi debilitatem, vel idem ille ſic ſatis benè diſpoſitus eſt. Differentias à ſexu, ætate, vitæ genere enumerare longum eſſet, non ſunt tamen omnino negligendæ. Differt quoque hæc Epilepſia, quod homines plethoricos, & prædiſpoſitos, ut ita dicam, adoriatur, vel quod à cauſa externâ abuſu ingenti vini vel ſpiritus vini infeſtet.

Epi-

Epilepſia ab hæmorrhagiâ vel adjunctum habet dolorem ingentem, vel eo ferè caret. Idem oritur vel à graviori vulnere arteriarum majorum, vel vulnera exigua, aut nulla externa ſubſequitur. Non eſt enim neceſſe, ut vulnus ſit ingens, ad hæmorrhagiam gravem excitandam, ſi arteria non abſciſſa, ſed tantum vulnerata ſit, poteſt aliquando & copioſa & repentina ſubſequi hæmorrhagia. Abſque vulnere externo contingit hæmorrhagia in partu, lochiorum effluxu nimio.

Signa è modo dictis ſatis facile eruuntur. Si Medicus vitæ genus ignoret, ægroti, oportet illud ab adſtantibus expiſcari. Dein ipſa repletio ex ingenti oppreſſione & ſimilibus ſignis evadit manifeſta. An ventriculi debilitas conjungatur, è propriis ſignis eluceſcit. Signa.

Hæmorrhagiæ vel oculis ſunt manifeſtæ, vel etiam ab adſtantibus narrari ſolent. Iidem narrabunt, an manus operam exigente affectu laboraverit æger, & quomodo operatio ſucceſſerit? Copioſæ hæmorrhagiæ, in partu contingentis, monebitur medicus ab obſtetrice, vel aſſiſtentibus mulierculis. An ſecundina vi fuerit avulſa, itidem diligenter expiſcabitur.

Prognoſis ita inſtitui poteſt. Epilepſia à repletione tanto eſt periculoſior, quanto repletio major, quanto graviores & crebriores ſunt inſultus. Difficilior quoque eſt Epilepſia, ſi ſanguinis major adſit dyſcraſia. Quæ ab ebrietate contingit, minus adfert periculum, niſi ſpiritus vini copioſior ingurgitatio eam produxerit, ita enim aliquando contingit ſubito exſtingui ægrum. Quod ſi ætas aut imbecillior, aut decrepita patientis concurrit, periculoſior eſt affectus. Prognoſis.

Epilepſia ab Hæmorrhagiâ tanto periculoſior eſt, quanto majori copiâ & magis repentè ſanguis fuit exhauſtus. Si accedat læſio vaſorum majorum, aut membranarum exquiſiti ſenſus, graviora ſubſequi ſolent ſymptomata, in majori verſantur diſcrimine ægri. Epilepſia à moderata tantum V. S. contingens, omnino caret periculo.

Indicationes ſunt, repletionem nimiam tollere: hæmorrhagiam compeſcere: cauſas tollere & ægrotum excitare. Indicationes.

Repletionis non aliud magis præſentaneum eſt remedium, quam Cura. V. S.

quam V. S. larga, absque morâ instituta; ita enim & vasa exhauriuntur, & expansio & æstus imminuuntur, imò non raro affectus ipse statim jugulatur. Habet ea locum non tantum in iis, quorum sanguis est laudabilis, sed etiam iis, in quibus sanguis copiosior debitam perfectionem non est adeptus. Quod si quis existimet, in posteriori hoc casu sanguinem tantum esse corrigendum, is longè fallitur; etenim periculum est in mora, & nisi tempestivè occurratur, facile pessundabit ægrotum repletio nimia. Deinde majus imminet periculum à copia, quam à dyscrasia, quocirca ea omnino postulat, ut evacuatio instituatur. Imminutio hæc aliis evacuationum generibus non ita facile obtinetur, quippe ubi pars sanguinis caseosa nimium cepit incrementum, aut etiam vitiata est, ea nec purgationibus, nec sudoriferis, nec diureticis exhauriri potest, sola V. S. id præstat, emendatio autem post celebratam V. S. longè felicius absolvitur.

Emeticis. Ubi non tantum sanguinis copia adest, sed simul ventriculus, ab ingestorum copia, gravatus, tum imprimis eò cura est dirigenda. Indicatur quidem aliquando vomitus in aliis quoque capitis affectibus, verum circumstantiæ nonnumquam impediunt ejus usum, quoniam non semper æque tuto usurpari potest, in hoc autem casu, & plenitudo nimia & ventriculus onustus, & facilior ventriculi repleti evacuatio, facilem & commodum vomitum spondent. Operæ pretium est ea, quæ *Galenus* memoriæ prodidit, hic adscribere. Locus est in libro 5. *de locis affectis* p. m. 302. l. 49. *ἐθεασάμην, δὲ καὶ ἄλλους ἀπὸ τοῦ στόματος κοιλίας ἐπιληπτικῶς σπασμένους, ὁπότε σφοδρῶς ἠπέπτησαν, ἢ οἴνου πλέονος ἀκρατεστέρου πίνοιεν, ἢ ἀφροδισίοις ἀκαιρότερον χρήσοιντο. τινὰς δ᾽ ἐν πυρετοῖς ἐθεασάμην σπασθέντας ἐξαίφνης οὐδενὶ προηγησαμένῳ σημείῳ τῶν προδηλούντων σπασμόν. οἷς ἐπιγενομένου χολώδους ἐμέτου, παραχρῆμα ξυνέβη πάντων ἀπαλλαγῆναι τῶν ὀχληρῶν. ἔνιοι δὲ τῶν οὕτω παθόντων ἤμεσαν φαιὰ, καί τινες ὅμοια πράσου χυλῷ· τινές δ᾽ ὑπὸ πλήθους ἐδεσμάτων μοχθηρῶν βαρονόμενοι, καρώδεις ἐγένοντο, μέχρι τοῦ τὰ θλίβοντα τὸ στόμα τῆς κοιλίας ἐξεμέσαι πάντα.* Est hoc insigne testimonium, usum emeticorum non parum confirmans. Vomitu non tantum ventriculus evacuatur, sed & humores lenti & tenaces, una cum saliva visci-

da,

da, egregiè exhauriuntur. *Lazarus Riverius* historiam refert pueri trimuli ab Epilepsiâ liberati fumo tabaci, unde vomitus illi fuerat concitatus. Vid. obs. 60. Cent. 11.

Ad repletionem nimiam tollendam utilia sunt imprimis & purgantia, quæ hoc in casu debent esse validiora. Formulæ in capite de Morbo caduco exstant. Sunt quidem alii adhuc evacuationis modi, verum minus potentes hoc in casu: curationis Epilepsiæ cardo versatur in medicamentis potentioribus. Purgantibus

Hæmorrhagia compescitur variis modis, pro variarum circumstantiarum ratione, comprimendo vas vulneratum, *Aqua stiptica*, *Lapide infernali*, *Vitriolo albo*, *cauterio actuali*, de quibus videndi sunt scriptores chirurgici. Hæmorrhagiæ compescentia.

Quod si in partu contingat hæmorrhagia copiosa, non sunt temerè in usum vocanda medicamenta partum adjuvantia potentiora, quandoquidem hæc effluxum sanguinis copiosum, à quo maximum impendet periculum, facile concitare possunt. Si cardiaca in usum sint vocanda, eligenda sunt temperatiora, quippe si vires constent, & obstetrix debitè suo defungatur munere, felix potest sperari eventus. Cardiaca temperatiora sunt *Confect. Hyacinth. Alkermes*, *Diascordium*, &c. è quibus varii generis medicamenta concinnari possunt. Ex. gr.

℞. *Aq. Meliss.* ℥iij.
Cinnamom.
Confect. Hyacinth.
Diascord. incomplet. aa ʒj.
Lapid. Bezoar. occident.
Margarit. ppt. aa ℈ß.
Syr. Cydoneor. ℥ß.
M.

Sumat subinde duo cochlearia.

Causæ tolluntur in repletione, si nimia ingurgitatio vitetur, si sanguinis tenacitas corrigatur, si nimia expansio tollatur. Sanguinis tenacitas corrigitur incidentibus, attenuantibus, antiscorbuticis, salibus volatilibus. Expansio tollitur aliquando largiori aquæ frigidæ haustu, si febris conjungatur, prout ejus natura illud exposcit, cura est instituenda. Imprimis ven- Quomodo causæ tollantur?

Ppp tri-

triculi habenda est ratio, ne is cibos malè digerendo cruditatibus materiam subministret, vel fermento acriori appetitum nimium acuat.

Causæ hæmorrhagiæ sunt admodum variæ: Foetus mortuus, secundinæ vi avulsæ, obstetricis imprudentia, arteriæ vulneratæ, durior tractatio Chirurgi; vel etiam sanguis nimium aquosus, aut febris pressionem sanguinis intendens. Omnes hæ causæ sunt respiciendæ in curatione, ne à scopo aberret medicus. De quibus omnibus in specie tractare, non est hujus loci.

De excitatione ægroti

Ultimum locum dedi excitationi ægroti. Non quod ea negligenda, aut differenda sit, sed quod nisi causæ tollantur nempe plenitudo, & hæmorrhagia, frustra incumbat Medicus excitationi ægroti. Simulac autem plenitudo aliquomodo superata est, statim excitatur æger. Imo ea ipsa quæ adversus plenitudinem præscripta sunt, potentissimè excitant ægrotum, V. S. Emetica, Purgantia. Quod si medicus in hisce levioribus solum occupetur, loquor jam de excitantibus ordinariis, potentioribus omissis, is salutem ægri negligit. In hæmorrhagiâ similiter, si ea cohibeatur, statim ad se redit ægrotus. Debent ergo & excitantia ægrum, & ea, quæ superius præscripta sunt utraque pro circumstantiarum varietate prudenter usurpari. Excitantia sunt ea, quæ odore acri & penetrante nares feriunt: *Salia Volatilia*, *Sp. Sal. Armon.* &c. de quibus in præcedentibus est actum. Si à V. S. in Epilepsiam incidat aliquis, statim removeatur sedile, reponatur humi æger, vel etiam decumbat, si frigeat admoveatur igni, naribus admoveantur spirituosa. Si lipothymia sit pertinacior, aut majori, quam necessum erat, copia eductus à sanguis, exhibeatur cardiacum:

℞. *Aq. Meliss.* ℥iij.
Balsam. Embryon. ℥j.
Tinctur. Croci. ʒj.
Sal. Volat. ol. g. xxv.
Syr. fl. Tunicæ. ℥ß.
M.

Solebant veteres commendare V. S. ad animi deliquium, qui mos jam merito exolevit. Quamvis non raró contingat

satis

ſatis largam debere exhauriri ſanguinis quantitatem, malumus tamen ægrum non corripi lipothymia, ſi eam evitare liceat. Quod ſi ea contingat invitis, tum ei occurritur uti dictum eſt. Alias, ſi morbus tantas concedat inducias, malumus bis ſecare venam, & immunes eſſe à gravioribus ſymptomatibus.

Quandoquidem ea quæ ad diætam ſpectant, varias exigerent cautelas, juxta multiplicem numerum affectuum, qui hoc capite breviter tangendi fuerunt, malo hic pedem figere, ſubjiciendo tantum auream & elegantem ſententiam *Senecæ* quæ nos à plurimis poterit vindicare morbis. Quando nempe *edendi erit bibendique finis, deſideria naturæ reſtinguere, non implere alvum & inanire.* Seneca *de Vita beatâ c.* 20. Diæta.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Epilepſiâ Hyſtericâ.

NOn fuit in principio ea mihi mens, ut de affectu hyſterico hoc loco agerem, verum poſtquam perſpicacem *Wiliſium* hunc ad morbos convulſivos retuliſſe vidi, poſtquam itidem in Spaſmorum tabula, ſuperius propoſitâ, Epilepſiæ hujus fuit facienda mentio, non inutilem me ſumpturum operam ratus ſum, ſi etiam hoc loco de Suffocatione hyſtericâ agerem, quatenus id ad convulſionum, eam non raro comitantium, naturam intelligendam requiritur. Cur de Epilepſia hyſtericâ hic agam?

Fateor de hac affectione ordinarie agi inter ſymptomata, quæ utero adſcribuntur à practicis, atque hinc nomen eſſe derivatum; verum ſi rem ipſam ſpectemus, affectio hæc non ab eſſentia, ſed à cauſâ antecedente eſt de nominata. Nempe quia obſtructionem menſtruorum ſæpenumero hic affectus excipit, ideo ab utero nomen ſortitus eſt. Quandoquidem autem appellatio ab utero derivata eſt, etiam eò tractatio fuit tranſlata. Itaque in hoc ſymptomate deſcribendo planè aliud accidit, quam in reliquis. Symptomata reliqua tractantur, poſt morbos partis affectæ, dyſpnæa poſt morbos pulmonum, fames canina poſt morbos ventriculi, convulſio poſt morbos De affectione hyſtericâ ordinariè agitur inter affectus infimi ventris.

cerebri. Quamvis autem Epilepsiæ, & motus convulsivi in passionibus hystericis satis frequenter occurrant, earum tamen minor habita est ratio, quasi illi alius essent generis; nisi quod forte obiter inter Epilepsias per consensum eorum facta fuerit mentio; verum tum ita tractati fuerunt hi affectus, quasi distincti essent à suffocatione hystericâ, id quod mihi videtur obscuritatem & confusionem peperisse. Itaque non inutilis mihi videtur labos, si hoc capite specialiter & de suffocatione & de Epilepsia hysterica agerem. Quemadmodum ergo de Cephalalgiâ agitur inter cerebri symptomata, quamvis sæpe ventriculus ejus sit causa: quemadmodum de vigiliis, comate, caro, vertigine agitur inter affectiones capitis, quamvis sæpe sint symptomata febrium, ita mihi liceat hoc loco de affectione hysterica agere, quamvis ea non raro ab obstructione mensium producatur. Quoniam autem Epilepsia hysterica intelligi non potest, quin affectus ipse cognitus sit, breviter prius de hoc agendum erit.

Convenientia affectuum variis nominibus designatorum.

In antecessum autem monendum est Suffocationem & affectionem hystericam, Epilepsiam per consensum uteri, & Epilepsiam à *Montalto* & me dictam hystericam, non esse diversos affectus, sed eundem gradibus differentem, & pro vario considerandi, ac afficiendi modo alio nomine donatum. Dicitur suffocatio hysterica à passim obvio suffocationis sensu, affectio hysterica, quia ab utero sæpe ortum suum ducit. Epilepsia per consensum, quandoquidem intererat hanc distingui à Morbo caduco. Epilepsia autem à me dicitur hysterica, quandoquidem convulsiones graviter ægrotas afficientes, cum mentis majori vel minori obnubilatione à suffocatione hysterica pendent, & eam consequuntur. Hæc observasse in praxi non est minoris momenti, quam in Botanica, de qua optimè meritus est *Caspar Bauhinus* in Pinace, ejusdem herbæ varias variorum Auctorum denominationes simul oculis subjiciens.

Descriptio suffocationis hystericæ.

Est itaque Suffocatio hysterica *molestus suffocationis à globo veluti versus fauces adscendentis sensus, cum anxietatibus circa præcordia, & convulsione intestinorum atque artuum.*

De globo veluti ad fauces adscendente.

A suffocationis hoc sensu Græcis dicitur hæc affectio πνὶξ ὑστερική. Et quidem πνὶξ sive suffocatio, quandoquidem ægrotæ conqueruntur globum ad faucem adscendere, easdemque velu-

veluti obstruere, unde suffocationis illis incutitur metus. Hic globus diu existimatus fuit uterus, qui credebatur loco suo dimoveri, & instar animalis cujusdam ad fauces adscendere, veluti foras proruptururus, aut æsophagum ac asperam arteriam occlusurus, hinc suffocationis uterinæ fluxit denominatio. Confirmatum fuit hoc præjudicium quandoquidem in abdomine sæpe sentitur impetus, tanquam globi se validè commoventis, quem itidem putarunt esse uterum. Deinde cum mulieres magis, vel saltem gravius infestaret, hæc affectio, quumque sæpe præcessisset mensium obstructio & appellatio & præjudicium obtinuit. Hunc molestum suffocationis sensum existimavi ego in descriptione statuendum esse tanquam genus, quoniam hic ordinarie adest, atque hinc petita est denominatio. Revera fauces videntur præcludi, respiratio redditur difficilis, & ægræ in maximas conjiciuntur angustias, adeo quidem ut venter & pectus, extraordinaria dilatatione & contractione, difficultati illi succurrere satagant. Cum autem plures sint morbi, in quibus ægrotis veluti suffocatio imminet, ut Angina, Inflammatio tonsillarum, Asthma, Orthopnæa &c. hoc symptoma à reliquis distinguitur ex eo, quod nulla in faucibus adsit inflammatio, vel si ea adsit est levior & parvi momenti, quod respiratio non nisi ab hoc affectu lædatur, denique quod globus à partibus inferioribus videatur adscendere. Quæ autem hujus sit ratio. inferius explicabitur.

Adsunt anxietates circa præcordia, quæ plerumque oriuntur, vel à flatibus, vel à repletione arteriolarum ventriculi. Et flatus quidem in hoc casu molesti, denominationem Affectus flatulenti pepererunt, qua ipsum donarunt *Diocles* & *Galenus*. Vid. *Galen.* de locis affectis l. III. p. m. 277. & 278. Revera autem has anxietates à flatibus oriri, ex eo manifestum est, quod ægræ, si flatus excernere possint, extemplo multum leventur, imo aliquando à paroxysmo liberentur. Repletionem quoque adesse arteriarum ventriculi, tum à causa, mensium obstructione, tum ex eo manifestum est, quod licet flatus prorumpant, symptoma tamen hoc non omnino superetur. Quid? Quod febris, & quidem vehemens aliquando jungatur affectioni hystericæ? Quod hæc fe-

De anxietatibus circa præcordia.

febres ingruentes non rarò excipiat, præcipuè in assuetis? Hoc autem in casu motum & expansionem sanguinis, repletionem producere & anxietates hasce per se perspicuum est.

Convulsio intestinorum.

A convulsione intestinorum oritur veluti globi sese in ventre non tantum moventis, sed & pulsantis sensus. Globum illum mulierculæ & imperitum vulgus existimat esse uterum, quem putant omni ope retinendum esse, ne ad fauces adscendat ibidemque suffocationem excitet. Itaque manibus pedibusque obluctantur, ventrem comprimunt, mulieres medias cingunt, sinistro hypochondrio nodum, aliquando genu, imponunt, uterum, ut sibi videntur deprimunt, & si paroxysmus remittat, sibi tanquam de re bene gesta gratulantur. Et ut verum fatear, tali a prudenter & mediocriter in usum vocata, multum juvant; è contrario vehementius & imprudenter adhibita non parum nocent. Intestina autem posse convelli ex eo liquet, quod nervorum plexibus sint ditata, quod copiosis gaudeant vasis sanguineis, quod flatibus distendantur, quod sint exquisiti sensus. Locum autem affectum & partes subjectas considerantes, facile perspicimus nullis aliis partibus nisi intestinis posse hunc motum adscribi.

Transitio.

Restat in descriptione explicanda convulsio actuum; verum cum hujus respectu ab Antiquis actum sit de Epilepsia per consensum, à *Willisio* de hac ipsa affectione inter affectus spasmodicos, subjungenda est primum descriptio Epilepsiæ hystericæ, quæ hujus capitis constituit titulum. Rectè quidem, uti vidimus, cum adverteret Vir curiosus convulsiones sæpe gravissimas hunc affectum comitari, tractationem illius, in Pathologiâ cerebri, non esse omittendam statuit, in explicatione autem sese ab erroribus vindicare non potuit. Quod si æque felix fuisset in detegendâ hujus symptomatis natura, quam prudens in præjudiciorum discutienda caligine, potuissem à fusiori hujus affectus explicatione supersedere.

Descriptio Epilepsiæ hystericæ.

Est ergo Epilepsia Hysterica *infimi ventris & artuum convulsio vehemens, cum majori, vel minori mentis obnubilationes ab affectu hysterico ortum ducens.*

Ea explicatur.

Ex hâc descriptione patet Epilepsiam hystericam non esse alium affectum quam Suffocationem hystericam, sed tantum ejus in-

intensiorem gradum. Nempe censetur Suffocatio adesse hysterica, ubi ægræ conqueruntur de globo ad fauces adscendente, licet convulsiones artuum minimè copulentur leviori speciei. Tum demum insigniri potest nomine Epilepsiæ ubi convulsiones hæ vehementes copulantur. A convulsionibus hisce fluxit denominatio Epilepsiæ per consensum, verum ostendendum fuerat, quis esset nexus Epilepsiæ hujus cum Suffocatione hystericâ. Denominatio à me imposita, differentia & relatio, quæ è tabulâ superius propositâ peti possunt, statim distinctiorem convulsionum conceptum menti nostræ ingerunt. Convulsiones hæ sæpe adeo sunt vehementes, ut hi paroxysmi Morbum caducum mentiantur, atque ab eodem non nisi difficulter distinguantur, nempe ex insigni rubore faciei, uti & ex eo, quod convulsiones hasce præcesserit molestus à globo veluti adscendente suffocationis sensus, denique ex eo, quod ægrotæ non morbo caduco, sed suffocationi hystericæ sint obnoxiæ. Hisce addi potest, quod à paroxysmis morbi caduci citius restitui soleant Lunatici, tardius hystericæ.

Causa harum convulsionum non est deducenda ex humoribus vitiosis, spiritibus animalibus, nervorum principia occupantibus, permistis, nec copulæ heterogeneæ & explosivæ. Primum enim ex iis, quæ supra capite de Paralysi disputavi, patet cerebri ope nihil secerni nisi spiritus animales, nihil in nervorum exiguos tubulos descendere, præter eosdem spiritus animales. Deinde motus musculorum non dependet ab aliqua explosione, vel in statu naturali, vel præternaturali. Denique succus nerveus nunquam regurgitat versus principia, quia ejus transitus à tumore, aut scirroso aut cancroso, præcluditur. Neque hoc probatur ex instantia puellæ XII. annos natæ, quæ herniam contraxerat, quæque è fasciâ malè adaptatâ dolorem, postea vertiginem, paroxysmos hystericos, & scrophulas erat passa. Etenim in hoc casu ex ingenti dolore, forsan etiam leviori inflammatione, febris est excitata, quæ insignem pressionem & dilatationem sanguinis habens comitem, ut & spirituum animalium inordinatum motum, omnia illa produxit symptomata. Nec opus est in hoc & similibus casibus recurrere ad humorum commixtionem fictitiam, cum

Causæ convulsionum.

sola

ſola ſanguinis & ſpirituum commotio, ſola animi pathemata, hæc phænomena facile producere poſſint. Hæc non ignoravit quoque *Williſius*, ſed præjudiciis ſuis excæcatus, non animadvertit, ſe ſuppoſitiones advocaſſe falſas, nec talibus opus eſſe defenſoribus, nec tali auxilio ad veritatam explicandam & tuendam.

Motus voluntarius & convulſivus.

Ut itaque de hoc affectu ex rei veritate agamus, repetendum memoria eſt, voluntarium motum dependere à moderato influxu ſpirituum, verſus fibras tendinum muſcularium, eaſdem tendente, & ſanguinis motum progreſſivum aliquomodo ſufflaminante: convulſivum autem, à tumultuario influxu ſpirituum, abſque voluntatis imperio. Hæc in ſuperioribus fuſius explicata ſunt.

Sanguinis vitium aliquando ſpiritus exagitat.

Jam addo: quemadmodum à ſpirituum influxu turbulento plures muſculi ſucceſſivè ſæpe vehementer contrahuntur, licet in illis muſculis vitium lateat nullum, ita non raro contingit, ſanguinem vel copia, vel lentore peccantem, nimium replere has vel illas arteriarum ramificationes, atque moleſtâ illa repletione ſpirituum motum tumultuarium verſus has vel illas partes allicere. Cauſa adjuvans ſæpe eſt, peculiaris vaſorum diſpoſitio, & reptatus.

Vaſorum diſpoſitio nativa.

Peculiaris illa vaſorum diſpoſitio aliquando eſt nativa, aliquando adſcititia. Nativa non raro in cadaveribus poſt mortem conſpicitur; nempe vaſa non ſemper eodem loco oriuntur, aliquando majora, aliquando minora ſunt, dexter ramus ſiniſtro aliquando major eſt, & vice verſa. Talia ſolent dici luſus naturæ; verum ſi magis exactè nobis cognita fuiſſent omnia illa, quæ æger in ſe obſervavit, procul dubio ab hac diverſitate plura potuiſſent deduci. Non ſolemus ad hæc eſſe ſatis attenti, cum tamen parva immutatio, parvum diſcrimen reſpectu latitudinis, & longitudinis, reſpectu lineæ magis vel minus directæ magnam diverſitatem operationum pariat. Solent hæc practici ſicco tranſmittere pede, hinc ſæpe falſæ explicationes oriuntur. Quotuſquiſque eſt, qui in deſcriptione affectus hyſterici, vaſorum diſpoſitionis fecit mentionem? Et tamen hinc dependet ratio multorum ſymptomatum in fœminis familiarum. Quæ eſt ratio quare fœminæ affectu hyſterico,

rico, quem eundem esse docebimus cum hypochondriaco, gravius infestentur? Quæ est ratio, quare fœminæ, instantibus mensibus, de dolore lumborum pulsatorio conquerantur? Quæ est ratio, quare venter ex obstructione mensium magis intumescat, quam illud vasorum dilatatio requirere videtur? Non alia, quam peculiaris vasorum & organorum dispositio. Vasa generationi in mulieribus inservientia omnia intus in abdomine reconduntur, in viris aliquæ foras propendent. Vasa præparantia in fœminis, quam in viris, longe sunt breviora. Vasa præparantia in mulieribus ad ovaria, in viris ad testes, non ova, sed semen conficientia, contendunt. Vasa, ad uterum distributa, copiosa, unde ipsius calor sese partibus circumjacentibus communicat. Itaque ubi uteri vasa refrigerata, non sunt apta deponere, atque exonerare tributum menstruum, ubi sanguis huc affluens copiose, obstaculum offendit evacuationem impediens, non est mirum, si arteriarum percipiatur molesta pulsatio, si molestia illa delata ad cerebrum, versus imum ventrem spiritus animales copiosius distribuat, unde sanguinis affluxus iterum major: hinc calor, inflationes, nec non convulsiones viscerum facile excitantur. Ubi enim nervi intercostalis ramificationes malè afficiuntur, facile etiam per vagum in consensum trahitur, adeoque spiritus non tantum in cor & præcordia, sed & fauces cum impetu confluunt, ab influxu illo fibræ tenduntur, sanguis cohibetur, adeoque & tumor, & angustia & suffocationis producitur sensus. Globus ille ab inferioribus partibus videtur adscendere, quandoquidem intestina flatibus primum sunt repleta, ac diaphragmatis explicationem aliquomodo impediunt: deinde quod intestina & ventriculus vasis arteriosis gaudeant admodum tumidis: denique quod forte æsophagi vasa etiam incipiant repleri, antequam angustia illa faucium observetur.

Vidimus dispositionem nativam vasorum, vidimus etiam eam alicujus esse momenti, ad distinctiorem symptomatum hystericorum explicationem. Quod si mihi occasio sese offerat accuratius adhuc discrimen, inter dispositiorem vasorum utriusque sexus, investigandi, forsan plura detegam. Transeundum jam est ad dispositionem vasorum adscititiam: hæc consistit in eo, quod Adscititia.

 san-

ſanguis & ſpiritus ſæpe eadem viâ in has vel illas partes irruentes, magis magiſque eam ſemitam diſponant ad faciliorem, & repetitum influxum. Hujus rei in ſtatu ſano exemplum eſt obvium in illis, qui organum muſicum pulſant, vel qui fidibus, aut voce canunt. Non ſufficit ut quis ingenio valeat, non ſufficit ut manus habeat agiles, oportet ut exercitatione continua aſſueſcat digitos, pedes, linguam ad artificioſum & celerem hunc motum. Continua illa exercitatione nervi, ſpiritus animales, fibræ, muſculi diſponuntur aliter, muſicis, quam ruſticis, qui

Paterna rura bobus exercent ſuis.

In ſtatu p. n. ſanguis & ſpiritus ſæpius in partes aliquas irrumpentes impetuoſè, vias ſibi aperiunt ad faciliorem influxum, vel reptatum vaſorum & fibrarum aliter diſponunt. Hujus rei exemplum memorabile exſtat apud *Valleriolam. Johannes Berclai*, reſolutione multos annos laborans, quum incendii metu ſe à domo præcipitem dediſſet ſaltu, domo & lecto propè incenſis, incolumis & probè incedens derepentè factus eſt. Vid. *Valleriolam* l. 11. obſ. 4. Quod ſi hæc applicare velimus affectui, de quo nunc agimus, facile intelligemus, ſi ſanguis aliquoties impetum faciat in vaſa verſus uterum diſtributa, ſi illic inveniat exitum, ad utilem evacuationem, expeditum, illum data occaſione eò ſe copioſius recepturum. Quod ſi autem uterus refrigeratus exitum non concedat, ſi inteſtina inflentur, ſi à repentino animi affectu vaſa paulo aliter diſponantur, ſi ſpiritus verſus infimum ventrem tumultuoſè, ſi verſus præcordia, ſi verſus fauces aſſueſcant confluere, ſi agitationem infimi ventris ſoleat excipere anguſtia faucium, fœmina prima ſentiens rudimenta inſtantis paroxyſmi, & metuens graviora, ex animi affectu & metu ſeſe dabit præcipitem in novum paroxyſmum. Quod ſi animi affectus ipſam primâ vice conjecerit in talem paroxyſmum, facile idem exacerbabitur, quotieſcunque novus animi affectus ſpiritus & ſanguinem tumultuoſe exagitaverit.

Geſtatio & partus. Ad faciliorem ſanguinis & ſpirituum in uterum ac viſcera imi

imi ventris influxum, non parum facit gestatio & partus. In gestatione enim fœtus, necessum est, sanguinem tanta deferri copia versus uterum, ut & placenta uterina, & embryo, & uterus ipse, non tantum nutrimentum nanciscantur debitum, sed & in majorem excrescant molem. Nutritur infans non per os, sed solo sanguine materno. Vasa funiculi umbilicalis satis magna, à sanguine materno continuò replentur. Necessum ergo est, sanguinem eò satis copiosè confluere, unde vasa illa ventris infimi aliquomodo extenduntur, & ad majorem sanguinis receptionem disponuntur. In partu dolores, qui fœminis incumbunt, per intervalla ingruunt. Ingruunt autem tantâ vehementiâ, ut illos cohibere in mulierum non sit potestate. Hi conatus ergo & motus naturæ, non malè possunt dici convulsivi, quandoquidem absque voluntatis imperio, cum insigni vehementiâ contingunt. Non eo inficias, parturientes non parum motum naturæ adjuvare inspiratione validâ, cohibita exspiratione, explicatione diaphragmatis, contractione musculorum abdominis, nisi autem per intervalla repeterent dolores hi parturientium, vanus & irritus esset ad exclusionem fœtus omnis labos. Dolores hi universum corpus, etiam artus & caput, longo satis intervallo remota, malè mulctant, imprimis autem viscera & vasa abdominis afficiunt. Tunc temporis versus uterum, ac proinde infimum ventrem, copiosior observatur sanguinis & spirituum affluxus: hinc vasa dilatantur, & ad majori copia sanguinem recipiendum disponuntur, si modo occasio suppeditetur. Nervi itidem spiritus magna vi transmittentes, ad faciliorem influxum eorundem præparantur. Quid? quod ipsa evacuatio in partu, & post partum lochiorum, nec non impetus sanguinis versus uterum, etiam vasa patentia requirant?

In affectibus mulierum, & uterinis, spirituum & sanguinis motus impetuosus, ita arctè copulantur, ut nonnumquam difficile judicatu sit, an spiritibus, an verò sanguini primas tribuere oporteat? Sunt tamen casus nonnulli, in quibus à spiritibus prius agentibus, alii in quibus à sanguine prius agente, effectus commodè deducere possumus. Exemplis res fiet manifestior. In conatu parturientium embryo calcitrans, mem- *Spirituum & sanguinis motus.*

branæ fœtum involventes, aqueo humore repletæ, foras prorumpentes, & uteri cervicem dilatantes, uteri osculum sese diducens, spiritus copiosè eò alliciunt; spiritus influentes, & fibras tendentes, sanguinis motum progressivum aliquomodo sufflaminant, hinc sequuntur conamina naturæ, ventris onus expellere gestientis. In Epilepsiâ à turbulento influxu spirituum, cor validè agitatur, sanguinis impetus in diversis musculis cohibetur, musculi sese violenter contrahunt absque voluntatis imperio, imo cessante sensuum internorum operatione. Hinc oriuntur contorsiones membrorum, strabismus & similia. In his casibus impetus spirituum animalium sanguinem in consensum trahit, unde fibrillæ motrices breviores redduntur, contrahuntur, aut aliter disponuntur. Verum in suffocatione hysterica sæpe res aliter habet, sanguis copiosior & viscidior, atque facilitatem nactus influendi copiosius in arterias infimi ventris ac faucium, earum ramificationes solito magis replet & extendit, unde sensatio molesta angustiæ defertur ad sensorium commune, hinc spiritus animales turbulentè agitantur, in præcordia influunt: cor magis agitatur, sanguis vehementius propellitur, spiritus ad partem affectam copiosius confluunt, ibidemque tensionem majorem fibrillarum, nec non contractionem convulsivam efficiunt. Ægrota sæpius hisce paroxysmis obnoxia (supponimus enim fœminam hoc malo non semel vexatam) simulac sentit hasce angustias, metuit ne idem recurrat. Ab animi hoc pathemate spiritus magis commoventur, in cor & præcordia tumultuosè influunt, cor & pulmonem agitant, iterum spiritus ab hac commotione agitantur, angustia faucium intenditur, cerebri arteriolæ quoque replentur, atque ita excitantur convulsiones hystericæ vehementissimæ. Quomodo illud fiat, capite de Morbo caduco explicatum est. Illud solummodo monendum restat, paroxysmos Morbi caduci & Epilepsiam hystericam in eo præcipuè differre, quod in Affectibus hystericis secundariò tantum afficiatur cerebrum, in Morbo caduco primario. In Suffocatione & Epilepsia hystericâ, nervus intercostalis molestam sensationem ad cerebrum defert, unde spiritus in hoc par, ut & nervos paris vagi influunt: in Morbo caduco, arteriæ carotides

des primum replentur, ſenſus interni abolentur, tum demum ſequuntur convulſiones univerſi corporis. Poſtquam autem in Epilepſiâ hyſtericâ ſanguis eſt commotus, non poſſunt non arteriæ carotides aliquomodo repleri, mens quodammodo obnubilari, & convulſiones artuum ſequi. Adeo ut affectio hyſterica gravior, meritò poſſit dici Epilepſia per conſenſum, ſed diligenter tenendum eſt, Epilepſiam hanc non eſſe aliam, quam eam, quæ paroxyſmum hyſtericum ſequitur, uti ego in deſcriptione innui.

De mentis obnubilatione.

Hinc patet quare dixerim, Epilepſiam hyſtericam ſequi ſuffocationem hyſtericam, quare dixerim, in Epilepſiâ hyſtericâ adeſſe majorem, vel minorem mentis obnubilationem. Verum antequam de nexu, qui inter Suffocationem hyſtericam & Epilepſiam intercedit, agam, prius videndum eſt de mentis obnubilatione majore, vel minore. Nempe in Morbo caduco ob primariò affectum cerebrum, & denegatum liberum per arterias carotides tranſitum cerebrum deprimitur, nervi comprimuntur, adeoque neceſſariò mentis functiones omnino abolentur ad tempus. In Epilepſiâ hyſtericâ, cum cerebrum non niſi per conſenſum afficiatur, ægræ non raro omnes omnium adſtantium colloquia intelligunt, quamvis, ob turbulentum ſanguinis & ſpirituum motum, animi ſui ſenſus perſpicuâ oratione explicare non poſſint. Poteſt tamen contingere in caſibus gravioribus, præcipuè ubi ſanguis copioſior & viſcidior non ſatis promptè tranſit arterias carotides, earumque ramificationes, cerebrum & medullam oblongatam validè premi, adeoque ſenſus etiam internos aboleri.

Epilepſia hyſterica eſt ſequela Suffocationis ejuſdem nominis.

Dixi convulſiones infimi ventris, & artuum ſequi ſuffocationem hyſtericam, ut oſtenderem nexum inter Epilepſiam & Suffocationem hyſtericam. Nempe ubi auctores agunt de Suffocatione hyſtericâ, non ſatis explicant convulſiones, quæ paroxyſmos graviores comitantur, ubi verò agunt de Epilepſia per conſenſum uteri, cauſam ejus quidem ſtatuunt menſium obſtructionem, verum neglexerunt meminiſci, tum demum dici Epilepſiam per conſenſum, ubi Suffocatio hyſterica gravior, convulſiones artuum producit. Ita entia multiplicantur abſque neceſſitate, & lectorum ac practicorum juniorum judicium con-

confunditur. Iterum repeto: Epilepſia Hyſterica, non differt à Suffocatione ejuſdem nominis, niſi tantum convulſione. Epilepſia hyſterica eadem eſt cum Epilepſia per conſenſum uteri. Mutua eſt inter hæc ſymptomata affinitas.

De convulſionibus viſcerum.

Non eſt neceſſe multis explicare, quare convulſiones viſcerum infimi ventris ſeſe prodant in Epilepſiâ hyſtericâ. Illud ſatis apertum eſt ex iis, quæ de vaſorum diſpoſitione nativa & adſcititia, nec non de geſtatione fœtus & partu dicta ſunt. Nulli debet mirum videri convulſiones oriri in illis viſceribus, verſus quæ ſpiritus & ſanguis & in ſtatu naturali, & præternaturali copioſius confluunt: hi enim ipſi liquores, & motus voluntarii, & convulſivi, auctores exiſtunt. Satius reor ſi ad confirmationem eorum, quæ in præcedentibus explicata ſunt, hiſtoriam narrem inſignem, hoc ipſo tempore, quo hæc in chartam conjeci, obſervatam, evincentem graviſſimis ventris affectibus mulieres frequentius corripi quam viros, nec non ſtupendam & breviſſimam curationem morbi Ilei. Puerpera ſtatim à partu graviſſimis ventris doloribus & febre divexata meum popoſcit auxilium, brevi Deo benedicente liberatur. Poſt quinque hebdomadas circiter, iterum recidivam paſſa eſt, liberatur à me iterum feliciter. Undecimo circiter à partu hebdomade templum frequentat, Deo actura gratias pro feliciter recuperata ſanitate. Non longè poſt incidit iterum in dolorem ventris vehementiſſimum, qui brevi ita invaluit, ut poſt injectum enema & alia à pharmacopœo in uſum vocata medicamenta, Ileus ſeſe prodoret morbus. En difficilia ſymptomata ex infimo ventre concitata in puerpera! Cauſa fuit primum lochiorum penuria, cui V. S. opem tulit. Dein menſtrua ceſſantia, quamvis enim infans non longè à partu eſſet mortuus, tamen poſt tres circiter menſes evacuatio ſolita adhuc erat ſuppreſſa. Manè advocatum præſcribo mixturam & Enema: Enema rejectum fuit ſtatim, mixtura dolores vehementiſſimos & vomitum continuum fæcum alvinarum cum maximo dolore compeſcere non potuit. Adfuerat Miniſter ſalutis animæ curam geſturus, aderant amici ægrotæ, quam non diu ſuperfuturam credebant, cum veſperi iterum accede-

rem.

rem. In hoc rerum articulo præſcribo *Electuarium Panchymagogum meum* additis appropiatis, uti forſan in Obſervationibus docebo, nec non mixturam: aſſumpto hauſtu ſtatim dolor ceſſavit, vomitus cohibitus, ſubſequutæ dejectiones alvi commodæ atque ægra liberata. Ægrota hæc uxor fuit *Abrahami Steenbex*, qui non minus, quam reliqui adſtantes, hujus curationis oculati teſtes, eventum feliciſſimum miris encomiis celebrarunt.

De Convulſionibus artuum, poſt viſcerum ſpaſmos, ſæpe occurrentium, non eſt neceſſe pluribus dicere, cum hæc ex antecedentibus ſatis eluceſcant. De Convulſionibus artuum.

Explicui hactenus Epilepſiam hyſtericam è conſtructione partium, nec non motu humorum & ſpirituum. Nullas ad explicationem adhibui falſas hypotheſes. Jam ego obteſtor, omnes verè Medicos, & ad ea quæ in praxi occurrunt attentos, ut hæc ſedulo perpendant, & cum uſu quotidiano conferant. Invenient me abſque ambagibus explicuiſſe veritatem uſus ſummi, & facem præferentem ad facilem intelligentiam aliorum ſymptomatum ex. gr. palpitationis cordis & ſimilium. Quemadmodum enim fluvii è fontibus rapidiſſimè decurrentes, nunc verſus dextram nunc verſus ſiniſtram ripam vehementius feruntur, hic aggerem adjacentem abradunt, illic limum copioſius aggerunt, alibi alveum profundius excavant, aut eundem vix navigabilem reddunt præ ſiccitate, ita etiam in corpore noſtro res ſeſe habet. A ſanguinis impetu expanſiones vaſculorum quarundam, aliarum verò compreſſiones: hic laxa fibrarum textura, membranarum, pororum, alibi conſtipatio, contractio, anguſtia, & hinc innumera oritur diverſitas ratione temperamenti, roboris, digeſtionum, ſecretionum, morborum, ſymptomatum. Hæc itaque accurate conſiderâſſe ad praxin feliciter exercendam, & ad cauſas ſymptomatum detegendas, plurimum juvabit, ne fortuitò & caſu, ſed providè & ex artis præſcripto remedia ſeligamus, ac in uſum vocemus. Illuſtrationis gratia & hanc libet adhibere comparationem. Quemadmodum in Philoſophia naturali materia & motus rectè ſtatuuntur rerum naturalium principia, quemadmodum in materiam à motu magna introducitur varietas, ita etiam in corpore noſtro ſanguis & ſpiritus ſunt primum movens, à ſanguine Concluſio.

guine & ſpiritibus animalibus, eorumque motu vario partium ſolidarum varia textura, nec non omnes operationes in ſtatu ſano & ægro dependent. Agunt autem hi liquores variè, pro ratione meatuum, quos pertranſire neceſſe habent. Ut ergo prava diatheſis in ſanguinem introducatur, ſufficit ut ejus motus ordinarius immutetur. Hoc immutato, ſanguinis craſis non tantum pervertitur, ſed & partes ſolidæ & vaſa ſanguifera ipſa multum immutantur, unde plurimi oriuntur non tantum morbi, ſed & ipſa mors.

Cauſæ. Explicui hactenus veram eſſentiam affectus & Epilepſiæ hyſtericæ, reſtant explicandæ cauſæ. Cauſæ ſunt, ſanguinis copia, viſciditas, ſeu minor vigor, obſtructio menſium, ſanguinis evacuatio nimia, ventriculi debilitas, flatuum copioſus proventus, denique animi pathemata.

Sanguinis copia. Sanguis ſi abundet, vaſa corporis noſtri in univerſum magis replentur, unde arteriæ faucium magis diſtentæ, anguſtiæ ſenſum facile producunt. Non tantum hinc deducendus eſt anguſtiæ ſenſus, ſed & intumeſcentia eorundem, oculis admodum manifeſta. Eadem illa repletio animi commotionibus vehementibus majus ſuppeditat pabulum. Denique eadem illa repletio, à paſſione turbulenta excitata, ac verſus cerebrum impetum faciens, arterias carotides replet, ſenſus abolet, convulſiones producit.

Viſciditas. Conjunxi viſciditatem & minorem vigorem, quandoquidem hæ duæ cauſæ, licet conſiderandi modo differant, tamen plerumque copulantur, & ferè coincidunt. Viſciditas enim ſanguinis tenacitatem, minor vigor preſſionis debilitatem, & ſpirituum deſignat penuriam. Jam autem, ubi ſanguis eſt tenacior, particulæ minus ſubtiles, ſpiritibus non ſubminiſtrant pabulum, nec ſatis copioſum, nec ſatis conveniens: hinc eorundem dependet minor vigor. Utraque cauſa oritur à minori motu & expanſione ſanguinis, ejuſque immunitâ preſſione. A preſſione enim comminutio, calor, vis elaſtica ſanguinis, ſpirituum animalium generatio & motus deducendus eſt. Quemadmodum autem ſanguis ſpirituum motus, ita viciſſim ſpirituum motus agitationis ſanguinis, ejuſdemque variæ immuaationis cauſa eſt. Mutuo nexu hæ duæ cauſæ cohærent. Sunt tutem ambæ hæ, cauſæ affectus hyſte-

quandoquidem à viſciditate dependet, ſanguinem non ſatis promptè permeare vaſa faucium, unde moleſtus ſenſus, & ſpirituum oritur turbulentus motus. A ſpirituum minori vigore ortum ducit debilior ſanguinis preſſio, & comminutio, unde iterum ſanguis non ſatis alacriter permeat vaſa faucium.

Obſtructio menſium etiam cauſa eſt Epilepſiæ hyſtericæ, tum quod originem det nimiæ ſanguinis accumulationi: tum quod oriatur à lentore & minori vigore ſanguinis, ac ſpirituum animalium: tum quod ſanguinem viſcidiorem, & ſpiritus torpidiores efficiat. Torpor autem ſpirituum, in hoc caſu, à nimiâ flacciditate ac cerebri depreſſione dependet, unde tum facile affectus ſpaſmodici graviores oriuntur. Ex eo, quod menſium obſtructio anſam præbeat huic affectioni, orta eſt ſententia: ab utero oriri omnia hæc ſymptomata. Verum obſtructio ea, non cauſæ conjunctæ, ſed procatarcticæ rationem habet. Obſtructio menſium.

Nimia ſanguinis evacuatio itidem poteſt producere Epilepſiam hyſtericam. Si mulier lochiorum, aut menſium fluxu nimio corripiatur, facile hæc eadem excitabuntur ſymptomata. Nempe à nimiâ ſanguinis evacuatione ſpiritus animales patiuntur deliquium, cerebrum collabitur, medulla oblongata comprimitur: à p. n. & ſubitaneo hoc collapſu, ſpiritus, cerebri & medullæ oblongatæ incolæ, quaquaverſum inordinatè, & abſque voluntatis imperio, propelluntur. Spiritus igitur cor agitantes, propellendo ſanguinem in arterias majores & minores pulſu iterato, atque retinendo in fibris muſcularibus, efficiunt motus convulſivos. Si fœmina ſolita ſit hoc affectu torqueri, dicitur Epilepſia hyſterica, quamvis revera hæc affectio & hi ſpaſmi ejuſdem ſint naturæ cum Epilepſia ab hæmorrhagia, de qua antea diſputavimus. Itaque Epilepſia hyſterica, non minus quam reliquæ, poteſt meritò dici & à repletione, & ab inanitione ortum ducere. Sanguinis evacuatio nimia.

Ventriculi debilitas ſequitur conſtitutionem, de quà in ſuperioribus egimus. Eadem illa debilitas viſciditati ſanguinis, minori ſpirituum vigori, atque obſtructioni menſium anſam præbet. Sanguis quippe ordinariè chylo eſt proportionatus: Ventriculi debilitas.

ſi chylus ſit tenacior, ſanguis ejuſdem generatur naturæ: ſi chylus ſit minus fermentatus, ſi minus comminutus, ſanguis evadet viſcidior.

Flatus. Flatus has fœminas plurimum divexare, ſuperius annotatum eſt. Sequuntur hi ſanguinis minorem motum & agitationem, nec non chylum & ſalivam viſcidiorem. Quippe obſervandum eſt, non tantum chylum eſſe glutinoſiorem, ob diminutum calorem, & minorem ſpirituum vigorem, verum omnes humores à ſanguine ſecretos itidem eſſe tenaciores: tenaciores ſunt bilis, ſuccus pancreaticus: humores à glandulis inteſtinalibus ſecreti ſequuntur naturam ſanguinis, cui ortum ſuum debent. Jam autem inteſtina flatibus diſtenta, ad contractiones ſpaſmodicas diſponunt. Moleſta quippe tunicarum inteſtinalium expanſio, ſpiritus animales eò copioſius allicit, ſpiritus animales copioſius influentes in inteſtina, vaſis arterioſis copioſè ditata, non poſſunt non contractionem fibrarum moleſtam producere. Hinc in caſibus gravioribus eadem velut in globum contrahuntur, atque ita convelluntur, ut motus eorum etiam externè tactu percipiatur. Decipiuntur qui putant eam molem eſſe uterum, cum uterus è ſua ſede evelli non poſſit. Sentitur hic globus ordinariè in ſiniſtro hypochondrio, quò uterum adſcendere nemo anatomiæ gnarus facile admiſerit. Quid? Quod in gravidis etiam affectus hyſterici ſatis vehementes occurrant? An in his uterus cum fœtu tantâ vi convelletur, nullo ſubſequente abortu? Non eſt igitur uterus, qui ſentitur, ortum eſt hoc præjudicium, tum è vulgari appellatione, tum è vulgi imperitiâ, quod uterum ordinariè in fœminis culpare ſolet. Sunt inteſtina in orbem conglobata; neque enim eò loci aliæ partes reperiuntur, quibus hoc ſymptoma adſcribi poteſt. Prope adjacet quidem lien, renes, ventriculus, verum nemo facile hæc viſcera ita validè convelli dixerit. Vidimus quomodo flatus ordinariè generentur, contingit tamen & aliam eſſe flatuum originem. Nempe non rarò febris excitat Epilepſiam hyſtericam, in quo caſu non tantum viſciditas ordinaria, ſed & exſiccatio, & æſtus conſiderari debet.

Animi pathemata. Addidi denique animi pathemata eſſe cauſas Epilepſiæ hyſte-

ftericæ. Non funt hæc confundenda, cum iis quæ in antecedentibus de paffionibus dixi. Tum confideravi affectiones animi tanquam caufas conjunctas paroxyfmi hyfterici, nunc eafdem confidero tanquam caufas procatarcticas. Hifce adfcribenda funt ea, quæ vulgò fanguini menftruo & femini corruptis perverfiffimè adfcribi folent. Nolim hic immorari fpurcis & fœdis narratiunculis, quæ ab Auctoribus de virulentiâ feminis, contra veritatem (modo abfit contagium) in chartam conjecta funt. Nec explicationes, nec curatio à quibufdam præfcripta, funt digna σεμνότητι Medici, multo minus Chriftiani. Itaque & fanguinis menftrui, & feminis noxa in eo confiftit, vel quod copiâ gravent, vel quod paffionem excitent. Peccat fanguis copiâ univerfaliter, quemadmodum in fuperioribus explicatum eft. A copiâ hac aliquando oritur major vifciditas, unde fegnities, & ad triftitiam difpofitio. Copia etiam in fpecie confiderari poteft, refpectu vaforum & receptaculorum nimium diftentorum. Hæc moleftia ad cerebrum delata, fpiritus animales eò copiofius allicit: à fpirituum copiofiori influxu fanguis commovetur, incommoda in partibus excitatur pulfatio, atque ita varia pathemata. Et quandoquidem viduarum, in hoc negotio, fit mentio, videamus quæ illas commoveant animi affectiones? Hæ mariti chari mortem lugent, ad loci, ubi commorari erat folitus, ad veftium confpectum &c. triftem viri refricant memoriam: viduas fefe frigido lecto jacere ægrè ferunt, ardent aliquando in alium, nec voti fiunt compotes, infomnes transmittunt noctes, æftuant. Ita doloris, amoris, defiderii curæ illas noctes diefque exagitant, nec requiefcere finunt. Animum non regunt, non paret hic, fed imperat, donec tandem fpiritus & fanguis exagitati, expanfionem nimiam inteftinorum compreffionem moleftam faucium, denique paroxyfmum producant hyftericum. Hic fi aliquoties recurrat, adeo pronæ evadunt in hofce affectus, ut ad omnem vehementiorem commotionem, iterum in fimiles incidant infultus, uti in fuperioribus explicatum eft. Quod fi caufæ plures concurrant, quas hic repetere non eft neceffe, eo facilius hæc habent locum. Hæc funt vera & praxi convenientiffima, quippe non

rarò medici intelligunt, ægrotam toto vitæ tempore ab hoc morbo fuisse immunem, verum hac vel illâ occasione huic affectui evasisse obnoxiam, eumque sæpe recruduisse. Quæ de virulentiâ dicuntur sunt fictitia & falsa. Neque enim sanguis menstruus est virulentus, uti suo loco erit explicandum, eadem est reliquorum ratio, nisi accesserit lues venerea.

Differentiæ. Accedimus ad differentias. Epilepsia hysterica, quamvis omnis sit symptomatica, uti è superiori constat tabulâ, tamen certo respectu potest dici, Idiopathica vel Sympathica: hoc est, inflationes illæ intestinorum, anxietates, convulsiones, aliquando excitantur à causis ordinariis, quarum sufficienter est facta mentio, aliquando affectio & Epilepsia hysterica est symptoma alius morbi ex. gr. febris. Et hæc distinctio utilissima est in praxi. Hic enim non tantum consideranda est repletio ordinaria, verum & extraordinaria, ab orgasmo febrili producta, si velis distinctum formare hujus affectionis conceptum. Non etiam insistendum vulgaribus medicamentis hystericis, quæ constant particulis aromaticis, incidentibus & attenuantibus, illud esset oleum camino affundere. In affectu hysterico febrili, pressio & dilatatio sanguinis inflationem præcordiorum, & intestinorum producit. Itaque non tantum affectus hystericus, sed imprimis æstus febrilis respiciendus, uti in sequentibus explicabitur.

Deinde Epilepsia hysterica est vel gravior, cum sensuum internorum abolitione, vel levior, nec mentis emotionem comitem habens. Est vel recens, vel inveterata, vel gravidas, vel parturientes, vel uterum non ferentes affligit. Non succurrunt jam differentiæ aliæ, nisi minoris momenti.

Signa. Signa ex explicatione satis sunt obvia. Convelluntur ægrotæ, in hypochondrio sentitur globus sese commovens. Conquestæ sunt ægrotæ de anxietatibus circa præcordia, de globo velut ad fauces adscendente, sæpe, vel saltem aliquoties, hoc insultu fuerunt correptæ. Hoc signum non est necessarium; potest enim medicus primâ vice advocari, quando paroxysmus ingruit, verum si ægrota sæpius huic malo sit obnoxia, verisimile est exacerbationem esse symptomatis ordinarii. Præcessit aliquando obstructio mensium, fluor albus, nimia mensium

ſium evacuatio, vita ſedentaria, vel etiam inſignia animi pathemata. Diſtinguitur à Morbo caduco, quod in illo cerebrum & arteriæ carotides afficiantur, in hoc affectu nervus intercoſtalis, & par vagum, moleſtam ſenſationem ad cerebrum deferunt. Videri poſſunt ea quæ de Morbi caduci ſignis diſputavi. Non ſunt negligenda alia ſigna duo paſſim obvia, quorum alterum eſt, faciem ordinariè hyſtericorum rubere, imo tum magis floridam eſſe, cum illæ pejus habent. Alterum eſt, quod urinam reddant aqueam & limpidam. Prioris ratio petenda eſt è ſanguinis motu & tenacitate, unde pulmonis vaſa nimium replentur, repletionem autem pulmonis ſequitur faciei color rubicundus. Poſterioris itidem è debiliori concoctione cibi, ſalivâ & ſucco pancreatico viſcidioribus, & aliquando acidis, quibus accedit bilis tenacior & iners.

Interim in paroxyſmis gravioribus, ubi ægrotæ videntur animam efflaſſe, diligenter attendendum eſt, an vita ſit ſuperſtes nec ne? Tangendus eſt diligenter pulſus, manus ſiniſtro lateri imponenda, ſpeculum ori admovendum, quandoquidem plura ſunt exempla talium, quæ vivæ ſepulturæ vel deſtinatæ, vel etiam illatæ ſunt. Vide *Bierlingii Theſaurum* p. 245. §. 6.

Prognoſis ita habet. Quemadmodum affectio hyſterica levior, nullis comitata convulſionibus, periculi ſolet eſſe expers, ita eadem affectio, Epilepſiam habens comitem, non eſt flocci facienda. Tanto autem majus periculum imminet, quanto ſpaſmi ſunt vehementiores. Si Epilepſia hyſterica infeſtet, ubi vires à febre fractæ ſunt, majus imminet periculum. Recens facilius, inveterata difficillimè vel nunquam ſuperatur. Si uterum ferentes validè affligat, abortus, ſi parturientes, mortis non rarò eſt prænuncia. Epilepſia hyſterica febrilis ſequitur naturam febris, quæ illam produxit. Prognoſis.

Indicationes in hoc ſymptomate ſunt variæ. Quemadmodum enim Epilepſia hæc, ſine Affectionis hyſtericæ cognitione diſtinctè perſpici non poteſt, ita etiam non niſi hac curatâ, curari nequit. Sanguinis ergo copia nimia imminuenda eſt, viſciditas emendanda, menſes promovendi, ventriculus roborandus, flatus diſcutiendi, animi pathemata ſedanda. Hæ veræ ſunt indicationes. Sublatâ cauſâ tollitur effectus. Si Indicationes

enim præcipuè ad medicamenta antiſpaſmodica reſpiciamus, illud, quod in curatione primas obtinet, non niſi obiter conſiderari ſolet. Quandoquidem autem pluribus hiſce indicationibus ſatisfieri nequit, quin prius tollatur paroxyſmus, ſi ſit gravior, huic negotio omnino incumbendum eſt.

Cura in paroxyſmo.

Excitationi hyſtericarum etiam mulierculæ incumbunt, fumum acrem & fœtidum admovendo naribus. Quandoquidem tænia coerulea ubivis ad manum eſt, ea accenditur & naribus admovetur, non ſine ſucceſſu, odore enim illo ægrotæ aliquando excitantur. Admovetur aliquando *acetum* naribus, verum illud non rarò obeſſe ſolet, niſi ubi aër halitibus, aut nidore carbonum, inquinatus, anſam dedit paroxyſmo. *Spiritus Salis Armoniaci* maximè efficax eſt, ſi naribus ſubjiciatur, verum illum prudenter in uſum vocare oportet, ne nimia efficacia ægrotæ noceat. Eadem eſt ratio *Sal. Volat. C. C. Fuliginis* &c. Non eſt enim ſicco pede tranſeundum, ſæpius contingere hyſtericos paroxyſmos quaſi exacerbari, ſi naribus admoveantur medicamenta admodum efficacia; in quo caſu utendum eſt temperatioribus. Hujus rei duplicem obſervo rationem. Prior eſt, quod ægrotæ ſint plethoricæ, unde ſequitur, à nimiâ ſpirituum agitatione ſanguinem magis agitari & expandi: hinc oritur arteriolarum minimarum repletio & tumor, in hoc affectu admodum moleſtus. Poſterior cauſa eſt, quod ſpiritus ab inflatione viſcerum infimi ventris irritati, ſponte ſatis in nervum intercoſtalem & par vagum influant, in medio ventre cordis agitationem vehementiorem, in infimo ſpaſmos excitaturi; ſi autem ſpiritibus hiſce nimium ferocientibus major ſubdatur ſtimulus, non eſt mirum, ſi ægrotæ pejus habeant. Quod ſi obſtructio menſium, vel eorundem ſubita ſuppreſſio paroxyſmum induxerit, nec is levioribus cedat remediis, omnino ſecanda eſt vena: ita inſultus promptiſſimè ſuperatur. Hujus rei facilis eſt explicatio è ſuperioribus; cum enim ſanguis per minimas faucium arteriolas, ut & pulmonem, difficilius circuletur, cumque is, à ſpiritibus animalibus copioſius & turbulente influentibus, in motu ſuo progreſſivo inhibeatur: cumque convulſiones ſanguinem vehementer exagitent & expandant; denique cum arte-

teriarum carotidum nimia repletio, sensuum internorum abolitionem ad tempus producat, sanguinis V. S. evacuatio omnibus hisce causis convulsionum promptissimè succurrit, adeo ut V. S. possit dici, si veritatem ipsam spectemus, potentissimum remedium antispasmodicum, ubi nempe repletio nimia, causa est horum symptomatum. Eant nunc blaterones medici, in V. S. stylum acuant, contra V. S. debacchentur, numquam sanè id efficient, ut adversus remedium excellentissimum, felicissimo rerum usu expertum, cruda opinio, & malè digestum obtineat præjudicium. Quamvis enim quidam abutantur V. S. illorum error dignitati præstantissimi remedii nihil detrahit, aut usum evertit. Abusus noxius, usum salutarem nequaquam tollit. Longè falluntur ii, qui in omnibus morbis & ægrotis venam pertundunt. Longè falluntur, imo prima praxeos rudimenta ignorant ii, qui nunquam esse pertundendam venam autumant. Medio tutissimus ibis.

Interim observandum est, non esse tutum fœminas in paroxysmo ipso discingere, si sint vestitæ, discinctæ hystericæ pejus habere solent: unde etiam mulierculis, nec quidem malè, in more positum est, hypochondria, & medias mulieres cingere vinculo aliquo lato & commodo. Vinculo aliquo lato & commodo, inquam, ne nodus asper, ex præjudicio sinistro hypochondrio injectus, intestina lædat. Id quod dixi de vinculo injiciendo præcipuè locum habet in puerperis, affectu hysterico correptis; etenim oportet ut peritoneum, & musculi relaxati ac extensi, sensim iterum sese contrahant & restituant. Itaque venter & intestina, magno fœtus onere subitò levata, fulcimento egent, ne nimiâ expansione flatus intestinis molestiam creent.

Ubi ægrota ab insultu excitata est, nec necesse fuit ita repentè in usum vocare V. S. diligenter perpendendum est, qua ratione optimè repletioni nimiæ occurratur? Examinandum est, num menses sint obstructi? Num parcius fluant? Illud quod de mensibus dixi, puerperarum lochiis omnino applicandum est. Examinandum, an ægrota sit plethorica? Num aliquando hæmorrhagiam narium patiatur? Num capitis dolori, num vertigini frequenter sit obnoxia? Num sentiat pectoris oppressio-

Extra paroxysmum. Quibus vena secanda?

ſionem? Num palpitationibus cordis infeſtetur? Inſpiciendi ſunt oculi, & attendendum an arteriolæ ſint tumidæ? Ubi hæc & ſimilia redundantis ſanguinis ſeſe produnt indicia, omninò eſt ſecanda vena. Si ægrota ſit debilis, ſi faciem aut pedes occupet tumor ædematonis, ſi menſtrua aut lochia præceſſerint copioſa, à V. S. abſtinendum eſt.

Quæ vena? Secanda eſt vena imprimis poplitis, ut vaſa, ad uterum & inteſtina diſtributa, moleſto onere ſubleventur, ut natura ad ſolitum penſum abſolvendum ſeſe iterum accingat.

Qua quantitate. Quantitatem educendi ſanguinis determinabit medicus, prudenter attendendo ad repletionem, vires, ætatem ægrotæ. Et quoniam ætatis eſt facta mentio, oportet meminiſci fœminis circa quinquageſimum annum ſolere menſes ſubſiſtere, unde non raró evadunt valetudinariæ. In hoc ætatis flexu V. S. ſolet requiri vel annua, vel etiam magis repetita, ſi mulieres ſint plethoricæ, ſi menſes fluere copioſius ſint ſolitæ, ſi ſint robuſtæ, ſi vitam agant ſedentariam. Si fœmina affectibus hyſtericis obnoxia in febrem incidat, majori quantitate educendus eſt ſanguis, vel V. S. iteranda, uti poſtea dicemus.

Quomodo nimia ſanguinis tenacitas emendetur? Nimia ſanguinis tenacitas emendatur, vel ſubtrahendo pabulum, vel vigorem ejus reſtituendo: cum autem poſterior hæc materia in ſequentibus tractanda ſit, ſufficiet hoc loco demonſtrâſſe, quomodo tenacitati ſubtrahatur pabulum. Fit hoc vel Emeticis, vel Purgantibus.

Emeticis. Emetica potiſſimum locum habent, ubi anxietates circa præcordia vexant, vel ubi poſt aſſumptionem ciborum dolores vehementiſſimi vexant. Ita ego tractavi ancillam Pharmacopœi, diu moleſtiſſimis ſtomachi doloribus divexatam. Diverſis medicamentis, conſilio medici ſenioris aliquamdiu erat uſa; verum abſque inſigni emolumento. Conſulor ego, præſcribo Emeticum tanto cum ſucceſſu, ut unicum hoc medicamentum plus profuerit, quam per menſem unum atque alterum varia incaſſum adhibita. In tali caſu emetica purgantibus omnino præferenda ſunt.

Educunt quidem purgantia viſcidos humores, ſed crebro uſurpata ventriculi digeſtionem ac robur, pervertunt & evertunt. Hoc probe animadvertendum eſt, quoniam hinc patet

me

me non frustra conjunxisse visciditatem, cum minori vigore sanguinis. *Hippocrates* vomitum & *Helleborum* commendat de Nat. Mul. x. 10. ἢν μὲν οὖν ἀπὸ τῆς κοιλίης ᾖ, ἐμείτω ἀπὸ τῶν φακῶν. ἔπειτα ἐλλεβόρῳ καθῆραι. Ad vomitum in hoc morbo *Platerus* commendat *Agarici* ℥iß. cum *Oxymelite*. *River*. Oxycratum. obs. 6. & 10. c. IV.

Quod si tamen purgantia sint in usum vocanda, ea debent esse potentiora & amaricantia, ut sunt *Aloetica*, *Mercurialia*, aut etiam è *Colocynthide* constantia, interposita aliquâ morâ. *Willisius* has præscribit Pilulas: Purgantibus

℞. *Pilul. Fœtid. maj.* ʒjß.
Resin. Jalapp. gr. xij.
Tartar. Vitriol.
Castor. aa ℈j.
Ammoniac. solut. in *Aq. Hyster.* q. s.
F. Pilulæ xij pro iij dosibus.

Rolfincius hunc habet pulverem:

℞. *Gialapii nigri resinos. pulv.* ℈j.
Scammon. per fumum sulph. correct. gr. IV.
Eleosacchar. Artemis. Succin. aa gr. vj.
M. F. Pulvis.

qui efficacior potest reddi addito grano uno atque altero *Trochisc. Alhand.*

Sanguinis tenacitas emendatur quoque Antispasmodicis dictis medicamentis, & Antiscorbuticis, ut & aromaticis & amaricantibus. Antispasmodicas has præscripsit pilulas *Willisius*. Antispasmodicis &c.

℞. *Fæcul. Bryon. Assæ fœtid.*
Castor. aa ʒj.
Sal. Corall. Succin. Jovis aa ʒß.
Galban. solut. in *aq. Hyster.* q. s.
M. F. Massa Dos. ℈ß ad ℈j mane & vesperi superbibendo dosin Liquoris appropiati.

Æn formam pulveris.

℞. *Rad. Serpentar. Virg.*
Contraierv. aa ʒjß.
Corall. ppt. Margarit.
Succin. alb. aa ʒj.
M. F. Pulvis.
Dos. a ℈j ad ʒß.

Chalybeatis.

Nulla autem ad tenacitatem emendandam commodior est via, quam si in usum vocentur medicamenta chalybeata. Chalybeata hic cæteris palmam præripiunt. Utilis est *pulvis Cachecticus Quercetani*, cujus hæc est descriptio:

℞. *Limatur Chalyb.* in tenuissimum alcohol, per *simplicem aquam* redactæ, vel cum *Sulph.* calcin. ut artis est. ℥j.
Fœcul. Rad. Aron. ʒiß.
Ambræ gryseæ. ʒiß. Malim multo minorem quantitatem, vel omissionem, substituendo
Rad. Angelic. ʒiß.
Essent. Corall.
Margarit. aa ʒij.
Succin. ppt.
Cinnamom. aa ℈iv.
Sacchar. q. s. ut F. Pulvis, gustui gratus.

Verum non est necesse, sese huic adstringere formulæ, dummodo medicamenti basis sit *Chalybs* reliqua, circumstantiarum habitâ ratione, immutari possunt.

℞. *Chalyb. cum Sulph. ppt.* ℥j.
Sem. Apii. ʒijß.
Flaved. Cort. Arant.
Rad. Calam. aromat. aa ʒj.
Macis ʒß.
F. Pulvis. Dos. à ʒß ad ʒj & ultra.

Quomodo ventriculus roborandus?

Quomodo ventriculus sit roborandus non est hujus loci fusè explicare, sufficit monuisse, illud quoque peragi medicamentis vel chalybeatis vel aromaticis, qualis est pulvis itidem à *Quercetano* præscriptus: ℞. *Rad. Aron. ppt. ut docebitur.* ℥ij.
Pulv. rad. Acori
Pimpinellæ aa ℥i.
Ocul. Cancri ʒß.
Cinnamom. ʒiij.
Sal. Absinth.
Junip. aa ʒi.
Sacchar. q. s. ut. F. Pulvis. gustui gratus.

Quan-

Quandoquidem morbus hic eſt flatulentus, diſcuſſioni eorundem omninò incumbendum eſt, quod quidem variis modis fieri poteſt: Enematibum, Carminativis, Opiatis. Proſunt Enemata è carminativis, & inteſtina ad excretionem ſtimulantibus compoſita: habent locum ubi alvus eſt adſtricta, aut fæces alvinæ induratæ. Ita non tantum ſaburra, in craſſioribus hærens inteſtinis, exhauritur ſine ventriculi perturbatione, ſed & inteſtina tenuia foventur, imo hoc pacto flatus una cum excrementis alliciuntur. Sequens formula eſt *Timæi* à Guldenkle. Flatus diſcutiendi. Enematibus

℞. *Herb. Artemiſ. Puleg. Rutæ*
Majoran. Betonic. aa m. ß.
Flor. Chamæm. Tiliæ, Lavend. aa p. ij.
Rad. Lilior. alb. Ireos. Poeon. aa ℥ß.
Sem. Rutæ, Dauci, Aniſi, Carui. aa ʒj.
Inciſ. & conquaſſata Coq. ex ſ. q. *aq. ſimpl.*
℞. Colat. ℥x. *Elect. Diacarthar.*
Benedict. laxativ. aa ℥ß.
Spec. Hieræ ſ. ʒiß.
Sal. Gemm. ʒj.
M. F. Enema.

Clyſteres habent quoque *Feineus* in praxi, & alii. *Riverius* in obſervationibus refert mulierem 20 annos natam, injecto clyſtere ex *Oxycrato* ſtatim fuiſſe liberatam, adeo ut aliis medicamentis non indiguerit. l. 11. obſ. 82. Vide quoque obſ. 22. c. III.

Carminativa, cum flatus diſcutiendi facultate polleant, hic non ſunt negligenda. Non eſt neceſſe horum contexere catalogum, cum tales plures exſtent. Formulas aliquas tantum ſubjiciam. Sequentem mixturam *Fr. Dekkers* ſeſe ſæpius cum optimo ſucceſſu uſurpâſſe teſtatur. Carminativis.

℞. *Aq. Antihyſter. noſtr.* ℥ij.
(Ex *Fol. Puleg. Menth. Rutæ aa m.* ij.
Flor. Lavend. p. ij.
Sem. Leviſt. Baccar. Lauri. aa ℥ß.
Myrrhæ ʒij. *Nucis Moſcat.* ʒj.
Vini Gallic. p. iij.
M.

Poſt brevem in calore infuſionem deſtillentur per *Balneum Mariæ.)*

Cort. Citri. ℥j.
Theriacal. ſ. ʒvj.
Sp. Sal. Armon. ℈j.
Tinctur. Caſtor. ʒj.
Ol. Succin. g. iv.
Syr. Artemiſ. ʒvj.
M.

Huic mixturæ non admodum diſſimilis eſt ſequens *Williſii*:

℞. *Aq. Artemiſ. Puleg. aa* ℔ß.
Hyſter. ℥iv.
Tinctur. Caſtor. ℥ß.
Syr. à Coralliis ℥jß.
M.

Interim quemadmodum ſuperius monui de medicamentis naribus admovendis, ea non debere eſſe nimis efficacia, ita etiam ſæpe contingit ægram non ferre aſſumptionem medicamentorum nimis potentium: vel ſi exhibeantur, pejus habere. Ita ego aliquando vocatus fui ad virginem xx circiter annorum, quam amici neſciebant, an paroxyſmis hyſtericis an Epilepticis eſſet divexata? Cum autem ego & conſtitutionem ægrotæ, & medicamenti formulam, quam ab alio medico præſcriptam, in promptu habebant, examinarem, vidi ſimul juncta eſſe quidem medicamenta ſelecta, & eximia, verum non ſatis proportionata temperamento ægrotæ, id quod Pharmacopœus quoque obſervaverat; indico igitur, medicamentum eſſe nimis potens, ſi utatur temperatioribus eam facile recuperaturam priſtinam ſanitatem. Talia præſcripſi ego, & res ex voto ſucceſſit. Id quod hic circa affectus hyſtericos moneo, in pluribus affectibus tum convulſivis, tum aliis locum habet.

Flatibus diſcutiendis poſſunt quoque inſervire pilulæ à *Petro Paſchequo* optimo cum ſucceſſu præſcriptæ. Vid. *River.* Append. obſ. x.

℞. *Aſſæ fœtid.* ʒij.
Caſtor. Fæcul. Bryon. aa ʒj.
Sem. Rutæ ℈j.

Cro-

Croci. ℈ß.
Laudan. Paracelſ. gr. viij.
Cum *Syr. Artemiſ.* F. Maſſa, de qua capiat ʒj.

Ad Flatuum diſcuſſionem inſerviunt quoque Opiata, hic eximii uſus. Habet hoc affectus hyſtericus, quod ab Opiatis non lædatur, ſed potius juvamen aliquod percipiat, cum eadem in quibuſdam Convulſionibus non parum noceant. Hujus rei plures ſunt rationes. Opiata moleſtam diſtenſionem inteſtinorum, hujus affectus vel cauſam vel comitem ſedant: opiata ſomnum blandum alliciunt, qui hic tanto majoris eſt uſus, quoniam à vigiliis ægrotæ plurimum lædi ſolent. Opiata animi paſſiones ſedant. Opiata ſudores promovent. Quid? quod hic prava cerebri diſpoſitio abſit, quæ in Morbo caduco adeſſe ſolet? Ego teſtari poſſum me ab uſu *Mithridatii Damocr.* nec non *Philon. Rom.* &c. vidiſſe ægrotos meos non parum adjutos eſſe. Proſunt ergo *Laudanum Opiatum*, *Opiata* ordinaria, *Athanaſia*, *Orvietanum*, *Diaſcordium* novum &c. de quibus in præcedentibus eſt actum. Vide *Riverium* Obſ. II. Cent. II. & 85. IV. Opiatis.

℞. *Aq. Puleg. Meliſſ. aa* ℥ij.
Theriacal. min. ℥j.
Athanaſ. noſtr. ʒj.
Sal. Volat. ol. g. xx.
M.

Externè poteſt uſurpari Emplaſtrum hyſtericum, à *Nic. Cheneau* præſcriptum.

℞. *Galb. in vino albo diſſolut.* ℥ß.
Aſſ. fœtid. ʒij.
Fœcul. Bryon. ℥ß.
Ol. Gagat. ʒj.
Rutæ. ʒij.
Ceræ q. ſ. ut F. Emplaſtrum. De Carne Lupi vide *Riverium* Obſ. 31. l. II.

Animi pathemata quomodo ſedanda ſint, non ſemel in antecedentibus explicatum eſt. Jungenda ſunt, in hoc caſu, medicamenta antihyſterica, opiatis blandioribus, vel parva quantitate uſurpatis. Animi pathemata.

Diximus in ſuperioribus Epilepſiam hyſtericam eſſe Idiopa- Cura differentiarum.

pathicam & ſympathicam. Quæ hactenus dicta ſunt potiſſimum ſpectant Idiopathicam, quamvis ea quæ monui de medicamentis valdè efficacibus vitandis, in utraque ſpecie obtineant. Accedendum jam eſt ad Epilepſiam ſympathicam, & quidem eam præcipuè, quæ à febribus habet originem. Nempe ſi fœmina, muniis ſuis quotidianis fungens, Epilepſiâ hyſtericâ non ſemel infeſtetur, non eſt mirum ſi ea, in febrem incidens, frequentioribus, gravioribus & periculoſioribus torqueatur paroxyſmis. Eſt hæc Epilepſiæ ſpecies etiam à repletione potiſſimum deducenda. Si autem repletio obtineat ubi febris abeſt, ubi circulatio moderatè peragitur, ea neceſſariò multo erit major, ubi febrilis orgaſmus, cum preſſione majori conjunctus, vaſa univerſa nimium diſtenderit. Si flatus infimi ventris viſcera multum expanderint, ubi agitatio febrilis aberat, quanto magis hi infeſtabunt, ubi liquores glandularum præ æſtu redditi magis viſcidi, ab eodem magis expanduntur? Si ſpirituum agitatio nimia, moleſtam cordis commotionem, ventris ſpaſmos, faucium anguſtiam produxerit in ſtatu ſano, quanto magis ea difficiliora producet ſymptomata, ubi ſanguis agitatus eſt, & ab ordinaria craſi deſcivit? Itaque hic V. S. adhuc magis eſt neceſſaria, quam ſi febris abſit: major etiam, cæteris paribus, requiritur ſanguinis evacuatio. Deinde purgatio, aut vomitus hic itidem requiritur, uti in reliquis febribus. Quemadmodum autem, ubi febris abeſt, medicamenta amaricantia & calidiora, benè audiunt, ita in febre requiruntur temperatiora, hauſtus formâ potius, quam pilularum præſcripta. Non malè etiam aliquando laxantibus & purgantibus miſcentur anodyna, vel opiata, ut ſcilicet diſtenſiones moleſtæ aliquomodo cohibeantur. Ex. gr.

℞. *Elect. Panchymagog.* ℥ijß.
Sal. Abſinth. ℈ß.
Laud. op. gr. j.
Aq. Puleg. q. ſ.
M. F. Hauſtus. Opiata purgantibus quoque addidit. *Claudinus Emp.* rat. l. III. c. 7.

Viſciditas hic quoque emendanda, ſed medicamentis temperatis & ſanguinem diluentibus ex. gr. *Cichoraceis*, *Soncho*, *Agri-*

Agrimonia &c. Amaricantia in hoc casu dulcibus & gratis longè sunt potiora. Convenit *Succus Taraxaci* expressus, ut & decocta varia.

℞. *Rad. Lapathi acuti.* ℥j.
Fol. Taraxaci cum toto. m. ij.
Agrimon. m. j.
Coq. s. a. *ex aq.* pura ad ℔ij. Add.
Liquor. Tartar. ʒß.
M.

Si menses sint promovendi, oportet ut illud quoque fiat temperatioribus, etenim magis efficacia in usum vocando, non tam promoventur quam impediuntur menses. Conveniunt *Borax Veneta*, *Oculi Cancri* &c.

Id quod de mensibus dixi, etiam locum habet circa discussionem flatuum; etenim humorum visciditas hic ab exsiccatione, & minori secretione liquorum è glandulis prodeuntium ortum habet. Si ægra sit debilis, Enemata prosunt.

Animi pathemata sedantur anodynis & opiatis. Ea non tantum purgantibus, sed & alterantibus commodissimè admiscentur. Opiata hic ideo optimè conveniunt, quod sudores promoveant, quorum eruptio hic utilissima. Cætera ex iis quæ de Epilepsia febrili dicta sunt, peti possunt.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De Epilepsiâ Hypochondriacâ.

ANsam huic tractationi quoque suppeditavit *Willisius*, &, quam in antecedentibus proposui, tabula. *Willisius* post passiones hystericas, inter affectus spasmodicos agit de Affectione hypochondriaca, & fusè in lienis usum inquirit. Ego in parvâ tabellâ omnes convulsionum species oculis subjicere conatus, non potui non meminisci Epilepsiæ hypochondriacæ. (Tractationis hujus occasio.)

Ante omnia tenendum est, affectionem hystericam & hypochondriacam non differre essentiâ, sed plane eundem esse affectum. Differunt inter se nomenclaturâ, subjecto, gradibus. No- (Affectionis hystericæ & hypochondriacæ convenientia.)

Nomenclatura alia ab utero, alia ab hypochondriis derivata est utriusque tamen symptomata sunt, distensiones hypochondriorum molestæ, anxietates circa præcordia, faucium angustia.

Subjectum affectionis hystericæ propriè sunt fœminæ, quandoquidem utero mares destituuntur, hypochondriis uterque gaudet sexus, verum non solet dici affectus hypochondriacus, quando fœminas affligit, sed uterinus: è contrario quando mares infestat, non potest dici uterinus, sed tantum hypochondriacus. Differunt gradibus, quandoquidem ea structura partium in fœminis occurrit, quæ majorem sanguinis & spirituum impetum versus infimum ventrem allicit, unde etiam harum symptomata solent esse graviora, quam quæ in maribus observantur. Quemadmodum autem vertigo, Lethargus, Coma, Phrenitis, Apoplexia, Catalepsis, non sunt alii affectus, quando mares & quando fœminas afficiunt, ita etiam idem de affectione hystericâ, & hypochondriacâ statuendum est, quamvis hæ diversis gaudeant appellationibus. Cum autem utriusque affectus eædem sint causæ, eadem symptomata, eadem curandi Methodus, uti videbimus, utilissimum est, eundem utriusque formare conceptum generalem, non neglecto discrimine quod respectu sexus & graduum intercedit. Quemadmodum enim oportet, distinctos affectus accuratè distinguere, ita non minus necessarium est, ostendere convenientiam, quæ intercedit inter symptomata, diversis appellationibus insignita. Diversa nomenclatura scriptores in errorem deduxit.

Eadem res pluribus appellatur nominibus.

Itaque hic in memoriam revocandum est id, quod, in materiâ de sensorio communi, fusius disputavi: non raro contingere eandem rem pluribus appellari nominibus, pro diversâ relatione, quæ menti repræsentari potest, pro diverso considerandi modo. Leo potest dici ζῶον, θηρίον, θὴρ, λέων, τετράπȣς. Manifestum est has appellationes diversa gaudere significatione, diversa etymologiâ, vel à vita, vel à currendo, vel ab erumpendo, aut celeriter irruendo, ut *Hesychio* placet, aut quod visu valeat, aut quod quatuor sit instructus pedibus. Non aliam quoque dico feram, quando eum regem appello animalium. Verum quisque caveat oportet, ne diversa eum seducat denominatio. Ad legitimam enim interpretationem & ju-

& judicium formandum pertinet hæc regula utilissima, *ne quis se vocabulorum multitudine, aut ambiguitate, in errorem deduci patiatur*. Hisce jam non immoror. Sufficit observasse, eandem esse rationem Affectionis hystericæ, & hypochondriacæ. Ne autem frustra hæc dixisse videar, evincam eundem esse morbum, eadem utriusque symptomata, eadem signa, eandem curandi methodum. Gradu differunt, non differunt specie.

Dixi hystericam affectionem & hypochondriacam eundem esse morbum. Hoc ex eo evincitur, quod varii Auctores affectionis hypochondriacæ nullam fecerint mentionem. Exempli loco sit *Forestus*, qui in Observationibus nullum affert Affectionis hypochondriacæ exemplum: unde concludo, ipsum tales ægrotorum historias ad alium morbum retulisse, atque adeo judicâsse, hoc nomine morbum ab aliis distinctum non dari. *Riverius* etiam nullam Affectionis hypochondriacæ proponit descriptionem, sed tantum Melancholiæ hypochondriacæ. Superiori seculo imprimis increbuit tractatio de hac affectione: sive quod *Willisius* de ea fusè egerit, sive quod *Franciscus de le Boe Sylvius* & ejus sequaces, pluribus huic tractationi incubuerint. Et *Sylvio* hoc symptoma quidem arrisisse non est mirum, cum imprimis videretur facere ad confirmationem suæ hypotheseos. Nempe cum à succi pancreatici, variis modis vitiati, atque ab hujus cum bile effervescentiâ, non tantum infimi, sed & medii, & supremi ventris deduceret morbos, speciosum erat, affectionis, cujus symptomata erant molesta hypochondriorum distensio & flatus, non perfunctoriè meminisci. Quandoquidem enim symptomata eò loci sese exsererent, ubi commodior causa non reperiretur alia, quam vitiosa hæc effervescentia, hinc poterat peti argumentum confirmans humorum triumviratum. Verum ea ipsa tractatio evincit illud quod statim proposui, non aliam esse affectionem hystericam quam hypochondriacam. Expendamus accuratè, quæ Vir ingeniosus tradidit, & evadet manifestum, eum tam amplam hujus morbi proposuisse symptomatum sylvam, ut sub hoc nomine non tantum affectio hysterica & hypochondriaca comprehendatur, sed & scorbutus; pleraque enim, quæ Scorbutum comitantur phænomena recenset. Itaque

Probatur affectionem hystericam & hypochondriacam esse eandem

non

non alia est utraque affectio, juxta *Sylvium*, sed eadem: hypochondriaca affectio est appellatio generalis, complectitur suo ambitu & affectionem hystericam, & hypochondriacam in specie. Eodem modo *Philippus Hochstetterus* videtur usus vocabulo Hypochondriacæ affectionis, quandoquidem Hypochondriacam vocat Virginem, quam postea dicit *interdum quidpiam sensisse hysterici.* Decad. v. Cas. 3. inscripsit hoc modo: *Hypochondriaca flatuosa cum macie corporis.* Vid. pag. 570, 573. &c. Si Virgo quæ aliquid sensit hysterici, quæ affectu flatuoso fuit vexata, dicenda fuit hypochondriaca, juxta *Hochstetterum*, quam alii fortè appellâssent hystericam, non alius est affectus hypochondriacus quam hystericus; sunt hæc vocabula duo, synonyma.

Ambæ iisdem sunt stipatæ symptomatibus.

Evici, nisi fallor, eandem esse affectionem, evincendum porro est, eadem esse utriusque symptomata. Id apparet tum è *Sylvio*, tum etiam *Willisio*. In utraque specie ventris inferioris viscera afficiuntur, flatuum copia, rugitus, vomendi conatus, hypochondriorum distensio & murmur, respiratio difficilis, in thorace magna constrictio, vertigo, spasmi vexant. In hoc præcipuè videtur consistere differentia, quod globi cujusdam veluti adscendentis sensus proponatur in hystericâ affectione, cum in hypochondriaca tantum statuatur flatuum proventus ingens, in thorace constrictio magna, cum angustiâ. Verum non multum differunt hæc inter se, & originem habent è vulgi præjudicio, adscendentis scilicet uteri, cujus vestigia passim in medicorum scriptis exstant. *Adeo difficile est præjudicatam & inveteratam opinionem deponere, ac plane exuere.* In eo tamen laudandus *Willisius*, quod rectissimè animadverterit, affectionem hystericam etiam viros infestare, cujus rei exemplum proposuit. Idem ego & alii observarunt practici. *Philippus Hochstetterus* Decad. IV. cas. 4. hunc fecit titulum. Aphonia cum convulsivis motibus in adolescente. p. 389. refert nono die vocem rediisse, ægrum affirmasse *è faucibus aliquid decidisse ad inferiora.* p. 391. meminit *gesticulationum, quæ hysterica vitia saperent.* p. 397. dicit *hystericis technis similia accidentia* suasisse usum *Theriacæ.* In sequentibus adhuc testimonium *Zacuti Lusitani* adducam. Non quod utero in viris possit adscribi angustia faucium, sed quod eadem illa angustia, quæ in mulieribus

bus obſervatur, etiam in viris non deſit. Poteſtne ergo illuſtrior requiri confirmatio ſententiæ, à me propoſitæ, non alia eſſe ſymptomata hypochondriaca, quam hyſterica?

Eadem quoque eſſe ſigna utriuſque affectus hoc modo evincitur. Morbus ex effectis cognoſcitur. Eadem illa, quæ reſpectu morbi ſunt ſymptomata, in ſenſus incurrentia, etiam ſunt ſigna, quandoquidem ex illis latens morbus dignoſcitur. Symptomata & ſigna conſiderandi modo tantum differunt. Itaque ubi eadem occurrunt ſymptomata, eadem etiam ſunt ſigna. Iiſdem gaudent ſignis.

Curatio quoque eſt eadem. Quamvis enim menſes moventia in maribus locum non habeant, tamen illa ipſa, quæ huic negotio inſerviunt, nempe chalybeata, hic primas quoque obtinent. Eadem præſcribuntur, eadem proponuntur, verum ſub aliâ relatione, alio nomine. Chalybeata in maribus non ſunt menſes moventia, ſed ſanguinis vigorem, ventriculi robur reſtituentia. Chalybeata lentorem ſanguinis, aciditatem ſucci pancreatici emendant. Chalybeata etiam additis appropiatis flatus egregiè diſcutiunt. Eadem eſt quoque reliquorum medicamentorum & remediorum ratio. Curatione.

Dixi me è *Zacuto Luſitano* confirmaturum meam ſententiam, id quod paucis abſolvam, non libet enim ſpurcis narratiunculis immorari. Is diverſas proponit relationes è *Galeno*, & Hiſtor. 9. l. III. de M. P. H. hunc fecit titulum. *Uteri ſtrangulatio, & alia ſæviſſima ſymptomata in viris ex veneris abſtinentia ſequuntur.* Hinc concludo, quoniam affectio hypochondriaca & hyſterica in eo tantum differunt, quod affectio hyſterica proprie viris ob uteri defectum, tribui non poſſit, ſi tamen eadem ſymptomata medicos, præjudiciis occæcatos, impulerint, ut etiam ſymptomata uterina viris tribuerint, ob manifeſtam convenientiam, non alius eſt affectus hyſtericus, quam hypochondriacus. Zacuti Luſitani teſtimonium.

Non opus eſt jam multis explicare unde ortum fuerit hos duos affectus diſtinguendi præjudicium, cum hactenus tractare has affectiones non potuerimus, quin ſimul præjudicium illud tangeremus. Antiquorum oculi in explicanda affectione hyſtericâ præcipuè uterum reſpexerunt, hunc ſexum fœmineum imprimis exagitare ſibi perſuaſerunt, ita tamen ut ſymptomatum Præjudicii origo.

Ttt 2 evi-

evidentia eos coegerit etiam viris eandem tribuere affectionem: Recentiores obſervarunt nomenclaturam ab utero eſſe deſumptam, cum tamen uterus non adſcenderet, nec ſuffocationis eſſet cauſa: Viros itidem ſimilibus infeſtari ſymptomatibus. Alia ergo excogitanda fuit denominatio. Nomenclatura affectionis hypochondriacæ arriſit. Hactenus bene! Monendum erat diſtinctè, has affectiones inter ſe convenire. Non ſunt multiplicanda entia abſque neceſſitate. Ut autem ſententia mea facilius aſſenſum extorqueat, non inutile erit egregia *Walſmidii* adſcribere verba: *Hic affectus nomen ſortitur ab urgentiori ſymptomate: quia metus ſuffocationis ſeu ſtrangulationis deprehenditur. E. vocatur* uteri ſuffocatio, vel paſſio hyſterica, *quia putant uterum potiſſimum pati. A recentioribus vocatur* paſſio hypochondriaca, *cum eadem ſymptomata occurrere ſoleant, quæ in* hypochondriaca affectione. *p.* 708.

Gradibus differunt.

Non eſt tamen negligendum, id quod antea monui, gradibus differre has affectiones quando juxta ſexum diſtinguuntur. Nempe è ſtructurâ partium, & majori verſus infimum ventrem ſpirituum influxu in fœminis, è fluxu menſtruorum, è laboribus partus in graviora incidunt fœminæ ſymptomata, quam viri. Quod ſi fœmina in Epilepſiam incidat ſymptomaticam ea dicetur vel per conſenſum uteri, vel hyſterica. In maribus hæ diſtenſiones inteſtinorum non ſolent eſſe adeo graves, ſive ob ſtructuram partium, ſive ob vitæ genus exercitatione majori gaudere ſolitum, ſive etiam ob ſexum robuſtiorem. Deinde ſi vir Epilepſiâ corripiatur ſymptomaticâ, ea non ita facile hypochondriaca ſuffocatio, ſed potius dicetur Epilepſia per conſenſum ventriculi, lienis, vel etiam Epilepſia à repletione.

Varia Epilepſiæ hypochondriacæ nomina.

Quemadmodum ergo monui de affectione hypochondriacâ & hyſtericâ, eas convenire, ita itidem monendum eſt Epilepſiam hypochondriacam variis poſſe donari nominibus, quamvis revera ſit eadem Epilepſiæ ſpecies. Poteſt dici Epilepſia per conſenſum ventriculi, per conſenſum lienis, è repletione &c. Et quidem Epilepſia per conſenſum ventriculi, quandoquidem ventriculus in hoc caſu officio ſuo non ſatis defungitur. Deinde quoniam ejus inflatio non tantum cum inflatione hypochondriorum conjungitur, ſed & non ita facile diſtinguitur, ob loci viciniam. Quid? Quod

Quod *Higmorus* præcipuam affectionis hypochondriacæ causam in vitiosam ventriculi constitutionem retulerit? *Willisius* eatenus huic auctori consentit, ut ventriculum sæpe graviter laborare concedat. Per consensum lienis, quandoquidem hypochondriacæ affectiones lieni sunt tributæ, uti è *Willisio* patet, de qua opinione in sequentibus. Denique è repletione, quandoquidem in repletione ventriculus magis oneratur, deinde, quandoquidem ingluvies causa est distensionis intestinorum, & copiosioris flatuum proventus. Quid? Quod ingluviem non rarò excipiat affectio hypochondriaca? In genere, omnis Epilepsia à repletione cum molestâ distensione hypochondriorum, & symptomatibus hystericorum æmulis, rectè potest dici hypochondriaca. Dubitationi adhuc relinquitur locus, an Epilepsia hypochondriaca possit oriri ab inanitione, quemadmodum illud in Hystericâ non est infrequens? Responsio non est difficilis: nempe evacuationes tam subitaneæ, per vasa arteriæ magnæ descendentes, maribus non sunt solennes, per hæmorrhoides non sunt ita repentinæ, ut exinde in Epilepsiam incidat æger. Epilepsiæ igitur hæ non sunt aliæ, quam eæ de quibus in superioribus disputavimus, nempe ab hæmorrhagiâ ortum ducentes. Mutant itaque nomen hi insultus, quamvis non malè possint statui ad hanc etiam speciem pertinere, quando nempe hypochondriacus nimiâ corripitur hæmorrhagia, atque ante insultum Epilepticum apparent symptomata eadem, quæ in hypochondriacis observari solent. Posset etiam Epilepsia hypochondriaca aliquomodo statui ab inanitione originem habere, quando in debilioribus ab affectu hypochondriaco oritur lypothymia, & quando lipothymiam sequitur Epilepsia symptomatica. Potest huc quoque referri Epilepsia pedissequa purgationum de qua in differentiis. Hæc comparatio Epilepsiarum, earumque distributio in suas classes, ad feliciter & judiciosè praxin exercendam, alicujus mihi videtur momenti.

Dicat fortasse aliquis: facis tu quidem mentionem Epilepsiæ per consensum lienis, cujus ne quidem *Sennertus* aut *Jonstonus*, qui fere se instar indicum habent, meminerunt. Respondeo; quamvis hi Auctores neglexisse videantur hanc Epilepsiæ per consensum speciem, meminerunt tamen ejus alii, adeoque ni- *Objectionis solutio.*

 hil

hil hic ſuppono, quam id quod apud practicos etiam annotatum invenio. *Godefridus Steghius* in Artis medicæ l. VII. c. 3. p. m. 320. affirmat: *frequenter ex jecore, liene, ventriculo, partibus inferioribus, quando aut proprio vitio, aut per ciborum pravitatem, noxios humores collegerunt* excitari Epilepſiam. En Epilepſias è jecore, liene, & ventriculo ſimul traditas! En omnes Epilepſias à repletione, quia dicuntur hæ partes *noxium humorem collegiſſe!* Eadem pagina dicit: *Epilepſiam à liene eſſe ſatis frequentem à ſucco melancholico* &c. p. 323. commendat *evacuationem per alvum & vicina: quando ex ventre, pancreate, meſenterio, lociſque contiguis, ubi multa plerumque humorum excrementitiorum eſt congeries, originem habet Epilepſia.* En auctorem ante detectum pancreatis uſum, tamen ejus facientem mentionem! En iterum Epilepſiam à repletione, ex humorum excrementitiorum congerie. *Lazarus Riverius* ea proponit ſigna, quæ ſatis ſuperque evincunt, Epilepſiam ab hepate & liene per conſenſum; non eſſe aliam, quam eam quæ jam ſub nomine Epilepſiæ hypochondriacæ deſcripta eſt. Hæc ſunt ejus verba: l. I. c. 7. *Ab hepate, vel liene malum oriri, ſignificant flatuum frequens & copioſa excretio, ventris inflatio, rugitus, borborygmi, ructus acidus, præcordiorum moleſta coarctatio, eorumque dolor ad dorſum uſque interdum procedens. Quibus addere licet vitia peculiarem ventris inferioris partem obſidentia.* Viden' me rectè, & convenientur antiquorum loquendi modis, Epilepſiam hypochondriacam dixiſſe Epilepſiam per conſenſum lienis? Viden' eam quoque poſſe dici per conſenſum pancreatis, hepatis & meſenterii? Viden' eadem ſigna horum affectuum, quæ in Affectione hypochondriacâ quoque obtinent? Viden' illos per nebulam vidiſſe à repletione eſſe deducendas omnes has Epilepſiæ ſpecies? In eo fuerunt decepti, quod humores, verſus inteſtina ſecretos, putarent excrementitios. Quod lienem focum ſtatuerent ſucci melancholici. Quod vapores conſiderarent hinc verſus cerebrum elevatos. Quod commotionis ſanguinis, quod nervorum intercoſtalium, diaphragmatis, aut octavi paris non meminerint. Quod motum ſanguinis, quod repletionem arteriarum carotidum non conſideraverint. Revera copiâ peccant humores à ſanguine ſecreti, quando ſanguis abundat, quia ſecretio humorum ordinarie

narie sanguinis copiæ & crasi est proportionata. Peccant non rarò etiam vel visciditate, vel acrimonia, verum Epilepsia tum demum producitur, quando spiritus animales, quando sanguis, quando cerebrum in consensum trahitur, eoquo explicatum est modo.

Ut autem appareat Epilepsiam hystericam & hypochondriacam eundem esse affectum, oportet considerare convulsiones in hoc casu non habere originem à partibus solidis, sed à fluidis, à repletione, à flatibus, à vitiatis versus intestina confluentibus humoribus, à nimiâ repletione arteriarum carotidum, à spirituum animalium turbulento motu. Quandoquidem autem de hisce in superioribus est actum sufficienter, hic tantum monendum est, uterum non transmittere vapores ad cerebrum, nec nervis suppeditare particulas spasmodicas ad cerebrum deferendas, sed, vel defectu evacuationum ordinariarum, sanguinis copiam nimium augere, tenaciorem reddere, atque debilitare: vel nimiâ excretione universum corpus exhaurire, & vires frangere. Hypochondria itidem, quatenus tensione nimiâ sanguinis motui officiunt, atque dolores, anxietatesque producunt, sanguinis & spirituum motum ordinarium pervertunt. Possem eodem modo respectu ventriculi, pancreatis, hepatis demonstrare, partes non tam solidas quam fluidas debere considerari, respectu Epilepsiarum, hinc ortum ducentium, nisi res videretur manifesta. Quod si tamen vitium partium solidarum conjungatur, id quod fieri potest, tanto facilius succedet Epilepsia, præcipuè si dolor exquisitus accesserit. Ulterior confirmatio

Placuit *Willisio* in tractatione de Affectione hypochondriaca copiosè agere de liene, illiusque vasis, & usu. Ego paucis hæc absolvam. *Willisius* agit de hisce affectibus, tanquam à partibus solidis originem ducentibus, atque longo intervallo à se mutuo remotis, cum ego putem me evicisse in superioribus, nomina & gradus differre, affectus ipsos convenire. Lien in hoc casu non magis est culpandus, quam ventriculus, hepar aut pancreas. Neque etiam particulæ atrabilariæ in liene turgescunt sponte, vel à causa evidenti commoventur, nec nervos subeunt, aut spiritus animales, ibi scaturientes in explosiones adigunt &c. Pullulant hi errores è duplici fonte, altero quidem è præjudicio veterum, lienem focum melancholiæ Willisii sententia.

&

& atræ bilis ſtatuentium, altero proprio *Willisii*, ab exploſione ſpirituum animalium motum convulſivum deducentis. Utriuſque hujus opinionis error, ex iis quæ dicta ſunt, & quæ adhuc dicenda reſtant, apparet, atque ulterius apparebit. Mirum ſanè Virum curioſum non vidiſſe, falſis & non demonſtratis principiis totum hoc innixum ædificium, levi impulſu ruinam minari. Ipſa refert ſe in diſſectione cadaveris lienem & alia viſcera ſine culpâ inveniſſe. p. m. 182.

Lienis Uſus.

Longè nobilior eſt lienis uſus, qui non è præjudicio, ſed è vaſis, & ſtructura erui debet. Caret lien vaſe excretorio, gaudet arteriis conſpicuis, ſanguinem ab arteriis receptum iterum in venæ portæ ramificationes effundit, ad truncum, atque ita porro ad hepar deferendum. Uſus ergo ejus eſt, inſtar vaſis chymici circulatorii ſanguinem exaltare, ejuſdem motum inteſtinum intendere, fortè etiam fluidorem reddere, ut facilius verſus hepar propelli, minimos ejus tubulos promptè pertranſire, ac, cum miſcellâ ab inteſtinis, ventriculo &c. reflua, bilis ſecretioni inſervire poſſit. Obſervarunt jamdudum Practici lienem ſæpe immeritò culpari, verum non libet teſtimoniis corradendis bonum otium conterere. Producam tantum teſtimonium ejus, quem antea laudavi, *Philippi Hochſtetteri*, idque eo libentius, quandoquidem vixit illo ſæculo, in quo præjudicium de liene, foco melancholiæ, adhuc obtinebat. In Decad. v. Caſ. 1. hunc in modum locutus eſt. *Focum cauſæ morbidæ in hypochondriis latere audax pronunciavi; non quidem ex nobili lienis viſcere, tot arteriis aurâ vitali prægnantibus dotato, ut quidem imperitarum muliercularum garritus ſuſurrat, & nonnulli ſomniant Medici; hinc fabula illa narratur toti notiſſima terræ, peccata hypochondrii innocui lieni adfricari. Non poteſt hoc nobile viſcus, pluribus beatum arteriis, tenuiſſimis condecoratum vaſis, vitali multum calore gaudens, non eam infamiæ ſubterfugere notam, ut non audiret fæculentæ ſaburræ, & flatuum nocentium, diſtendentium rugientiumque hoſpitium eſſe.* & quæ ſequuntur plura, lectu digniſſima.

Quare ſeparatim de affectu hyſterico, & hypochondriaco agendum

Quamvis autem huc uſque docuerim hyſtericam & hypochondriacam affectionem eſſe eandam; quamvis oſtenderim tractationem uberiorem de liene hic eſſe minus neceſſariam, quandoquidem hoc viſcus ſæpe immerito culpatur, non credidi

di tamen inutile ſi diſtinctis capitibus de utroque agerem affectu. Conſcribitur praxis potiſſimum in gratiam juniorum, & ægrotantium utilitatem: itaque ſi occurrat æger, quem minus expertus credit eſſe, vel hyſtericâ paſſione, vel hypochondriaca affectum, ſtatim quæret caput hunc præferens titulum, ſi non inveniat, putabit auctorem nihil de eo conſcripſiſſe affectu, nec ulterius inveſtigabit: itaque præſtat bis eadem ſcribere & proximo prodeſſe, quam ſciendi & ægrotis opem ferendi cupidum deſtituere. Deinde cum jam invaluerit mos de hiſce affectibus ſeparatim agendi, ita ambo tractentur, ut appareat eundem eſſe affectum. Non tractetur in altero de ſpirituum dyſcraſia, in altero de liene, & ſanguinis vitio. Sunt plures morbi qui cognatione quadam inter ſe conjunguntur, Apoplexia & Carus, Phrenitis & Coma vigil, Coma ſomnolentum & Lethargus, nemo tamen facile dixerit inutile eſſe de hiſce ſingulatim agere. Quinimo oportet, non obiter, ſed pluribus oſtendere, eundem debere formari conceptum generalem.

Eſt ergo Affectio hypochondrica *moleſta hypochondriorum diſtenſio, cum anxietatibus circa præcordia, aliquando faucium inſigni anguſtiâ, & convulſionibus inteſtinorum atque artuum.* Deſcriptio affectionis hypochondriacæ.

Vides deſcriptionem planè ſimilem deſcriptioni paſſionis hyſtericæ, niſi quod hic primo meminerim diſtenſionis hypochondriorum, quod à me factum eſt, partim ut denominationis rationem explicarem, partim ut oſtenderem anguſtiam faucium non ſemper eſſe æque gravem. Deinde ubi plura ſunt enumeranda ſymptomata ſatis moleſta, diverſus ordo non mutat affectum. Eſt hic aliqua libertas, & latitudo, pro diverſo concipiendi modo. Feci tamen mentionem anguſtiæ faucium, nec non convulſionum, uti illud etiam in Affectu hyſterico actum eſt. Non expreſſi ſubjectum hujus affectionis, quandoquidem affectio hypochondriaca conſiderata tanquam levior ſpecies hyſtericæ, poteſt etiam fœminis tribui. Si quis tamen velit ad diſtinctionem utriuſque affectus, hujus ſubjectum debere ſtatui mares, prioris fœminas, atque utriuſque eſſe aliquam latitudinem, ei non repugnabo. Ea explicatur.

Epilepſia hypochondriaca *eſt artuum vehemens convulſio ſymptomatica, cum infimi ventris viſcerum inflatione, & majori vel mi-* Deſcriptio Epilepſiæ hypochondriacæ.

 nori

nori mentis obnubilatione, ab affectu hypochondrico ortum ducens, vel saltem cum illo copulata.

Ea explicatur.

Vides descriptionem Epilepsiæ hypochondriacæ, re ipsâ convenientem cum descriptione Epilepsiæ hystericæ, adeo ut explicatio ex iis, quæ præcedenti capite disputavi, satis fiat manifesta. Reddenda tantum est ratio, quare in fine addiderim, Epilepsiam hanc cum Affectu hypochondriaco esse copulatam. Id ideo factum est, ut ostenderem Epilepsias, quæ alio insigniuntur nomine, quamvis ad hanc speciem pertineant, ex eo cognosci huc spectare, quod cadant in homines symptomatibus hypochondriacis vexatos, quemadmodum non raro apud auctores practicos videre est, judicium fieri de affectu lienoso, ex eo quod æger sit taciturnus, & ad mæstitiam pronus. Epilepsia post colicam, cum multis gravibus symptomatibus, cujus meminit *Gabelchoverus* Curat. 95. Cent. 1. potest non incommode referri ad Epilepsiam hypochondriacam, nisi malis eam ad Epilepsiam pedissequam doloris reducere, vel febrilem, vel per consensum ventriculi, vel e repletione. Victus errores, & varia symptomata, nomenclaturam reddunt ambiguam.

Causæ.

Causæ sunt eædem quæ hystericæ, sanguinis copia, visciditas, seu minor vigor, consuetarum hæmorrhagiarum suppressio, nimia sanguinis evacuatio, flatuum copiosus proventus, denique animi pathemata.

De suppressione hæmorrhagiæ consuetæ, & fluxus hæmorrhoidum.

Quandoquidem de hisce omnibus superiori capite pluribus est actum, sufficiet observâsse, me loco suppressionis menstruorum hic substituisse suppressionem consuetarum hæmorrhagiarum. Nempe si affectus hystericus fœminis, hypochondriacus maribus tribuatur, in hoc, loco suppressionis menstruorum, debent substitui hæmorrhagiæ ordinaria suppressæ. Nempe ad evacuationem nimiæ repletionis naturæ sæpissimè exitum p. n. invenit. Ita non raro excitatur, vel hæmorrhagia narium, vel fluxus hæmorrhoidum copiosus. Ubi hæ evacuationes solitæ supprimuntur, mares non minus è repletione laborare possunt, quam fœminæ ubi menses, vel lochia cessant. Hæmorrhagia narium si deficiat, corpus in universum repletur, unde sanguinis viscididitas nimia ortum ducit.

Ea-

Eadem eſt ratio fluxus hæmorrhoidum ſuppreſſi, producentis itidem majorem copiam & viſciditatem ſanguinis. Non quod hac viâ excernatur ſanguis fœculentus, ſed quod copia nimia corpus gravet, & viſciditatis cauſa ſit. Præjudicium illud Veterum originem habuit ab ignoratione circulationis ſanguinis, & quod venæ hæmorrhoidales propè lienem (quem credebant melancholiæ focum) originem ſumerent. Poſt detectam autem circulationem ſanguinis, notiſſimum eſt, haſce venas non convehere ſanguinem verſus inteſtinum rectum, ſed eundem, per arterias advectum, revehere verſus venam portæ. Quod ſi autem non vehant ſanguinem à liene verſus inteſtinum rectum, lien hac via ſeſe à ſuis fœculentiis exonerare non poterit. Viſciditas, quæ ſequitur defectum excretionis oritur à copia, ob defectum ſufficientis expanſionis, quemadmodum idem illud in menſium defectu locum habet.

De ſanguinis evacuatione nimiâ.

Quæ dixi de ſanguinis evacuatione nimia, intelligi debent de ea quæ repente fit, alias enim diſpoſitio quidem ad Epilepſiam hanc, non autem ipſa producetur. Si verò evacuatio ſit repentina, producentur quidem Epilepſiæ, ſed mutant nomen. Nempe ſi vir è copioſiori jactura ſanguinis conjiciatur in Epilepſiam, ille non facile dicetur corripi Epilepſiâ hypochondriaca, ſed Epilepſia ab inanitione, ſive ab hæmorrhagia. Verum cum de hac Epilepſiæ ſpecie in ſuperioribus ſit actum, non eſt neceſſe explicationi ulterius immorari. Sufficiet obſervaſſe, ſi ſymptomata hypochondriaca ſint familiaria illi qui Epilepſia ſymptomatica corripitur, ſuſpicari fas eſſe hanc Epilepſiam rectè dici hypochondriacam. Verum de nomine non eſt de certandum, quando de re conſtat.

Prudentia medici.

Cum autem hic & ſuperiori capite explicuerim, quomodo idem affectus à cauſis contrariis originem ducat, apparet, quam attentè Medicus officio ſuo defungi, quam ſedulò praxi incumbere debeat, ne in cauſa determinanda, & remediis adminiſtrandis, malè calculum ponat. Id facile poſſe contingere, mihi aliquando, cum duobus aliis medicis praxim exercenti, videre contigit. Matrona, alias ſatis vegeta, laborabat è nimio menſium fluxu, & diarrhæa copioſiore, uti poſtmodum repentinus obitus docuit. Inſtitutus fuit ſermo, non

diu ante obitum, de V. S. instituenda, quæ tamen omissa est, cum ego Collegam monerem, atque in memoriam revocarem, fluxum menstruum præcessisse copiosum & continuatum. Ex eventu funesto colligere licuit V. S. non potuisse non interitum accelerare.

Differentiæ. Differentia eadem hic habet locum, cujus in superiori capite memini. Alia sc. est Idiopathica, alia, Sympathica. Si æger munia sua quotidiana obeat, & tamen frequenter corripiatur Epilepsiis, cum insigni inflatione sinistri hypochondrii, & anxietatibus circa præcordia, ille non malè dicetur, laborare Epilepsiâ hypochondriacâ Idiopathicâ. Si vero quis in Febrem incidat, & è febre in convulsiones, ille potest dici correptus esse Epilepsiâ vel febrili, vel hypochondriacâ. Vel si cui hæ appellationes non arrideant, quandoquidem Epilepsia hypochondriaca propriè loquendo omnis est symptomatica, uti è tabula constat, is poterit dicere, Epilepsiam hypochondriacam vel solam, vel una cum febre infestare. Deinde alia est à repletione, alia ab inanitione. Utraque potest donari variis appellationibus. De nominibus variis Epilepsiæ hypochondriacæ à repletione vidimus. De Epilepsia ab inanitione ob hæmorrhagiam quoque vidimus. Verum ad Epilepsiam hypochondriacam ab inanitione non malè quoque posset referri Epilepsia pedissequa purgationis; in hoc enim casu non tantum venter & intestina, adeoque hypochondria dolent, verum etiam à flatibus pessimè mulctantur. Saltem si hæc symptomata hypochondriacum afficiant, nullum est dubium, quin possit optimo jure ad hanc speciem referri.

Affectio ipsa hypochondriaca vel gravior est, vel levior: Quando gravior est, mutat nomen, uti vidimus, & dicitur vel Epilepsia vel Convulsio, quando levior est, vel tantum motibus convulsivis stipata, simpliciter dicitur affectio hypochondriaca, vel in fœminis hysterica. Non debet hoc mirum videri, cum sint morbi congeneres, cumque superius è *Paulo Barbette* ostensum sit, eundem affectum, diversorum symptomatum respectu, diversis posse insigniri nominibus. Alia adhuc est differentia, quod sit vel recens, vel inveterata. Alia, quod symptomata aliquando circa ventriculum, aliquando-

do in inteſtinis, ſint obvia. Alia anhelatione & reſpirationis difficultate, alia globo in faucibus, alia obnubilatione mentis atque convulſionibus, vel motibus convulſivis ſeſe potiſſimum exerit.

Signorum in ſuperioribus è *Riverio* eſt facta mentio. Libet ea porro è *Cardalucio* proponere: *Ab hepate verò vel liene primordium ſagittari portendunt multi ructus acidi, flatuumque copia, borborygmi, ruptus & murmura HYPOCHONDRIORUM, præcordiorum tenſio & coarctans moleſtia, concurrente ſimul reſpiratione difficili, & ſpiritus anguſtia non perenni, ſed per vices exorbitante, aliaque,* &c.

Prognoſis ita habet: omnis Epilepſia hypochondriaca eſt periculoſa, quandoquidem eſt ſymptoma, morbum, à quo dependet, aggravans: Deinde quandoquidem functiones animales vel obnubilat, vel ad tempus tollit. Si differentia affectionis hyſtericæ & hypochondriacæ in eo ſtatuatur conſiſtere, quod hæc ſit illius minor gradus, manifeſtum eſt, minorem gradum etiam minus inferre periculum. De Epilepſia hypochondriaca ſola affligente, judicium debet fieri, pro ratione cauſarum unde illa dependet: de ea ſpecie quæ à febre ortum ducit, juxta naturam febris, quæ hanc produxit. Huc pertinet *Hipp.* Aph. 73. l. IV. Ὁκόσοισιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορίζοντα. ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγενομένου, αἱ κοιλίαι τουτέουσι καθυγραίνονται, ἢν μὴ φῦσαι καταῤῥαγέωσιν, ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ. ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα. item 26. II. Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γενέσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ nec non 66. IV. ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσιν ὀξέσιν οἱ σπασμοὶ καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν. Quando Epilepſia hypochondrica nomen mutat, judicium fieri debet ſecundum ea quæ antea de hiſce fuſius diſputavimus. Non inutile eſt conſideraſſe ea quæ *Hippocrates* habet. L. VII. Pop. ſ. VIII. §. 95. Spectant enim ad hanc Epilepſiæ, ſpeciem. Οἱ μελαγχολικοὶ καὶ ἐπιληπτικοὶ εἰώθασι γίνεσθαι ὡς ἐπιτοπολύ. καὶ οἱ ἐπίληπτοι, μελαγχολικοί. τούτων δὲ ἑκάτερον μᾶλλον γίνεται, ἐφ᾽ ὁπότερα ἂν ῥέψῃ τοῦτο τὸ ἀῤῥώστημα. ἢν μὲν ἐς τὸ αἷμα ἐπίληπτοι. εἰ δὲ ἐπὶ τὴν διαίνοιαν μελαγχολικοί. Ad Epilepſiam ex inanitione ſpectant duo Aphoriſmi ſequentes 3. V. Ἅιματος πολλοῦ ῥυέντος. σπασμὸς ἢ λυγμὸς

μὸς ἐπιγενόμενος, κακὸν 4. V. Ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγενόμενος, κακόν. *Hochſtetterus* habet obſervationem, quæ docet in variolis &c. ſanguinis ἄνω & κατὼ eruptionem eſſe lethalem; in exemplo autem quod adfert, Epileptici aliquot inſultus filium Senatoris malè mulctârant. *Vid. ejus Caſ.* 8. & 9. *Decad.* 1.

Indicationes. Indicationes ſunt eædem, quas capite præcedente vidimus, niſi quod menſes in maribus non poſſint, hæmorrhoides, aut hæmorrhagia non debeant promoveri. Si ſanguinis evacuatio ſit neceſſaria, ad manum ſunt inſtrumenta huic uſui dicata. Licet autem menſes moventia in maribus non conveniant, conveniunt tamen eadem, quæ ad menſes movendos non minimæ ſunt efficaciæ. Chalybeata in Affectione & Epilepſiâ hypochondriacâ viros affligente, non minus habent locum, quam in affectu hyſterico, ab obſtructione menſium ducente ortum. Vidit id optimè *Williſius*, qui in tractatione de Affectione hypochondriacâ fuſe de *Chalybeatis* agit medicamentis. Idem illud in nomenclaturâ medicamentorum habet locum, quod circa appellationes morborum in ſuperioribus monuimus. Idem medicamentum, diverſarum partium reſpectu, dicitur aliquando Cephalicum, aliquando cardiacum, aliquando ſtomachicum, hepaticum, ſpleneticum &c. Reſpectu operationum Menſes movens, urinas ciens, ſudores promovens &c.

Cura. V.S. Curatio eodem peragitur modo, quo in ſuperioribus vidimus curationem affectus hyſterici peragendam eſſe. V. S. eodem modo convenit, quemadmodum præcedenti capite explicatum eſt: videlicet ſi ſanguis peccet copiâ, aut ſi ſolitæ evacuationes ſint ſuppreſſæ. Imo quandoquidem hic nullæ evacuationes poſſunt tutò promoveri V. S. in hoc caſu aliquanto magis neceſſaria eſt. Non eſt tutum hæmorrhoidum fluxum aloëticis, aut ſimilibus promovere: præterquam enim quod ante fluxum inflammatio cum ſæviſſimo cruciatu ſoleat dies noctesque valdè torquere: ſi corpus tali evacuationi aſſueſcat, ea vires non parum atterere poteſt. Adde quod ubi arteriolæ illæ nimium ſunt apertæ, non facile nec commode fluxus ille compeſcatur. Quid? Quod ani affectibus & inflammationibus non raro ſuperveniat fiſtula, affectus moleſtus & ſatis frequens?

Hoc

Hoc ideo monendum est, quandoquidem quidam prima hujus fluxus rudimenta negligunt, persuasi insigne inde ad illos redundare emolumentum. Non est etiam tutum hæmorrhagiam narium excitare, quandoquidem non semper in manu est medici eandem pro libitu supprimere. Dein hæc evacuatio etiam prima specie læta, progressu est dura, eventu tristis; fatigat enim & enervat ægrum. V.S. ergo in Epilepsiâ hypochondriacâ convenit, quandoquidem symptoma hoc plerumque oritur à repletione. V. S. convenit, quandoquidem suppressioni hæmorrhagiæ narium, ac hæmorrhoidum melius succurri non potest. Confirmatio peti potest è Casu 4. Dec. IV. Observationum medicinalium *Hochstetteri*, cui hunc inscripsit titulum: *Aphonia cum convulsivis motibus in adolescente.* Non male posset & hæc præfigi inscriptio. *Epilepsia hypochondriaca in adolescente* XXII. *annorum.* In hac historiâ illud memoratu dignum, quod cum per quinque dies varia in usum essent vocata medicamenta, absque insigni successu, sexta die pertusa fuerit vena, cum maximâ εὐφορίᾳ. *A vena secta paroxysmus nullus; mens sana* &c. Ejusdem decadis cas. 1. habet hanc observationem & inscriptionem. *Aphonia convulsa à Phlebotomiâ recipit loquelam. Riverius* refert obs. 45. Cent. 1. Matronam colica ventriculi correptam (malim ego dicere hypochondriaco affectu, dolores enim vehementissimi ventriculi & lienis regionem occupabant) quæ neque formentis, neque purgatione sedari poterat, phlebotomia celebrata è brachio sinistro, statim à doloribus fuisse liberatam. Non opus est plura congerere. Vicariæ V. S. possunt esse cucurbitulæ scarificatæ, & hirudines.

Emeticis.

Emetica hic etiam conveniunt, cum ventriculi suburram nimiam exhauriant, & in hoc symptomate ventriculi vitium imprimis considerandum esse monuerit *Hichmorus.* Rectè *Walsmidius. Vomitoria juvant Hypochondriacos citius, quam purgantia.* &c. p. m. 72. *Gabelchoverus* cuidam, è nimio farciminum esu variis symptomatibus vexato, præscripsit cum successu hoc vomitorium. ℞. *Oxim. sim.* ℥ij.

Aquæ Rhaphan. destill. ℥ß.

Sacchar. rubr. ʒij.

Commisce cum quartali, vel ℔j. *aq. hordei non excorticati, & tepidum bibat.* Vid. *Curat.* 18. *Cent.* 1.

Purgantibus

A purgantibus in hoc caſu etiam planè abſtinere non licet, quamvis ea non tam benè audiant, quam vomitoria. Quare autem purgantia iterata non ita commode exhibentur? Non tantum, quia humores acidi difficilius evacuantur, uti illi exiſtimant, qui à ſucci pancreatici nimio acore plures deducunt morbos; ſed imprimis, quod frequenti illa commotione, ſanguinis & partium vigor debilitetur, ac ægroti nimium purgationibus adſueſcant, adeo ut alvus frequentiſſime remaneat pigra, niſi medicamenti cathartici ſtimulo irritetur. Præſtat igitur validius medicamentum exhibere ſemel atque iterum, quam crebro iteratis medicamentis fatigare ægrotum, niſi circumſtantiæ non exigui momenti aliud ſuadeant. Evacuantium neceſſitas ex eo eluceſcit, quod ſymptoma hoc oritur è repletione. Confirmatur ex eo, quod ante purgantium uſum antepileptica &c. noceant, poſtea proſint, uti illud perquam bene obſervavit *Hochſtetterus* in hiſtoria ſuperius laudata, p.m. 400. vide quoque pag. ſeq.

Sanguinis vigorem reſtituentia.

Sanguinis defectui ſubveniunt cibi εὔχυμοι, & concoctu faciles: concoctioni, & ſpirituum inertiæ, exercitium moderatum, & ſomnus. Eleganter *Hippocrates*. Popul. VI. v. 16. Πόνος τοῖσι ἄρθροισι καὶ σαρκὶ σῖτος· ὕπνος τοῖσι σπλάγχνοισι. Ita enim ſanguis magis comminuitur, dilatatur, propellitur, artus, ventriculus, roborantur, ſecretiones & excretiones rectius peraguntur, adeo ut exercitium moderatum hic utramque abſolvat paginam. Verum oportet ut ſomnus placidus exercitium excipiat, ne ſpiritus nimium diſſipentur.

Chalybeata.

Chalybeata hic uſus ſunt ſummi, quandoquidem pluribus ſatisfaciunt indicationibus. Chalybeata ſanguinis vigorem inſtaurant. Chalybeata ventriculum confortant, ejuſque cruditatem acidam, huic affectui aliquando copulatam, emendant. Chalybeata chylificationem in ventriculo, chyli ſecretionem in inteſtinis, nec non fæcum alvinarum expulſionem adjuvant. Chalybeata, ſi jungantur carminativis, pituitam incidunt, flatus diſcutiunt, eorundemque proventum copioſiorem & moleſtum impediunt. Chalybeata ab omnibus prædicantur in talibus affectibus. Reſtat ut aliquas ſubjungamus formulas, præter eas quarum in ſuperioribus eſt fa-

facta mentio. *Claudinus* refert se hoc Electuario uti familiariter:

℞. *Limatur. Chalyb. præp.* ℨiij.
Cinnamom.
Nucis musch. aa ℨjß.
Rhabarb. el. subt. pulv. ℨj.
Spec. Aromat. ros. ℨiij.
Sacchar.
Mellis aa ℥vij.
M. & F. Electuarium s. a. cujus Dosis erit ℨß.

Vinum chalybeatum ejusdem:

℞. *Limatur Chalyb. ppt.* ℔j.
Vini optim. & generos ℔vij vel viij.
Pulv. Caryophyll. ℥vj.
M. & ponantur in vase vitreo bene obturato, quod per dies continuos in stupha fornacea contineatur, & quotidie agitetur, postea quotidie exhibeatur ab ℨiij sensim ad ℨv adscendendo per XL dies.

Plures ejusdem formulæ possunt videri Cap. de Scirrho Lienis &c.

PILULÆ CHALYBEATÆ.

℞. *Limatur. Chalyb. puriss.* ℥ß.
Gumm. Ammon. acet. dissolut. ℨij.
Croci Britannic. ℨj.
Ol. Succin. ℈ß.
F. Massa. è cujus ℨj. possunt formari pilulæ. xij.
Dos. à ℨß. ad ℨj. & ultra.
Si quis has voluerit reddere purgantes, id poterit fieri, addendo *Trochiscos Alhand. Aloën, Diagrydium, Resinam Jalapp.* &c.

Non est necesse hic fuse docere, quomodo reliquis indicationibus sit satisfaciendum, cum id è capite superiori sit petendum. Idem est affectus, eadem curatio.

Verum cum hic ſit morbus flatulentus, non inutile erit ſubjicere *Spiritum cephalicum*, in hoc morbo non exigui uſus, quandoquidem ſimul flatus egregie diſcutit.

SPIRITUS CEPHALICUS.

℞. *Rad. Calami aromat.* ℥j.
Angelic. ℥ß.
Fol. Sabin. m. iij.
Puleg. m. j.
Majoran. nob.
Thymi.
Serpill.
Hyſſop. aa m. ß.
Flor. Lavend.
Lilior. convall. aa p. ij.
Sem. Apii ℥ß.
Leviſtic.
Petroſel.
Carui. aa ʒij.
Succin. alb.
Baccar. junip. aa ℥ij.
Cort. Arant. } *exter. aa* ℥ß.
Citri. }
Garyphyllor.
Nucis muſcat. aa ʒij.
M.

Stent in infuſione per octiduum in *Sp. Vini Gallici* ℥cxx. tum deſtilla in arena ad medias, liquorem deſtillatum ſerva in Lagena vitrea probè obturata. Doſis eſt ab. ℥ß. ad ℥j. & ultra, cum vehiculo appropiato. ex. gr.

℞. *Aq. Ruth.*
Puleg. aa ℥jß.
Spir. Cephalic. ʒx.
Cochlear. ʒß.
Sal. Volat. ol. g. xv.
M.

Diæ-

Diætæ loco sit hoc aureum *Hippocratis* monitum. Pop.VI.6.§.6. Πόνοι, σιτία, ποτὰ, ὕπνος, ἀφροδίσια, μέτρια.

Non ago de Epilepsia Scorbutica, quandoquidem hæc, absque Scorbuti ipsius tractatione, intelligi nequit, hujus autem disquisitio majoris est indaginis.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Subsultibus, & Convulsionibus in somno.

NOn solent Medici de hisce affectibus agere, quandoquidem sanis accidunt, & fere pravæ sequelæ expertes sunt. Posset itaque videri minus necessarius labor, hanc materiam, de qua nunquam aut rarissime consuliter medicus, in specie pertractare. Cum autem revera sint convulsiones, nec hæ in tabula spasmorum negligendæ fuerunt. Non est inutile etiam de illis speciatim agere, cum practici munus sit omnia quæ tum sanis, tum ægris contingunt, quam accuratissime perspecta habere, ut tanto felicius in tractatione ægrotum versetur. Hinc ego cum summa voluptate legi *Sydenhamii* lucubrationes, quod diligenter minimas circumstantias annotârit, quæ ab aliis negligi solebant. Observamus etiam in ægrorum curatione, quotidie specialia quædam occurrere, quæ sæpe perverse explicantur, non potest autem non practicus à curationis rectæ tramite aberrare, si symptomata, ægrotos male mulctantia, è falsis explicet principiis. Itaque tantum abest, ut hæc materia intacta sit relinquenda, ut magis sit necessarium eam exactius rimari. Quemadmodum in anatomiâ minimi vasorum ductus, in osteologiâ processus, appendices, figura, articulationes ossium, oculos & mentem curiosorum ad se convertunt, ita in praxi nihil est negligendum, quod ad accuratam cognitionem morborum, & felicem curationem eorundem facit. Tractationis utilitas.

Contingit non rarò sanis, ut, postquam cubitum iverunt, & prima quies defagationem diurnam abstergere incepit, subitò manus, pedes, totumque corpus cum impetu ita contrahant, ut repente excitentur, tanquam si è loco sublimi prosterne- Subsultus in somno.

 ren-

rentur: hæc convulsionis species mihi non male videtur posse appellari, subsultus in somno.

Descriptio eorundem.

Sunt Subsultus in somno, *contractiones membrorum omnium convulsivæ, sanis dormientibus contingentes, & somnum excutientes, quasi è loco alto caderent.* Sunt contractiones membrorum omnium, quod nulli potest esse ignotum, qui illis vel semel fuit obnoxius. Sunt convulsivæ, quandoquidem membra vehementius, subito, & absque voluntatis imperio contrahuntur. Dixi contractiones hasce accidere sanis, vocabulo usus in lata significatione. Ut aliquis habeatur sanus, sufficit ut actiones suas absque molestiæ perficiat, ut nulla imbecillitatis signa fiant conspicua. Deinde potest contingere. tales subsultus alicui vel semel tantum, vel rarissime accidere, postmodum non redire, nec adjunctas habere alias molestias. Oportet tamen ut hi subsultus referantur ad Convulsiones, quoniam sunt contractiones membrorum & musculorum violentæ & involuntariæ, quæ ad alias affectiones referri non possunt. Non est tremor, quandoquidem hic nulla motus est vicissitudo, non est horror, quandoquidem nullum observatur frigus, nec tam diu perseverat. Accidit dormientibus, cujus rei rationem postea investigabimus.

Excutiunt hi subsultus somnum, quamvis ordinarie satis profunde dormiant ægroti, ob vehementem membrorum contractionem, atque hinc incussum terrorem. Videntur sibi è loco alto decidere, quia scilicet corpus & cerebrum gravatum ac depressum, in somno menti repræsentat tales imaginationes, quæ cum dispositione illa conveniunt, uti postmodum capite de Incubo videbimus.

Convulsiones sive motus convulsivi in somno.

Non paucis etiam sanis solenne est, ut singulis noctibus sæpius membra contrahant, nec tamen expergiscantur, mane iterum ad munia solita redeant, prorsus ignaris sibi tale quid accidisse, nisi ab alio ejus moneantur. Dixi hoc symptoma Convulsiones, sive motus convulsivos in somno.

Descriptio.

Hi hoc modo possunt describi, *quod sint contractiones membrorum convulsivæ, de nocte aliquoties sanis contingentes, nec somnum excutientes.* Appellavi has Convulsiones vel motus convulsivos, quandoquidem sunt velut intermedii, inter utrosque.

Con-

Convulsionum enim est ingens latitudo, adeo ut Convulsiones vehementissimæ quales in Morbo caduco, & Epilepsiis symptomaticis contingunt, à motibus convulsivis longissimo intervallo distent, sunt etiam convulsiones aliquando ita leves, ut ad motus convulsivos, quorum itidem quædam est latitudo, quam proxime accedant. Tales sunt Convulsiones de quibus nunc agimus, qui possunt tales dici, si consideremus membra subito contrahi cum aliqua vehementia: motus convulsivi quandoquidem non sunt admodum graves, & interpolatis vicibus iterum, & iterum repetunt. Non agam multis de hisce affectibus hoc capite, quandoquidem tum explicanda esset motuum convulsivorum natura, verum cum de hâc materiâ in sequentibus sit disputandum, ne crambe bis cocta sit apponenda, ea solum afferam, quæ ad horum intelligentiam omninò requiruntur. Non potui etiam præmittere tractationem motuum convulsivorum huic capiti, quamvis videatur naturæ ordine præcedere, quoniam à methodo in tabula propositâ non discedere malui. Ad pleniorem intellectum hujus capitis pertinebit, si quis ea, quæ de motibus convulsivis postmodum disputabo, percurret, antequam ad hæc legenda se accingat. Sunt contractiones membrorum convulsivæ, quæ tamen possunt esse vehementiores, vel minus vehementes, & juxta diætæ errores aliquomodo immutari. Contingunt sanis eodem modo uti subsultus in somno: in hoc consistit differentia, quod somnum non excutiant. Ratio est, quandoquidem sunt multò leviores, nec ita universales contractiones, & quod cerebrum in hisce magis solito deprimatur, unde profundus oritur somnus, è quo non ita facile excitantur. Nesciunt sibi talia esse familiaria, nisi quispiam iis hoc indicet.

Causa utriusque affectus, quantum ego hactenus observavi, est repletio, quandoquidem agimus tantum de hisce affectibus, quatenus periculo manifesto carent, & sanis contingunt, imo hominibus satis robustis, in quibus inanitio non videtur, habere locum. Deinde quantum ad subsultus in somno, ii ordinariè contingunt, postquam æger non ita diu decubuit, adeoque ubi recens ad sanguinem advectus chylus, ejusdem majorem expansionem cum pulsu frequentiori efficit, ubi autem hi *Causa est repletio.*

conjunguntur arteriæ carotides nimium diſtenduntur, & convulſio excitatur, eo quo explicuimus modo. Accedit decubitus, ſanguini faciliorem ad cerebrum adſcenſum præbens, ac ſtragulorum & plumarum lecti calor, ejúſdem expanſionem non parum promovens. Convulſiones & convulſivos motus in ſomno itidem à repletione oriri rectiſſimè colligimus, quandoquidem poſt vini uſum, aut potius abuſum, poſt exercitium, ſanguinem & ſpiritus agitans ex. gr. venerem, hi multo ſunt graviores, & cum ſtridore dentium nonnumquam vexant. In talibus caſibus major ſanguinis adeſt & calor, & expanſio, nec non ſpirituum vehementior & turbulentus mótus, decubitus promovet repletionem arteriarum carotidum. *Sennertus* cauſam ſubſultus in ſomnis putat vapores acres à ventre inferiore adſcendentes, & principium nervorum vellicantes L. I. P. II. c. 28. verum fallitur. Nos opinionem vaporum adſcendentium non ſemel refutavimus.

Modus productionis.

Modum productionis facile intelligemus, & quidem ſubſultuum in ſomno, ſi in memoriam revocemus inſomnia temperamento & conſtitutioni corporis noſtri omninò convenire, uti illud ante me quoque obſervatum eſt. Itaque corpus alimento, cerebrum repletione nimia onuſtum, facile inſomnia in mente excitat oneris, difficultatis, periculi, fugæ; ubi autem ſpiritus animales propelli incipiunt verſus membra, cerebrum gravatum mole ſuâ impetum illum adjuvat, adeo ut influxus ſpirituum ſequatur vehementior, muſculorum contractio ſubitanea, adeoque ſubſultus. Quod ad Convulſiones in ſomno, quandoquidem eæ ad motus convulſivos propius accedunt, explicatio earum petenda eſt ex iis, quæ in ſequentibus dicentur.

Differentiæ.

Quoniam hiſce immorari non fert animus paucis tantum differentias & reliqua ſubjungemus. Differentiæ ſunt, quod hæ Convulſionis levioris ſpecies, vel crebrius, vel rariſſimè infeſtent. Quod diverſæ ætatis hominibus accidant &c.

Signa.

Signa è deſcriptione eluceſcunt.

Prognoſis.

Prognoſis eſt, quod hi affectus ut plurimum periculo vacent, quoniam ſanis accidunt, nec aliquâ pravâ ſequelâ excipiuntur. Si tamen hi affectus ingraveſcant ante morbum ingruentem, ſi

ſi medicus moneatur de talibus ſymptomatibus, is facile judicabit cerebri graviores affectus, & convulſiones pejores exſpectandas eſſe, niſi tempeſtivè venienti occurrat morbo.

Indicationes ſunt repletionem vitare, & ſpirituum excitantia blanda atque antiſcorbutica in uſum vocare. Indicationes

Cura potiſſimum eſt diætetica, in qua aëris puri, & ciborum facilis concoctionis habenda eſt ratio. Vitetur ingluvies & crapula, imprimis veneris abuſus. Cæna, ſit parcior aut nulla. Cibi condiantur aromaticis, *Vinum Salviatum* & *Enulatum* utilia. Exercitium moderatum de meliori notâ commendo. Vitetur ſomnus meridianus & protractior. Vitentur animi pathemata. Cura.

Ad ſpirituum excitationem uſurpentur *Sal. Volat. C. C. oleoſum. Sp. Salis Armoniaci*, *Tinctura Succini*, *Sp. Cochleariæ.*

Quod ſi febris aut ſimilis morbus ingruat, V. S. liberalior celebretur.

De ſtridore dentium ſanis contingente non ago, quandoquidem eſt convulſio particularis & vacat periculo. Obſervavi eum aliquando ſatis vehementem in viro *ſpiritu vini* abuti ſolito. Explicatio eſt facilis.

CAPUT VIGESIMUM.

De Spaſmo Flatulento dicto, *vulgo* de Kramp.

PLacuit Auctoribus huic affectui imponere nomen Spaſmi flatulenti, quamvis ego exiſtimem, nullum dari, ejuſmodi nomine donandum, ſymptoma. Cum omnis convulſio ab iiſdem cauſis dependeat, à quibus motus voluntarius, quando ſc. illæ ſeſe præternaturaliter habent, in motu autem voluntario nullus flatus, nulla exploſio habeant locum, manifeſtum eſt, nullum quoque dari ſpaſmum flatulentum, hoc eſt, à flatu productum. An flatus illi continentur nervis, an arteriis, an muſculis? Non nervis, quandoquidem ii à ſolo ſpirituum tenduntur influxu. Non arteriis, quandoquidem ii non ſpiritus & flatum, ſed ſanguinem vehunt: qui licet ſubtili aëre, ut *Hippocrates* loquitur, non deſtituatur, non poſſunt tamen in illo flatus ita copioſi ſtatui, ut ab hiſce inflatio muſculorum ſit deducenda. Non continentur quoque flatus muſcu- Spaſmus flatulentus.

musculis, quandoquidem hi sunt partes corporis solidæ: non vacuæ, sed repletæ, cavitatibus majoribus omnino carentes. Fateor musculos aliquando refrigerari, & ita ad motum reddi ineptiores, atque tum dici aliquem à flatu, hoc est, aëre frigidiori, malè affectum esse, inde tamen deprompta consequentia non valet, revera in tali refrigeratione flatus musculos distendere. Opinio hæc inde videtur originem sumpsisse, quod cum observarent Medici hanc spasmi speciem periculo vacare, non existimarint causam ejus esse ingens partium continentium, aut contentarum vitium, ideoque flatulentum eum appellandum, & à flatibus originem esse arcessendam putaverint.

Ejus descriptio. Est autem Spasmus flatulentus *repentina musculi hujus, aut illius cum dolore intumescentia involuntaria, sanis vigilantibus accidens, atque iterum desinens, in assuetis sæpius cum molestiâ recurrens.*

Quæ explicatur. Est intumescentia musculi; alias enim musculus contrahi non posset; ab intumescentiâ musculi cauda ad caput accedit, ab intumescentiâ actio ejus in statu naturali & p. n. pendet. Est autem intumescentia hujus aut illius musculi, quandoquidem non universum corpus, nec membrum universum afficitur, sed tantum musculus particularis, quamvis non rarò antagonistæ se illi actioni præternaturali opponant, & contrario nisu citius molestiam superent. Adest dolor, non tantum quia subito, sed & quod cum majori solito impetu, violentè, sine voluntatis nutu contingit, hinc etiam ad convulsiones referri debet. Non debet tamen hæc intumescentia musculi hujus, vel illius, ad convulsiones particulares, de quibus in sequentibus, ablegari, quia quidem hunc vel illum in specie invadit musculum, non semper tamen eundem: aliquando dextri cruris, aliquando sinistri musculum, aliquando brachium infestat, cum convulsiones, particulares dictæ, semper eandem occupent partem. Accidit sanis, nempe sanitatis vocabulo in latiori significatione accepto, pro eo statu in quo homines de nulla insigni conqueruntur molestiâ, & ad actiones obeundas sic satis sunt apti. Si sanitatis vox in maximè emphaticâ sumatur significatione, pauci perfectâ gaudent, multi ab optimo illo statu non parum desciverunt. Requiritur

ad

ad sanitatem particularum omnium fluidarum justa proportio, solidarum omnino exacta conformatio, motus omnium, tum universaliter loquendo, tum particulariter, exquisitè naturalis. Addidi illum vigilantibus accidere, ut à subsultibus & motibus convulsivis in somno distinguerem. Quod si cui decumbenti, vel dormienti accidat, is evigilat, quandoquidem dolor est exquisitus, qui in reliquis est nullus, ob statim desinentem contractionem.

Non solet admodum diu continuari hæc musculorum intumescentia, longe diutius tamen quam præcedentes, quæ in momento desinunt. Ubi musculi antagonistæ sese contractioni opposuerunt, iterum cessat. Sunt tamen quidam huic malo frequenter obnoxii, adeo ut & sedentes, & decumbentes in hosce insultus incidant.

Investigandæ jam sunt causæ. Causa continens jam explicata est; verum inquirendum est, quid sit illud, quod intumescentiam illam involuntariam & convulsivam per intervalla excitet? Hæc, in huic malo rarius obnoxiis, est aliquando incommodus membri situs, quem facile intelligimus posse impedire promptum sanguinis per membra motum progressivum. Ubi autem motus progressivus sufflaminatur, necessariò musculus intumescit, seu sanguine impletur, & contrahitur. Aliquando est ipsa sanguinis dispositio, & ad motum per minimas, & sensim graciliores redditas, arteriarum propagines ineptitudo. Hæc frequenter in hisce regionibus est dispositio scorbutica. Dispositio scorbutica in aliquamdiu sedentibus, imprimis circa vesperam, producit formicationis sensum in cruribus. Eadem dispositio sanguinem tardiorem, & ad motum ineptiorem reddens, musculos facile replet, repletione malè afficit, malè afficiens spiritus animales ad musculum cum aliquo impetu allicit, atque ita Spasmum producit flatulentum dictum. Causæ.

Sennertus dicit hoc malum affligere cacochymicos, flatulentos, poculis & crapulæ deditos, modum non explicat, quo Spasmus hic concipi possit infestare. Modum ego putem me explicuisse, quod ad reliqua attinet non tantum poculis &

crapulæ deditos vexat, verum etiam illos, quorum vivendi modus fuit satis laudabilis. Non est tamen inficias eundum, commessationes & crapulam ad hanc affectionem & scorbutum viam sternere. Flatulentiam ad musculos non pertingere vidimus, flatus in intestinis familiares sunt scorbuticis, verum propriè loquendo nullo affinitatis vinculo cum hoc affectu copulantur. Cacochymiæ vox admodum est generalis. Inter causas externas rectè enumerat frigus susceptum, quod sententiam meam confirmat; hoc modo enim sanguis difficilius progrediens ad inflationem musculi hanc p. n. disponitur. Posset non incommodè addi, hunc affectum esse symptoma ætatis ingravescentis, quia in senibus sanguis ad motum ineptior, spiritus languidi evadunt.

Differentiæ. Differentiæ in hoc morbo à circumstantiis petuntur. Alius est gravior Spasmus, alius levior, alius frequentius, alius rarius invadit: alius viros, mulieres alius infestat. &c.

Signa. Signa è descriptione patent.

Prognosis. Prognosis est, quod plerumque paroxysmus citò desinat, & periculo vacet. Senes invadens, & sæpius vexans, difficillimè curatur, quia scilicet senectus ipsa est morbus, & sanguis effœtus ac scorbuticus difficillimè corrigitur. Quid? Quod viscerum calor languidus, spiritus minus mobiles, humores glutinosi, continuum huic malo præbeant pabulum.

Indicationes Indicationes sunt paroxysmum superare, dein dispositionem sanguinis scorbuticam tollere, non neglectis omnino externis.

Cura. Curatio paroxysmi ordinariè peragitur extensione solâ membri, si enim musculorum fraternorum (uti ex *Hippocrate* loquitur *Fallopius* p. m. 586.) alter contrahatur, utriusque æqualis extensio, contractionem violentam alterius corrigit. Quod si spasmus sit magis pertinax, jungi potest frictio, vel etiam inunctio, de qua in sequentibus: non inutile quoque est exhibere sal aliquod volatile internè. *Sal. Volat. C. C. Fuliginis*, *Sp. sal. Armon. Ol. Succin.*

Si extensione in contrarium non tollatur Spasmus, Clysterem flatus discutientem injici vult *Sennertus.* Prax. l. 1. P. 11. c. 28.

Di-

Diſpoſitio ſanguinis ſcorbutica quomodo tollatur, propriè debet explicari in capite de Scorbuto. Cum hæc materia admodum ſit ampla, ſufficiet hic monuiſſe ſalia volatilia, & antiſcorbutica medicamenta, reſpectu habito ad conſtitutionem ægri, hic ſummi eſſe uſus. De hiſce conſuli poſſunt auctores, qui de Scorbuto ex profeſſo ſcripſerunt. Quomodo diſpoſitio tollatur.

Williſius commendat tanquam remedia antiſpaſmodica *Pul. Rad. Petaſin.* ut & Conſervam ex fol. *Arbor. Vitæ*, cum æquali portione *Sacchari.* ut & ſequentem pulverem:

℞. *Pulver. Milleped. ppt.* ʒiij.
Sem. Ameos. ʒj.
F. Pulvis, dividatur in 10 partes. Sumatur doſis bis in die. &c.

Adjiciam adhuc deſcriptionem *Spiritus Galbani compoſiti* in hoc affectu non contemnendi uſus.

SPIRITUS GALBANI COMPOSITUS.

℞. *Gumm. Galb. puriſſ.* ℥iv.
Sal. Tartar. ℥j.
Armon. ℥ß.
Sp. Vini opt. ℥xxx.

Contundatur *Sal. Tartar.* & *Armoniac. ſeorſim*, tum omnia conjiciantur in Cucurbitam vitream, ac ſ. a. deſtillentur in arenâ ad ſiccitatem. Prodit primum ſpiritus, tum Sal. Volat. non tantum Alembico, ſed & recipienti, ſi ignem urgeas, adhærens radiatum. Tum iterum:

℞. *Gumm. Galb. puriſſ.*
Flor. Lavend. ſiccat. aa ℥j.
Sal. Tartar. ℥ß.

Hiſce affunde Liquorem deſtillatum, & vaſis optimè clauſis deſtilla lento igne ad medias, & habebis ſpiritum penetrantem Sal. Volat. inprægnatum, qui eſt

Spiritus Galbani compoſitus.

Ubi removeris recipiens aliud appone, & continua de-

deſtillationem ad ſiccitatem. Primum prodibit ſpiritus ſatis penetrans, tum phlegma oleoſum, non ingratum, nec inutile ad uſus externos, vel temperandum liquorem priorem.

Liquorem deſtillatum ſerva in Lagena vitreâ optime clauſâ. Doſis ejus à ʒß ad ʒj. & ultra, in liquore appropiato.

Inter externa convenit ligatura parti, ſpaſmo flatulento affici ſolitæ, circumjecta. Prodeſt quoque inunctio cum *Spiritu Galbani* compoſito. *Rondeletius Aquam ex hirundinibus & Caſtoreo* paratam, & interne & externe prædicat. Vide ejuſdem *method. curand. morb.* l. 1. c. 36.

Quidam Ungulam Alcis pulvinari ſubjectam laudant, poteſt eadem in ſacco geſtari: vel *nux muſcata mas:* quamvis externa hæc videantur parvi momenti, ego tamen novi ea non ſemper omni carere effectu: ſaltem tutò & abſque incommodo poſſunt in uſum vocari.

In diæta non tantum aëris puri debet haberi ratio, & victus moderati, ſed imprimis exercitii, quod in hoc caſu omnino requiritur. Obſervamus Scorbuticos non raro circa veſperam, ubi diu ſederunt, infeſtare formicationis ſenſum, qui inter deambulandum vel non ſentitur, vel etiam evaneſcit, unde colligimus exercitium ad progreſſivum ſanguinis motum adjuvandum non parum facere.

De Spaſmis levioribus, hæmorrhagias excipientibus, actum eſt in ſuperioribus.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De Convulſionibus particularibus, ac in ſpecie *de Vomitu, & Convulſione maxillæ inferioris.*

Convulſiones particulares ſatis numeroſæ.

CUm primum tabulam in ſuperioribus propoſitam, in chartam conjeciſſem, non erat mihi mens de Convulſionibus particularibus in ſpecie tractare, uti quoque innui. Itaque non admodum ſollicitus fui de accuratâ enumeratione, ſufficere

cere ratus, si quasdam enumerarem species, ad quas reliquæ facile possent reduci. Convulsiones particulares sunt satis multæ, quas omnes recensere, aut etiam explicare non erat necesse. Quantum ad strabismum, sternutationem, singultum, de iis solet suo loco agi. De Tussi convulsivâ egit *Willisius.* Catharrus & Tussis epidemia maligna, cujus meminit *Sennertus* L. IV. c. 17. fortè non malè ad Peripneumoniam, quam *Vincentius Baronius* libris duobus descripsit, referri potest, vel, si fuerit convulsiva, ad convulsiones febriles pertinet. Particularia omnia enumerare & describere, opus esset multi laboris & tædii. Ne tamen omnes convulsiones particulares sicco transmittam pede, utile fore judicavi, si, speciminis loco, de uno atque altero affectu agerem. Agam itaque hoc capite de Vomitu convulsivo, quò etiam pertinet, vel saltem quicum cognatione jungitur, inversus motus intestinorum peristalticus, nec non de Convulsione maxillæ inferioris, quam nostro idiomate vocamus **de klem in de mond.** Hisce affectibus absolutis, reliquæ convulsionis particularis species, quæ plures sunt, elucescent.

Potest quidem omnis vomitus dici convulsivus, quandoquidem in vomitu & ventriculus, & diaphragma, & plures musculi, magnâ vi, & absque voluntatis imperio contrahuntur. Sunt tamen species vomitus quædam, quæ peculiari ratione debent dici convulsivæ, quandoquidem non tantum sunt involuntarii, sed absque ventriculi dispositione pravâ contingunt, & non raro mortis, instar aliarum convulsionum, sunt prænunciæ. Quidam adeo facile vomunt, ut post ingluviem, & pocula, comprimendo hypochondrium, vomitum sibi possint concitare, absque insigni molestia, adeo ut hic vomitus videri ferè possit voluntarius. Quidam navigantes in mari, absque prævia ventriculi imbecillitate in nauseam & vomitum incidunt. Non ago de hisce vomitus speciebus, respicio vomitum qui sequitur operationes chirurgicas graviores ex. gr. sectionem calculi, herniæ &c. aut etiam vulnera capitis graviora, assumptum venenum, vel lente restitutam herniam. Hæ vomitus species huc proprie videntur spectare, cum in superioribus convulsiones universales ab iisdem deduxerimus causis.

De quo vomitu hic agendum?

 Nem-

Quomodo vomitum convulsivus excitetur?

Nempe non raro observamus, ubi ægroto extractus fuit calculus, ut videtur, satis feliciter, tamen non longè post succedere vomitum, vel magis vel minus violentum. Videndum est, quomodo hic sit explicandus? In genere dico: à læsione partium exquisiti sensus, non possunt non spiritus animales, & sanguis valdè commoveri, unde oritur dispositio ad convulsiones, uti in superioribus vidimus. Verum cum hic sensus interni non sint aboliti, explicandus est hic vomitus è mechanicâ constructione cerebri, medullæ oblongatæ, ac nervorum. Ad vesicas distribuuntur nervi à nervo intercostali, ut & nervis lumbaribus. Nervi intercostalis radices à ramis quinti & sexti paris, à protuberantiâ annulari oriundis, derivantur. Ad nervos intercostales accedunt ramuli è Spinali medullâ. Nervi lumbares ab eâdem spinali oriuntur medullâ. Ubi ergo spirituum motus vehemens, ope nervi intercostalis ab, anteriori parte ad protuberantiam annularem pertingit, spiritus hujus incolæ admodum percelluntur, atque ita versus par vagum & ramos versus ventriculum distributos vehementius influunt. Nempe occurrit huic motui, alius à medullâ spinali versus anteriora delatus, qui in se mutuo impingentes eo loci, ubi post protuberantiam annularem medulla oblongata crassior est, atque magis protuberans, necessariò versus latera, adeoque nervos paris vagi, versus ventriculum distributos, vehementius influunt.

Quæ de extractione calculi dixi, facile possunt applicari sectioni herniæ, de qua adhuc in sequentibus.

Post vulnera capitis non rarò sequitur vomitus, qui vulnus vel contusionem, aut etiam commotionem cerebri non esse negligendam satis indicat. Notum hoc est Chirurgis, qui ad hæc attendere consueverunt. Explicatio harum convulsionum petenda est è læsione cerebri, & compressione medullæ oblongatæ.

De Vomitu post venenum assumptum.

Ad vomitum convulsivum possumus quoque referre vomitum illum, qui ab assumpto veneno originem habet. Hic in eo convenit cum superiori, quod & spiritus & sanguis, eo quo dictum est modo agitentur, differt in eo, quod ventriculus ipse hic non tantum malè afficiatur, sed & ab acrimoniâ erodatur

datur, unde necessium est, ventriculum convulsivè contrahi.

Inversus motus peristalticus intestinorum imprimis locum habet in Ileo morbo, & inflammatione intestinorum. De Ileo morbo non est hic dicendi locus. De inflammatione intestinorum, illud tenendum est: non rarò contingere, ubi Hernia intestinalis non satis citò reposita est, aut ubi magna intestinis est illata vis, tum illa inflammari & vomitum produci difficilem ac periculosissimum. Ita ego tractavi fœminam, quæ Herniâ laborans à Chirurgo imperito erat neglecta; nempe non reposuerat is intestina prolapsa, imposuerat tantum emplastrum tuberculo in inguine. Postmodum quidem accersitus fuit Chirurgus magis expertus, qui etiam dextrè & cito reposuit, sed ob diuturniorem moram & refrigerationem intestina procul dubiò erant inflammata, iterum febricitabat, vomebat assiduè, fœtidissima, & fæces alvinas, adeo ut doloribus & symptomatibus fracta succumberet tandem. Eodem tempore cor, adeoque sanguis validè commoventur, unde tum, è tensione fibrillarum, versus ventriculum distributarum, sanguis aliquomodo in motu suo progressivo impeditur, hinc contractio fibrarum musculosarum, atque vomitus. In extraordinario hoc spirituum & sanguinis motu, pulsum frequentiorem efficiente, consistit essentia febris, vomitum & omnia symptomata graviora efficiens. Inversus motus peristalticus intestinorum.

Convulsio maxillæ inferioris, *est valida musculorum temporalium, tum etiam aliorum, maxillam inferiorem claudentium pertinax contractio, in casibus difficilioribus contingens, plerumque mortis prænuncia.* Descriptio convulsionis maxillæ inferioris.

Non est hæc Epilepsia symptomatica, quandoquidem sensus interni non sunt necessariò aboliti: mens potest constare. Non est convulsio universalis, sed particularis. Non possunt ægri maxillam inferiorem à superiori diducere, quia musculi temporales, & reliqui, pertinaciter contracti sunt. Oritur illa contractio musculorum à vehementiori spirituum animalium in fibras eorum influxu: unde sanguis cohibetur, atque musculi venter intumescit. Putem ego imprimis musculum temporalem affici, qui nervos à pari quinto accipit, quamquam sit admodum verisimile, alios quoque in consensum trahi. Casus diffi- Ea explicatur.

difficiliores quorum memini, sunt præter læsionem ipsius musculi, operationes Chirurgicæ difficiliores ex. gr. extractio calculi, sectio herniæ cum ablatione testiculi, quibus accedunt febres vehementes. Læsus temporalis musculus varia producit symptomata, quorum *Vesalius* & alii meminerunt anatomici, verum non est necesse Convulsionem maxillæ inferioris sequi, quamvis & sopor, & convulsiones universales, Epilepsiæ vulnerum pedissequæ à me dictæ, & febris, non rarò subsequantur. Verum operationes chirurgicas graviores aliquando excipiunt hæ convulsiones. Exemplum occurrit apud *Hippocratem* Popul. v. VII. in *Scamandro*, qui sectus sectione magna ad os usque, nec non ustus, duodecimâ post sectionem die cepit convelli, postmodum maxillæ compactæ riguerunt.

Quomodo ea producatur? Convulsio maxillæ inferioris itidem & à dolore, & à sanguinis febrili agitatione originem ducit. Non rarò sequitur operationes chirurgicas difficiliores, uti monuimus, ex. gr. sectiones herniæ intestinalis, cum ablatione testiculi. Dolor ingens excitatur in hac operatione, non minus quam in extractione calculi, sed habet aliquid peculiare. Nempe vasa præparantia constringuntur & amputantur. Itaque cum sanguis agitatus circulum suum modo ordinario absolvere non possit, & tamen magna vi, atque repetitis ictibus, propellatur quaquaversum, vasis hisce amputatis, & nervis exquisiti sensus infertur vis manifesta. Hinc minimæ arteriolarum propagines extenduntur, partes circumcirca & dolent, & intumescunt. Agitatio spirituum versus medullam oblongatam delata, non tantum sensum doloris, qui ad mentem pertinet, sed & agitationem ingentem in medulla oblongata producit. Si hic impetus adeo sit vehemens, ut spiritus versus nervos inferioris maxillæ musculis, præcipuè temporali insertos pertingat, & sanguinis motum progressivum vehementius removetur, clauditur & convellitur maxilla inferior, atque producitur convulsio particularis admodum periculosa. Minus frequens fortè est hoc symptoma, quandoquidem nervi quinti paris, è quo nervi versus musculum temporalem, & reliquos, ad maxillam inferiorem pertingentes, derivantur, è superiori parte protuberantiæ annularis oriuntur,

unturunde sequiturconvulsiones universales & reciprocas faciliu produci, ubi cerebrum simul comprimitur, ubi autem mens constat, debere esse vim sufficientem, quæ spiritus versus hos ramusculos nerveos propellit quando cerebrum à superiori parte non ita grave incumbit. Oportet ut ab inferiore parte impulsus spiritus, versus superiora, cum vehementi impetu feratur. Ubi autem in hos influxerunt musculos spiritus animales, & convulsionem maxillæ inferioris produxerunt, non est mirum, si ea diutius continuetur, tum ob dolorem, seu molestiam in illa parte excitatam, tum etiam quandoquidem nervi quinti paris, sub durâ matre demersi, prono situ aliquomodò ad continuationem illius determinationis faciunt. Eodem modo res habet, quemadmodum videmus Oenopolas tubo retorto vinum ex uno vase in aliud infundere. Oportet ut suctu primum vinum alliciatur, ubi autem semel incepit fluere, continuatur satis diu ille motus, uti notum est. Verum ut hæc omnia rectè percipiantur, non est negligendus motus spirituum varius, & diversorum impulsuum varii effectus. Ex. gr. è conspectu rei gratæ appetitus, è conspectu rei fœdæ, &c. excitatur nausea. Idem est organum externum, iidem spiritus animales, diversus tantum motus. Hic desino, quoniam hæc brevibus explicari non possunt.

Non est quod in causarum explicatione multum hæreamus, cum convulsiones hæ ob oculos poni non potuerint, quin simul causas externas, vulnera, commotionem, venena explicare fuerit necesse. Explicatæ sunt simul internæ, vehemens agitatio spirituum animalium, motus sanguinis turbulentus, & febrilis. Ut rem in pauca contraham, causæ duæ sunt generales, dolor, & repletio, nisi simul jungatur hæmorrhagia, aut lypothymia. De quibus cum in superioribus sit actum, hoc caput paucis absolvere poterimus. Causæ.

Progrediendum jam est ad differentias. Verum & hæ magnam partem in superioribus explicatæ sunt. Nempe vomitus hi convulsivi sequuntur, vel vulnera aut læsiones capitis, vel læsiones & vulnera à Chirurgis in operationibus gravioribus, inflicta, vel etiam assumpta venena, aut inflammationes intestinorum. In convulsione maxillæ inferioris alia pars est affecta, & impetus spirituum versus alias nervorum propagi- Differentiæ.

nes

nes irruens. Quamvis autem hæc ſymptomata longo intervallo à ſe mutuo diſtent, poteſt tamen contingere ea in eodem concurrere ægro, vomitus poteſt præcedere, ſubſequi convulſio inferioris maxillæ, imo vomitus præcedens convulſionis ſequuturæ, vel univerſalis, vel particularis metum incutit.

Signa. Signa per ſe ſunt manifeſta: in vomitu ventriculo contenta ejiciuntur, in convulſione maxillæ inferioris, dentes à ſe mutuo divelli, nec os operiri poteſt. An operatio gravior præceſſerit, adſtantes, vel ipſe æger refert. Vulnera capitis viſu & tactu explorat medicus. Ubi venenum eſt aſſumptum, citiſſime poſt aſſumptionem diris torquetur æger cruciatibus. Inflammationibus inteſtinorum junguntur vehementes dolores, & inflatio ventris.

Prognoſis. Prognoſis in his affectibus mala; plerumque enim hæ convulſionis particularis ſpecies, ſunt ſigna mortis prænuncia. Recte *Hippocrates* Σπασμοὶ ἐπὶ τρώματι, θανάσιμον. Coac. l. II. c. 14. & Aph. 2. S. v. Vomitus qui leviorem cerebri commotionem comitatur, minus eſt periculoſus. Qui vulnera capitis graviora ſequitur, de eo idem, quod de vulneribus, debet fieri judicium. Vomitus poſt aſſumptum venenum bonus eſt, ſi ſimul omne ejiciatur, antequam ventriculus ſit læſus. Si ventriculus exeſus ſit, neceſſariò ſuccumbint æger. Vomitus, non longè poſt extractionem calculi contingens, malus, poſt ſeptimum diem contingens, aliquando caret periculo, aliquando peſſimus. Bonus, quando cauſa ejus eſt nimia emulſionum, imprimis ſpiſſiorum, aſſumptio, & quando à vomitu appetitus non proſternitur, quando appetitus eſt proſtratus & febris ingraveſcit, peſſimum eſt ſignum. Inflammatio levior inteſtinorum non raró ſuperatur, gravior difficillimè. Huc ſpectat *Hippocrat*. Aph. 10. S. VII. Ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος, ἢ λύγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν. Peſſimum ſignum ſi excrementa per os rejiciantur. Convulſio inferioris maxillæ tardius ſolet ſuccedere, & plerumque eſt mortalis.

Indicationes Indicationes ſunt, vomitum, & convulſiones compeſcere, cauſas tollere, non neglecta febri.

Cura. Compeſcitur vomitus medicamentis internis & externis. Interna talia debent eſſe, quæ ventriculum roborant, *Sal. Abſinth.*

Card.

Card. bened. Confectio Hyacinth. Alkermes, *Diascordium*, *Athanasia*, *Orvietanum. Sp. Sal. Nitri. Succus Limonum* &c. Si dolor conjungatur, is non est negligendus.

Externa sunt Emplastra, Cataplasmata, Unguenta, Linimenta. *Emplastrum de crusta panis Montagnanæ*, *de Baccis Lauri*, *Stomachium*, *Diaphœnicum calidum & frigidum Mesue. Ceratum stomachale Galeni. Olea Absinth. Mastichin. Nucis Muscat. Rosarum. Mithridatium*, *Theriaca*, *spir. vini* dissoluta & cataplasmatibus addita.

Causæ vomitus si sint vulnera vesicæ, capitis &c. eo modo curari debent, uti illud à Scriptoribus, qui de his materiis ex professo egerunt, docetur. Si causa sit inflammatio intestinorum, & motus peristalticus inversus, eò cura est dirigenda. Injicienda sunt Enemata inflammationi & Gangrænæ contraria. Ex. gr. Quomodo causæ tollantur.

℞. *Fol. Ruth. Scordii.*
Manubii.
Malvæ.
Bismalvæ. aa m. j.
Flor. Rosar. p. j.
Coq. s. a ex *aq. pura* colat. ℥x. Add.
Mellis. Rosat. laxativ. ℥ij.
Sal. com. ʒß.
M. F. Enema.

Quod si Enemata careant successu, purgans exhibitum aliquando mira præstat. Prosunt quoque fomenta, cataplasmata, inunctiones ventri externè applicata. Ex. gr.

℞. *Unguent. de Alth. simpl.*
Anodyn.
Ol. Rosar.
Chamomill. aa ʒij.
M.

Si causa vomitus sit venenum assumptum, illud quamprimum est evacuandum: itaque statim exhibeatur *Oleum Olivarum*, *Raparum*, *Amygdalarum* dulc. Exhibeatur *cerevisia tepida cum butyro* copioso. Deducatur æger in conclave calidum. Ubi ejectum est venenum, exhibeantur cardiaca & dolorem sedantia.

Utilia ſunt medicamenta *Opiata* dicta, *Orvietanum*, *Athanaſia*, *Diaſcordium*.

℞. *Aq. Meliſſ.* ℥iij.
Cinnamom. ℥j.
Athanaſiæ.
Diaſcord. novi. aa ʒj.
Margarit. ppt. ℈j.
Jalapp. Roſac. ℥j.
M. Aſſumat ſubinde cochleare unum aut alterum.

Si quis hauſtum malit, is utatur ſequenti, aut ſimili:

℞. *Diaſcord. novi.* ʒj.
Lapid. Bezoar. occidental. ℈ß.
Syr. Acetos. Citri. ʒij.
Cum decoct. *Scorzoner & C. C.*
F. Hauſtus.

Si cauſa ſit copioſior ingurgitatio Emulſionum, vomitus non eſt ſtatim compeſcendus, ſed potius aqua tepidâ, vel ſimili remedio, blandè promovendus, vel exhibendum eſt medicamentum blandè laxans: ex. gr. *Extractum Rhei*, *Infuſio Rhei* vel ſimile quid. Ex. gr.

℞. *Rhei elect.* ʒjß.
Sal. Tartar. ℈j.
Cort. Arant. exter. ℈ß.
Bulliant leviter colat. ℥ij. Add.
Syr. Roſar. ſolutiv. cum Senna. ʒij.
M. F. Hauſtus.

Si non videatur conſultum exhibere per os medicamentum laxativum, injici poteſt Enema.

℞. *Fol. Malvæ. Mercurialis.*
Parietar. Agrimon. aa m. j.
Flor. Chamomill. Melilot. aa p. j.
Sem. Anis. Fœnic. Carui. aa ʒß.
Coq. ſ. a. ex *aq. pura* in colat. ℥x. diſſolv.
Elect. Diacathol. ℥ij.
Sal. com. ʒj.
M. F. Enema.

Inun-

Inunctiones ventris quoque non ſunt inutiles.

Quomodo febris tollatur in hiſce caſibus, facile intelligemus, ſi in mentem revocemus ea, quæ in ſuperioribus explicata ſunt. Nempe ſymptomata hæc vel vehementem agitationem febrilem habent comitem, vel accidunt viribus vehementer attritis. In utroque caſu prudenter agendum. Cavendum à medicamentis *Febrifugis* dictis potentioribus, quandoquidem hic major commotio ſanguinis & ſpirituum non tam excitanda, quam omnibus modis compeſcenda eſt. Ab agitatione enim, ſeu, quod idem eſt, à febris vehementiâ, maximum imminet periculum. Ubi indicia ſeſe produnt, quæ difficilium horum ſymptomatum metum incutiunt, hæmorrhagia copioſa præceſſit, conſultum eſt ſecare venam in robuſtis & plethoricis. Alvus libera ſervetur, vel blandis laxantibus, vel, quod ſæpe præſtat, enematibus. Sanguinis fluiditas conſervetur. Somnus placidus concilietur, quandoquidem hoc pacto & dolor lenitur, & ſpirituum diſſipatio præcavetur. Quod ſi inflammatio ſit cauſa febris, illi omnino obviam eundum eſt. In genere conveniunt ea quæ in ſuperioribus, de Epilepſiis febrilibus diſputata ſunt. Febris quomodo tollatur?

Quandoquidem vomitus convulſivus, & convulſio inferioris maxillæ, ſunt convulſiones particulares diſtinctæ, abſoluto vomitu, jam agendum eſt de cura Convulſionis maxillæ inferioris. Convulſio itaque, quantum pote, tollenda, cauſæ amoliendæ, & Febris expugnanda eſt. Cura Convulſionis maxillæ inferioris.

Quandoquidem autem hoc ſymptoma ſolet infeſtare viribus admodum fractis, Cephalica & Cardiaca temperatiora, vel etiam modicè refrigerantia, hic locum habent: quæ plura hoc loco poſſent afferri, ea ſpectant ad Febrem, de qua in ſequentibus. Cephalica & Cardiaca in hoc caſu ſunt *Confectio Alkermes*, *Hyacinthorum. Unicorn.ppt. Raſur. Ungul. Alcis. Lapis Bezoar. Or.* & *Occid. Cremor diaphoreticus Bezoard. minerale. Gelatina C.C.* &c. Non negligenda quoque ſanguinem diluentia, & æſtum temperantia, quibus commode poſſunt admiſceri acida, *Spir. Vitrioli*, *Aceta varia.* De *Sp. Vitrioli* utilitate exſtat obſervatio apud *Riverium.*

Externa in hoc affectu omittenda non ſunt, ſomenta, un-

guenta, lenimenta, olea, quandoquidem hæc apta nata sunt rigiditatem & tensionem aliquomodo corrigere & tollere. Eligenda autem & hic medicamenta temperatiora, quandoquidem æstus ingens vel produxit, vel saltem fovet hanc convulsionis speciem. Ex. gr.

℞. *Unguent. Popul.*
Ol. Rosar.
Trifol. odorat. aa ℥ij.
M.

Hippocrates usus est tepefactoriis, & fomentis *Levi.* Popul.v.VII.9.

Sennertus præcipit ut externè pars foveatur, decocto *Flor. Chamæmel. Melilot*, *Rutæ*, *Salviæ*, *Fl. Lauri.* Ad inunctionem commendat *Ol. Costin. de Castor. de Spica* & *similia.* Addit utilem esse *Sp. Vini*, præcipuè in quo *Fl. Chamæmel.* & *Laverd.* macerata fuerunt. Deinde *Aqua aliq. Apoplectica* & *Epileptica* jubet inungi partem affectam. *Laz. Riverius* ait, parti affectæ adhiberi *pulmones Vervecinos calentes*, *pullos columbinos*, *catulos*, *gallos* &c. Ego sententiam *Riverii* præfero.

Quomodo causæ tollantur? Causæ, si sint vulnera, tolluntur, quantum in Medici est potestate, si illa curentur, si symptomata methodicè tollantur, de quibus videndi scriptores chirurgici.

De Febre tollenda. Febri obviam eundum, uti in superioribus explicuimus. Si malignitas conjungatur nec ea negligenda. Locum habent sudorifera & Alexipharmaca. Quandoquidem autem Maxillæ inferioris convulsio rarius accidit, nisi postquam vires valdè attritæ sunt, cavendum est ne imprudenter in usum vocentur remedia generosiora, nisi summâ exigente necessitate. Ubi enim spes decolavit, cur multa moliendo, nihil promovendo, ægrotum frustra fatiges, aut vires languentes citius exhaurias? *Hippocrates* judicavit *Scamandrum* citius sublatum esse ob medicamentum catharcticum validius exhibitum. Utile tamen existimo cucurbitulas vel siccas, vel scarificatas humeris apponere, vel etiam vesicatorium nuchæ. Si simul Aphthæ affligant ab acidis abstinendum, in locum substituenda lenientia & diluentia. Si alvus movenda, injiciantur enemata.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

De Motibus convulsivis.

Accedimus jam ad divisionis nostræ generalis partem alteram, quæ complectitur Motus convulsivos. Separavimus motus hosce à Convulsionibus propriè dictis, tum quod hi sunt minus vehementes, tum quod in hisce mens constat, saltem non semper aboletur. Si rem ipsam spectemus, quanto intervallo à se mutuò disjunguntur Emprostotonus aut Tetanus à motibus convulsivis? Quantum Morbus caducus, aut Epilepsia symptomatica, ab iisdem Motibus? Motus hi maximam convenientiam nacti sunt cum Convulsionibus, sive Motibus convulsivis in somno. Ita solet in simili materia, non omnia æque à se mutuo distant, ut supra monuimus. Utile tamen imprimis esse hanc distinctionem non neglexisse, docuit *Fallopius* in lib. *Hippocr.* de Vuln. cap. 49. Discrimen quod inter Convulsiones & Motus convulsivos proposuit *Sennertus*, nec verum, nec ullius est momenti. Vid. L. I. P. II. c. 28. *Sennerti* tamen vestigiis insistere videtur *Laz. Riverius*. Pr. l. 1. c. 6. An Epilepsia dicenda est Motus Convulsivus? An σπασμότρομος *Hippocratis*, παλμὸς, σπασμῶδες πάθος, σπασμώδης σφυγμός. non differunt ab Epilepsia, & spasmo propriè dicto? *Hippocrates* mihi videtur hosce distinctis appellasse nominibus. Lib. II. Coac. c. 14. 1, 2. &c.

Motus convulsivi à Convulsionibus distant.

Agemus ergo hoc capite de motibus convulsivis, qui statim distingui possunt, quod sint graviores vel leviores. Nempe aliquando nomen merentur motuum convulsivorum, aliquando sunt tantum subsultus tendinum. Motus convulsivi graviores etiam adstantibus sunt manifesti, subsultus tendinum non nisi attendendo animadvertuntur. Utrique vel Febriles, vel Hysterici sive Hypochondriaci, &c.

Distributio.

Nempe non rarò contingit ægrotos, in principio febrium, dormientes subito convelli, atque velut exsilire, postmodum iterum in somnum relabi, iterum convulsivis hisce motibus torqueri. Sunt hi motus convulsivi admodum familiares in fe-

Motus convulsivi febriles.

febribus malignis, ante Variolarum aut Morbillorum eruptionem. Motus hos solent præcedere ordinariè dolor capitis, cum pulsatione molesta, vel saltem comitari, cum somno profundiori, vel saltem propensione in somnum. Contingit etiam non rarò, ingravescente morbo, eosdem motus convulsivos postea supervenire.

Motus convulsivi hypochondriaci & hystericici,

Conjungimus jam Affectus hypochondriacos & hystericos, quandoquidem in superioribus demonstratum est, esse eundem affectum, duplici nomine gaudentem. In hisce affectibus non semper observatur Epilepsia, sed sæpius motus convulsivi. Aliquando hæc symptomata sibi mutuo succedunt, ubi graviores insultus concedunt aliquas inducias, motus convulsivi vexant, postea iterum succedunt graviora symptomata.

Quomodo motus convulsivi producantur?

Ut motuum convulsivorum natura facilius intelligatur, oportet considerare in statu sano non rarò leviores motus convulsivos observari, ubi quis ab animi pathemate vehementius est agitatus, aut ubi quis brachia, aut universum corpus vehementius exercuit. Non solemus ad hæc attendere, cum inde nullum immineat periculum; verum si quis dubitet, is faciat periculum, sumat gravem malleum, adigat magnâ vi cuneum, sese exerceat ad sudorem, & tum pennam in manus sumat, conetur nitidas exarare literas, is experietur me vera dixisse. Memini me adfuisse ludimagistro, in arte scribendi exercitatissimo: hic solebat vetare discipulis, ne sese fatigarent, quia compertum habebat manus reddi tremulas. Et revera detur mihi maximus scribendi artifex, magnâ vi per aliquod tempus, instar *Cyclopum*, tollat brachia, & feriat, is experietur se non posse pingere more solito literas, nisi sufficienti interpositâ quiete. Quæ est hujus tremoris, aliquomodo convulsivi, ratio? Res est manifesta: quandoquidem spiritus in fibras musculares vehementius irruunt, & sanguinem in musculis detinent: quandoquidem sanguis ipse, iteratis pulsibus, ad brachia propellitur, atque musculos vehementius extendit: quandoquidem universum corpus magis incalescit: denique quandoquidem malleus, in incudem incidens, repercussionem quandam versus brachium excitat, qui ope spi-

ſpirituum defertur ad cerebrum, neceſſariò talis motus, muſculis, ſanguini, ſpiritibus agitationem violentiorem imprimit, qui motum tremulum per aliquod tempus poſt ſe relinquit. Quid? Quod ſanguis, vehementius è corde propulſus, ſingulis ictibus cerebrum concutiat, atque adeo ſpiritus veluti palpitatione quadam propellat? Non eſt in noſtra poteſtate illud impedire, requiritur tempus quietis ſufficiens, ut motus ſpirituum & ſanguinis reducatur placidus. Quantum ad ſomnum, is influxum ſpirituum verſus muſculos intercipit. Interim non ceſſat, jugi ſecretione, ſeparatio ſpirituum. Hi ergo ſenſim replent tubulos cerebri medullares, & in procinctu ſtant, qua data porta, ruere verſus partes capiti ſubjectas. Non mirum ergo, ſi ſanguis, pulſibus iteratis & majoribus medullam oblongatam concutiens, per intervalla ſpiritus aliquos propellat verſus medullam ſpinalem, qui in muſculos ſubitò, abſque voluntatis imperio, irruentes, & ſanguinis motum progreſſivum in illo muſculo ſufflaminantes, eum replent, atque ita neceſſario ſubitaneos illos motus convulſivos efficiunt, quos nos noſtro idiomate **ſcikkingen** & **trekkingen** nominamus. Hi ſunt vehementiores pro violentiori motu ſanguinis & ſpirituum proportionaliter.

Dependent itaque motus convulſivi in febribus, à nimia vaſorum repletione, à nimia ſanguinis agitatione atque expanſione, à ſanguinis diſpoſitione inflammatoria, à ſpirituum animalium turbulento motu, & involuntario in muſculos influxu. Non libet hiſce ulterius immorari, referam tantum obſervationem nuperam. Puerpera è parciori lochiorum evacuatione inciderat in febrem, inquieta erat, vigilabat, ſi quando in ſomnum incideret, à convulſivis motibus vehementibus excitabatur. Laborabat è repletione, convulſivi motus non aliam agnoſcebant cauſam, uti è ſymptomatibus & cauſis eluceſcebat. Curatio idem confirmavit, etenim poſt ſectam venam, & iterum erumpentia lochia, non tantum febris ac motus convulſivi, ſed & reliqua deſinebant ſymptomata. Hæc obſervatio ideo magis conſiderari debet, quandoquidem Cuſtos non dubitabat affirmare lochia ſufficienter evacuata eſſe: quod tamen à veritate fuiſſe alienum, oſtendit ſucceſſus in- In Febribus.

 gens

gens V. S. & evacuationis lochiorum iteratæ.

Quare periculum præsagiant? Hæc est vera motuum convulsivorum in febribus explicatio. Hinc apparet, quare tales motus convulsivi argumentum præbeant, & medicum certiorem reddant, de morbi magnitudine, & periculo. Si enim tanta sit sanguinis copia, si tanta expansio, ut cerebrum vehementius deprimatur, si tanta arteriarum cerebri sit pulsatio, ut non tantum cephalalgia sequatur gravis cum inquietudine, sed & turbulentus spirituum animalium motus, non est mirum, si ægrotus in maximum incurrat discrimen. Scilicet quando pressio, & agitatio sanguinis major præcedit, sanguis ipse autem, ad motum progressivum, est ineptior, cerebrum ejusque vasa replentur nimium, & oriuntur motus convulsivi. Quanto autem major est sanguinis ineptitudo ad circulationem, quanto itidem pressio major, tanto majus impendet periculum. Pressio sanguinis continuata, vitæ: impedita, mortis est causa.

In Affectibus hypochondriacus. In Affectibus hystericis &c. considerari debet sanguinis major tenacitas, & ad motum ineptitudo, nec non spirituum agitatio ab animi affectibus, uti in superioribus est explicatum.

Subsultus tendinum. Videor mihi breviter explicâsse, quomodo producantur motus convulsivi, explicandi sunt subsultus tendinum.

In Febribus. Hos in Febribus solemus observare quando vires atteruntur, quando sanguis à naturali statu multum descivit, post dolorem capitis, Phrenitidem, & similes affectus. Nempe quando medicus carpo digitos admovet, ut exploret pulsum, tum sentit à tendinum hoc motu digitos affici, non minus quam à pulsu arteriæ. Videtur mihi *Fallopius* 586. optima ratione dixisse, hos convulsivos motus fieri *palpitatione & concussione principiorum nervorum*. Quæ autem est causa palpitationis & concussionis medullæ oblongatæ? Nulla alia, quam sanguis iteratis pulsibus per universum corpus propulsus. Videtur hoc mutuatum esse ex *Hippocrate*, qui non semel παλμῶν meminit. Ex gr. In *Thaso Philini* uxor, non tantum convulsionibus febrilibus, sed & viribus attritis παλμοῖς fuit divexata ante mortem. *Hipp. Popul.* 1. s. 111. ægr. 4. Causa est motus cordis, qui quando solito magis evadit manifestus, non motus, sed Palpitatio solet dici. Nempe quando sanguis dispositionem inflammatoriam,

riam, vel ſaltem ineptitudinem, ad promptè pertranſeundum minimas arteriolarum propagines, acquiſivit, is, qui è corde erumpit, pulſando irruit vehementer, ut obſtaculum illud ſuperet, unde moleſta in partibus, capite, cerebro, oritur pulſatio. Pulſatio illa ſpiritus animales levi propulſione verſus muſculos propellit, unde ſanguis proportionaliter, hoc eſt, aliquo modo, inhibetur, unde oritur momentaneus & repetitus tendinum ſubſultus.

Non tantum in febribus ſolent obſervari hi ſubſultus, ſed & in affectu hypochondriaco, præcipuè ubi dolores inteſtinorum, aut capitis aliquamdiu vexarunt. Non ſemper illi locum habent, ubi vires attritæ ſunt, ſed aliquando ubi vires ſatis conſtant, ubi ſolitæ evacuationes fuerunt ſuppreſſæ. Repletio nimia eſt cauſa hujus ſymptomatis. A repletione ſanguis arterias carotides extendens, & pulſu impetum faciens in medullam oblongatam, ſpiritus propellit, atque ita ſubſultus tendinum efficit. In Affectu hypochondriaco.

Cauſæ utriuſque hujus motus convulſivi ſunt, ſanguinis copia, ejuſdem expanſio, æſtus, motus turbulentus, diſpoſitio inflammatoria, major tenacitas, ſpirituum itidem agitatio nimia, & turbulentus verſus muſculos influxus. Hæc in ſuperioribus ſatis fuerunt explicata. Confirmatur mea ſententia ex eo, quem non ſemel refutavi, *Williſio*. Habet is c. 9. hiſtoriam ſatis memorabilem convulſivorum motuum, quæ meretur lectionem. In cadavere lien à quavis culpâ immunis apparuit, *ventriculus, inteſtina, pancreas, meſenterium ſatis rectè habuerunt. In utroque* autem *cordis ventriculo ſanguis in ſubſtantiam ſolidam, albidam, & carnis coctæ æmulam concreverat, quæ juxta cordis & vaſorum cavitates effigiata, ſerpentis cum caudâ multiplici & diviſâ figuram nonnihil referebat.* Addit *Auctor*. QUO QUIDEM IN MULTIS POST LONGAM INVALETUDINEM DEFUNCTIS, NIHIL USITATIUS OCCURRIT. En ſanguinis diſpoſitionem talem, qualem non uno in loco deſcripſi! Quod ſi in majoribus vaſis ita concreverit poſt mortem, non potuit non minimas arteriolarum fibrillas cum ſummâ pertranſire difficultate. Hinc repletio vaſorum nimia, depreſſio cerebri, palpitatio, motus convulſivi. Cauſæ.

 Dif-

Differentiæ. Differentiæ hic occurrunt non contemnendæ. Nempe motus convulſivi ſunt vel Febriles, vel Hyſterici ſeu Hypochondriaci. Febriles iterum, vel ſtatim in initio apparent, vel poſtmodum ſuccedunt. Hyſterici ſunt vehementiores vel minus vehementes, vel uſum loquelæ tollunt, vel eandem liberam relinquunt. Item, vel ſtatim in principio, cum Epilepſiâ hyſtericâ vel hypochondriacâ, invadunt, vel poſtmodum ſuccedunt. Hyſterici iterum habent adjunctam febrem graviorem aut leviorem, vel à febre ferè ſunt immunes.

Quamvis autem has ſpecies motuum convulſivorum mihi hic imprimis explicandas ſumpſerim, tanquam magis familiares, oportet tamen meminiſci motus convulſivos non rarò eſſe præcurſores graviorum convulſionum, vel etiam Epilepſiarum ſymptomaticarum: adeoque longè plures poſſe recenſeri differentias. Ex. gr. Laborat aliquis puncturâ nervi, leviores motus convulſivi ſolent præcedere graviores: verum ea quæ de hiſce Epilepſiis dicta ſunt, facile applicari poſſunt motibus convulſivis levioribus. Qui novit qua ratione poſſit Epilepſiæ graviori medicinam facere, is non ignorabit, qua ratione motibus convulſivis occurret. Gravitati morbi ſemper proportionata debent eſſe remedia.

In memoriam quoque eſt revocandum, Affectum hyſtericum & Hypochondriacum aliquando dependere à partibus fluidis, aliquando à partibus ſolidis: ſive, ut me melius explicem, hos affectus aliquando in ſanguinis & ſpirituum vitio conſiſtere, aliquando inſuper foveri à partibus ſolidis malè diſpoſitis. Ex. gr. Vexatur quis affectu hypochondriaco, poſtmodum incidit in diabetem, ulcus renum, vel alium aliquem affectum, ſymptomata affectus hypochondriaci ſeſe exſerent magis magiſque. In hoc tamen caſu non tantum attendendum eſt ad vitia partium fluidarum, ſed & ad vitia partium ſolidarum, quandoquidem, ſine harum curatione, fruſtra affectui hypochondriaco inſudabit medicus. Non eſt hujus loci omnium horum vitiorum in ſpecie meminiſci, illud è propriis locis peti debet. Sufficiet monuiſſe hæc vitia partium ſolidarum vel ideo nocere, quandoquidem ſanguinis craſin immutare apta nata ſunt: vel etiam quatenus impedimentum & remoram injiciendo

do ſanguinis circulationi, febres lentas, motum ſanguinis inordinatum, pulſationem arteriarum moleſtam, æſtum majorem, & ſimilia producere poſſunt phænomena, unde ſymptomata hypochondriaca, quibus ſupponimus antea ægrotum divexatum eſſe, magis exacerbantur, aut etiam citius recurrunt.

Signa è deſcriptione ſatis ſunt manifeſta. Interim operæ Signa.
pretium eſt monere, me aliquando obſervâſſe, in affectu hyſterico, non tantum ſummam circa fauces infeſtare anxietatem, ſed & tuſſiculam ſiccam convulſivam. Obſervavi etiam pollices utriuſque manus palmis includi, licet mens conſtaret, quemadmodum illud in Epilepſiâ quoque habet locum. Signa aliquando variant, pro temperamento ægri, pro morbi magnitudine, & ſymptomatum complicatione. Si Peripneumonia, affectus in his regionibus frequentior quam vulgò creditur, jungatur, anxietates multo ſunt majores, motus magis violenti. Tranſitus ſanguinis per pulmonem difficultas, difficilia & admodum moleſta producit ſymptomata. An vitium partium ſolidarum jungatur dyſcraſiæ fluidarum, è ſignis, unicuique affectui propriis, petendum eſt.

Omnes motus convulſivi ſunt ſuſpecti, tum quia gravem Prognoſis.
commotionem ſanguinis & ſpirituum ſignificant, tum quod ſæpe præcedant graviores Epilepſias, illarumque velut initium ſint. Si enim inter Vertiginem & Epilepſiam tanta ſit convenientia, ut Vertigo diminuta dicatur Epilepſia, (Vid. *Montaltum* de Epilepſia c. 9.) quanto major erit nexus inter Convulſivos motus, & Convulſiones ipſas graviores? Hi affectus rectè dici poſſunt *fraterni*. Vid. *Fallopium* p.m. 586. Quod ſi ſpecialius ea, quæ hactenus explicata ſunt, examinemus, Motus convulſivi in principio febrium accidentes, ſignificant morbi vel magnitudinem, vel malignitatem, convulſivi motus ergo mali. *Hippocr.* Aph. 67. IV. *ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι ἢ σπασμοὶ, κακόν.* & *περὶ κρίσιων.* VIII. 15. *Οἱ παλμοὶ ἐν τῇσι χερσὶ πολυχρονίου πυρετοῦ σημεῖον, ἢ κρίσιος ξυντόμου ἐπὶ τὸ κάκιον.* &c. In progreſſu ſanguinis ingentem diſcraſiam, diſpoſitionem inflammatoriam, motum vehementem, nec non ſpirituum diſſipationem & vires attritas: ſunt

ergo mali ominis. Huc ſpectat pronunciatio *Hippocratis* Coac. l II. c. XIV. §. I. Οἱ παλμώδεες δι᾽ ὅλȣ. ἆρα ϗ ἄφωνοι τελευτῶσι. Vid. quoque ſequentem, ut & II. 31. κεφαλαλγίη καρώδης μετὰ βάρεως, ποιεί τι σπασμῶδες. Motus convulſivi hyſterici aliquando minus periculoſi, ſi modo medicus rectè manum operi admoveat. Ubi vires attritæ ſunt, malæ. Huc ſpectat *Hippocratis* effatum. Prædict. I. XX. §. 15. Οἱ κατὰ κοιλίην παλμοὶ, ὑποχονδρίȣ ἐντάσει ὑπομάκρῳ ὀγκώδει, αἱμορραγικοὶ. Si vitia partium ſolidarum jungantur, tanto periculoſior eſt morbus, quanto gravius partes principes ſunt affectæ.

Indicationes Indicationes ſunt plures, repletionem tollere, febrem exipugnare, diſpoſitionem ſanguinis inflammatoriam, aut glutnoſam corrigere, evacuationes ſuppreſſas promovere, dolores lenire, flatus diſcutere, motibus convulſivis mederi. Non agam de hiſce omnibus ex profeſſo, cum pleraque in ſuperioribus ſint explicata, ſed tantum determinabo, qua ratione hæc ſint in uſum vocanda.

Cura. Repletio tollitur V. S. Cucurbitulis, Hirudinibus &c. V. S. habet locum ubi morbus eſt in principio, & vires integræ. In morbis malignis prudenter uſurpanda. Olim ſi quis ſecâſſet venam in metu variolarum, is creditus fuiſſet hominem occidiſſe, jam metus ille magnam partem evanuit, dummodo non fiat in principio eruptionis. In Motibus convulſivis à ſuppreſſione menſtruorum &c. V. S. planè eſt neceſſaria. Si enim juxta *Hippocratem*, uti vidimus, hæ palpitationes hæmorrhagiam ſignificant, ſignificant etiam nimiam repletionem.

Emetica & purgationes conveniunt in principio, ubi vires conſtant, viribus attritis circa ſtatum potius eſt quieſcendum.

Quomodo febris debeat expugnari, non ſemel explicatum eſt, videri poſſunt quæ de Epilepſia febrili diſputata ſunt: eadem eſt ratio diſpoſitionis ſanguinis inflammatoriæ, & glutinoſæ. Interim non inutile erit hic monuiſſe Mercurialia & *Mercurium dulcem* purgantibus additum, inſignis eſſe uſus ad humores tenaces evacuandos. Ad emendandos autem glutinoſos humores non infimum locum obtinet *Raſura Ligni Guajaci* ſimpliciter cum *Paſſulis exacinatis*, vel *Liqueritia* decocta.

Evacuationes ſuppreſſæ promovendæ ſunt menſes & lochia reli-

reliquis medentur eadem, quæ ad repletionem tollendam præſcripta ſunt. Dolores omnino leniendi, imprimis in affectibus hyſtericis aut hypochondriacis ubi vigiliæ vexant. Vigiliæ continuatæ ſummopere nocent, *Diaſcordium novum* & *Athanaſia* ſuperius præſcripta, ſummi ſunt uſus.

Quomodo flatus ſint diſcutiendi capite de Epilepſiâ hyſtericâ explicui. Motibus convulſivis medentur medicamenta Antiſpaſmodica dicta, verum maximè efficacia non ſemper ſunt ex uſu: præſtant temperatiora præcipuè in febribus, imo & aliquando in affectibus hyſtericis. Laudatur à Chymicis *Cinnabaris Antimonii*. *Ungula Alcis*, & *pulvis lumbricorum terreſtrium* non contemnendi ſunt uſus. Ex. gr.

℞. *Ungul. Alcis.* ℈j.
Pulv. Lumbric. terreſt. ℈ij.
F. Pulvis.
pro iij. doſibus.

Quod ſi affectus partium ſolidarum conjungatur, omnino is reſpiciendus eſt. Ita ego memini me tractâſſe juvenculam, affectu hypochondriaco divexatam, quæ ſimul è renibus, & mictu laborabat ſanguineo, huic ego cum ſucceſſu præſcripſi *Aquam Lactis Nephriticam* Pharmacopææ Bateanæ, ad hunc fere modum correctam:

℞. *Fol. Hederæ terreſt.*
Aparines
Chærophyll. aa m. j.
Rad. Petroſel. ℥iij.
Fœnic. ʒvj.
Sem. Apii. ℥j.
Lactis recent. ℔iij.
Deſtillentur. ſ. a. ad ℔ij.

Diæta à præcedentibus peti poteſt.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.
De Incubo.

INcubus dicitur *motus potiſſimum reſpirationis & vocis interceptio, cum falſò rei gravis thoraci incumbentis & ſuffocantis in ſomnio*, ob Deſcriptio Incubi vulgaris.

ob impeditam liberam ſpirituum, viis obſtructis, ad nervos penetrationem.

Ejus nævi.

Quemadmodum multa fabuloſa de Incubo & Succubo, & horum auctore Dæmone, apud Scriptores exſtant, ita etiam hæc definitio, vel deſcriptio ſuis non caret nævis. Non intercipitur reſpiratio, ſed difficulter & laborioſè peragitur. Quantum ad vocem, ordinariè dormientes tacent, hoc extraordinarium eſt, quod cum aliquando hi homines videantur ſibi velle clamare, vox ipſis deficiat. Nervos in hoc caſu eſſe obſtructos, falſiſſimum eſt, ſpiritus per nervos penetrant, niſi enim oppreſſionis ſenſus deferretur ad cerebrum, non deluderentur talibus falſis imaginationibus ægroti. Itaque commodiorem deſcriptionem ſubſtituamus.

Deſcriptio magis concinna.

Incubus eſt *ſopor gravis cum reſpiratione laborioſâ & difficili, ob ſanguinem pulmonum vaſa nimium replentem, unde oritur perverſa rei gravis incumbentis imaginatio.*

Ea explicatur.

Conſentiunt omnes in ſomno vexare hoc ſymptoma ægrotos, magis videntur tamen attenti fuiſſe ad reſpirationem, cum tamen de hoc morbo agerent inter affectus cerebri. Dico ergo: ſi eſt affectus cerebri, quare genus in deſcriptione reſpirationis interceptio? ſi reſpirationis eſt ſymptoma, ejus tractatio pertinet ad affectus medii ventris, ſeu pectoris. Convicti nempe fuerunt practici, Incubum pertinere ad cerebri affectiones, in deſcriptione autem hoc illis excidit, adeoque genus ſtatuerunt, quod tacite hunc morbum ad reſpirationis vitia ablegat. Quomodo autem reſpiratio poteſt intercipi vita illæſa? Si brevi tantum tempore intercludatur reſpiratio, ſtrangulatio & ſuffocatio ſequitur, uti aliquando in plorantibus obſervatum fuit, repentè exſtinctis. Poſtquam vitali hac aura infantes ſemel ſunt uſi, circulatio ſanguinis per pulmones peragi non poteſt, niſi inſpiratione atque exſpiratione aëris adjuvetur. Itaque cum hoc ſymptoma dormientes infeſtet, cum admodum profundè dormiant, cum anxietates illæ ingentes ſomnum non excutiant, uti vulgo illud obtinet, genus hujus ſymptomatis eſt ſopor gravis. Somnus contingit ſanis, ſopor gravis morbidus eſt. Sopor gravis conjunctas habet cerebri depreſſionem majorem, uti in ſuperioribus explicatum eſt. Hinc eſt quod videantur velle clamare, ſed non poſ-

possint, soporem excutere nequeunt; si enim clamarent, statim expergiscerentur.

In somno non cessat libera spirituum penetratio: motus enim cordis, respiratio, concoctio ventriculi, imo excretio lotii, & fæcum alvinarum in infantibus non cessant; sed ea quæ nobis incommodè accidunt, non tam vividè, nec distinctè percipiuntur, quandoquidem in somno est aliqualis cerebri depressio, non quidem obstruens nervos, id quod omnino esset præternaturale, sed aliquo modo comprimens medullam oblongatam, unde nervi originem ducunt. Hinc dolorem in somno non adeo molestè percipimus, nec in diarrhæâ & dysenteria irritationes intestinorum, unde hæ excretiones ad tempus cessare solent. Rogo autem, unde oritur insomnium rei gravis thoraci incumbentis, & suffocantis? Oritur proculdubio ex eo, quod sentiant ægroti difficilius peragi respirationem, quod sentiant à sanguinis mole auctâ, vel ad circulandum ineptitudine, pulmonem nimium repleri, denique, quod ab expansione majori sanguinis sentiant arteriam asperam aliquomodo comprimi. Hinc manifestum fit, anxietatis sensum ad cerebrum deferri, & repletionis sensum causam esse, cur Incubus vexet, adeoque nervos non esse obstructos. *Unde oritur oneris incumbentis sensus?*

Sopor autem in hoc casu est gravis, quandoquidem cerebrum magis deprimitur, quam ordinariè in sanis assolet. Non oritur hic sopor à vapore crasso, posteriora cerebri obstruente; neque enim huc vapores penetrant, uti antea vidimus; verum eadem hic occurrit causa quæ somni naturalis, sed gravior: nempe major cerebri depressio. Depressio hæc oritur, non à vaporibus, sed à sanguine deprimente, uti alias fusius docuimus. *Causa soporis gravis.*

Oritur hæc laboriosa respiratio à sanguine pulmonis vasa replente: hæc enim potissima est causa, quamvis & aliæ accedant, uti in causarum explicatione manifestum fiet. *Et laboriosæ respirationis.*

Accedit imaginatio perversa rei gravis corpori & pectori incumbentis. Nempe ea quæ in somno nobis imaginamur, aliquando excitantur à vestigiis cerebro impressis, aliquando autem à partium ipsarum dispositione, sui sensum ad cerebrum in somno deferente. Cum enim spiritus animales in perenni *Imaginatio perversa.*

ſint motu, non mirum, ſi ceſſantibus ad tempus ſenſuum externorum muniis, ſpiritus animales, in veſtigia illa incidentes imaginationes forment rerum præteritarum, illaſque menti repræſentent tanquam præſentes. Verum ſæpe contingit, partium, & viſcerum præcipuè, diſpoſitiones, ſui ſenſum ad cerebrum etiam in ſomno deferre, unde tum oriuntur imaginationes & ſomnia, quæ diſpoſitioni noſtræ ſunt proportionata. Ita infantes & pueri aliquando ſentiunt ſtimulum ad reddendum lotium, imaginantur ſeſe ludere in platea, ibidemque reddere lotium, atque ita lectum commingunt. Solent autem homines in ſomno ſæpe multa abſurda ſibi repræſentare, quandoquidem à cerebro compreſſo, ordo ille veſtigiorum cerebro inſculptorum aliquomodo immutatur, unde tum diviſa conjungimus, conjuncta dividimus, effectus ab aliis deducimus cauſis, cauſis aliquibus effecta tribuimus abſurda. Ita hic ſeſe res habet: ſentiunt dormientes difficilem reſpirationem, imaginantur illam oriri ab incumbente gravi onere: hoc excutere conantur, non poſſunt autem, quandoquidem non ab externâ, ſed ab interna cauſa oritur hoc malum. Imaginantur ſibi ſe velle clamare, non poſſunt tamen, quandoquidem gravi ſopore oppreſſi jacent, qui illos expergefieri non ſinit.

Cauſæ Incubi. Pergendum jam eſt ad explicationem cauſarum Incubi, eæ ſunt hæ quatuor, ſanguinis nimia copia, expanſio ejuſdem, hypochondriaca conſtitutio, & ſpirituum languor.

Sanguinis copia. Sanguis nimiâ copiâ peccans, arterias carotides, earumque innumeras ramificationes replens, cerebri corticalem ſubſtantiam admodum premit, unde medullaris ſubſtantiæ, imò medullæ oblongatæ, ſequitur major depreſſio, nervorum ad ſenſuum externorum organa diſperſorum major compreſſio, adeoque ſomnus profundus.

Eadem illa ſanguinis copia laborioſam efficit reſpirationem, & anxietates non contemnendas. Cum enim preſſio ſanguinis per pulmonem, ſanguinem è majoribus vaſis citiſſimè ad capillares propellat, facilè concipimus, vaſa ſanguinea hoc pacto repleta, iiſdem ramificationes arteriæ aſperæ proximè vaſis accumbentes, magis premere, unde neceſſario difficilis oritur reſpiratio.

Quod

Quod si ad copiam nimiam accedat expansio, jam facile concipimus, & cerebri, & pulmonis vasa magis debere repleri, & turgida evadere: unde somnus oritur profundior, atque respiratio difficilior. Hic autem expansionem sanguinis insignem concurrere, omnes circumstantiæ evincunt. Decumbit æger in lecto plumis animalium referto, stragulis, aliquando nimiis, est tectus, hinc universum incalescit corpus, & sanguis admodum dilatatur. Hinc fit, quod illi, qui è sanguinis copiâ interdiu nullam percipiunt noxam, à nimia illa dilatatione sanguinis nocte incubo infestentur. Expansio.

Accedit & alia ratio, quare nocte hoc malum infestet, quia scilicet decubitus somnum promovet: etenim situs corporis est fere horisontalis, adeo ut sanguis facilius ad cerebrum propellatur. Non necesse habet perpendiculariter adscendere, uti illud vigilantibus accidit. Quod si æger supinus dormiat, magis laborat, præcipue si caput sit declivi loco situm. Cum enim cerebrum humanum sit peramplum, & viscus molle figuræ ovalis, si quispiam supinus decumbat, partes cerebri sibi mutuo magis incumbunt, cerebellum & spinalis medulla magis comprimuntur. Non tantum figura ovalis hic consideranda, sed & medullæ oblongatæ, post protuberantiam annularem vertebras colli subituræ, incurvatio, & flexus. Post protuberantiam annularem autem nervi paris vagi oriuntur.

Decubitum etiam respirationem difficiliorem reddere, apparet ex Astmate & Orthopnæa; etenim hi ægroti suffocarentur, nisi corpore essent elevato. Decubitus.

Dixi etiam Hypochondriacam constitutionem esse causam Incubi. Hypochondriacam affectionem veteres consideraruntt tanquam affectionem flatulentem, & merito; tales enim ægroti, vel hoc temperamento præditi solent habere intestina à flatibus expansa, potissimum nocte, ubi constrictio corporis abest. Ab hac intumescentiâ intestinorum à flatibus, diaphragmatis explicatio impeditur, adeoque inspiratio est minor, pulmones non ita libere sese expandunt, adeoque oppressionis oritur sensus. Hypochondriaca constitutio.

Solet quoque hypochondriacorum sanguis ad circulationem minus esse aptus, quippe glutinosior., hinc hi homines solent

 esse

esse anhelosi. In hoc casu itaque, talis sanguis à lecti calore & onere stragulorum expansus, atque minus aptus progressivo motui per minimas pulmonis arteriolas absolvendo, pulmonem replet, anxietates, excitat, quarum sensus ad cerebrum in somno delatus falsam imaginationem efficit ponderis incumbentis, adeoque Incubum producit.

Spirituum languor. Accedit & spirituum languor, multis hominibus, præcipuè Hypochondriacis familiaris: est enim inter sanguinem & spiritus animales quædam veluti harmonia. Hic spirituum languor etiam soporis profundi est causa, quia hi spiritus depressioni cerebri minus resistunt, & ratio, quare, hoc malo affecti, ab anxietatibus non evigilent. Sentiunt quippe oppressionem, illi jungunt perversam imaginationem rei ponderosæ incumbentis, conantur illam excutere, conantur clamare; verum cum cerebrum ordinarie magis sit depressum, cum spirituum adsit languor, non facile evigilant, luctantur cum hac imaginatione.

Differentiæ. Differentiæ hujus morbi a circumstantiis petuntur, est enim hic morbus vel recens vel inveteratus, marcs vel fœminas affligens, gravior vel levior.

Signa. Signis in hoc morbo non est opus, cognoscitur enim è relatione ægtoti: nec putem alia ratione innotescere posse. Novi insomnia turbulenta adstanti, vel adjacenti posse fieri manifesta, in tali enim casu turbulentus somnus, & respiratio concitata, nec æqualis, uti in somno naturali solet, observantur; verum an talem dormientem insomnium grave, an incubus infestet, difficile judicatu est: nisi forsan quis gnarus aliquem incubo laborare, & observans illum diu torqueri difficili respiratione, & veluti laborare in somno, exinde conjecturam capiat illum iterum vexare incubo. Ita ego non ita pridem tractavi ægrotum Incubo laborantem, quem uxor anxia, ejus lateri accumbens non semel excitaverat, cum animadverteret maritum in somno valdè laborare. Sanguinis autem copiæ, expansionis, hypochondriacæ constitutionis signa aliunde peti debent. Spirituum languor è functionum animalium hebetudine, loquela tarda, motu languido, somnolentia, & somno profundiori facile cognoscitur.

Prognosis. Prognosis ita institui potest. Affectus non est admodum pe-

periculosus si sit recens, aut levior species: verum si sit gravior, si ingens adsit spirituum languor, Apoplexiæ, vel Lethargi, aut alius affectus soporosi potest esse prænuncius. Quæ autem sit connexio inter omnes hosce affectus, è meâ demum explicatione putem manifestissimè intelligi. Itaque illi tempestivè occurrendum.

Indicationes sunt sanguinis copiam imminuere, nimiam expansionem corrigere, morbum hypochondriacum expugnare, spiritus animales tardiores excitare. Indicationes

De Cura sanguinis nimiæ copiæ sæpius agimus, quam hicr epetere nec libet, nec necessarium. Cura.

Expansioni sanguinis quomodo in febribus obviam eatur, alibi explicatur. Expansio à sanguinis lentore ortum habens, imprimis incidentibus & attenuantibus emendanda est. Conveniunt itaque in hoc casu, medicamenta tenuium partium imprimis olea stillatitia & salia volatilia: *Balsamis Sulphuris succinatus, juniperinus. Elixir proprietatis.* Ex. gr.

℞. *Balsam. Sulphur. juniperin.* ℥ij.

Sumat æger mane jejuno stomacho, & circa vesperam, coctione absolutâ, octo vel decem guttulas.

Conveniunt quoque in hoc casu medicamenta antiscorbutica, *Spir. Cochlearia, ejusdem* ut & *Nasturtii aquatici succus:* ut & *amaricantia* & ventriculum corroborantia, *Trifolium Aquaticum, Carduus benedictus, summitates Centaurii minoris, Absinthii.* Possunt ex his parari vina medicata, extracta, cerevisiæ medicatæ &c.

Dixi huic expansioni incidentibus & attenuantibus esse occurrendum, quandoquidem huic morbo in paroxysmo ipso non opus est fieri medicinam, si enim excitatur æger, paroxysmus est superatus, itaque causæ expansionis imprimis respiciendæ. Aliter sese res habet in febribus.

Quod si ventriculi repletio accedat is ab illo onere erit liberandus.

Interim causæ externæ malum hoc augentes sunt removendæ, decubitus supinus, nimia stragulorum injectio, cœna liberalior.

Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

Hypochondriacæ affectionis cura in præcedentibus tradita est. In hoc plurimum peccari existimo, quod infantes nimium supini collocentur. Verum ea cura rarò matres rarius nutrices sollicitat, cum tamen non sit susque deque habendus decubitus.

Spirituum excitatio quomodo fieri debeat è superioribus patatur.

In diæta, ingluvies & crapula vitari debet. Cæna aliquando omittenda. Exercitium amplectendum.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

De Catalepsi.

De Catalepsi diversæ opiniones.

Hercules Saxonia Catalepsin vocat affectum rarissimum & cognitu difficillimum Prælect. Pract. p. 1. c. 12. & addit Græcos & Latinos antiquos hujus naturam non cognovisse: subjungit *Celium Aurelianum* & *Aetium* loco Catalepsios descripsisse Coma vigil vel soporiferum. *Henricus ab Heers* consentit, & rectè observat apud plerosque practicos esse altum silentium catalepticorum quos ipsi viderunt. *Petrus Salius* diversus, *Donatum ab Altomari* carpit, quod ex *Aetio* symptomata transcribat, cum tamen *Aetius* cum *Galeno* non concordet in essentia hujus morbi. Inter recentiores *Fernelius* duo habet exempla Catalepsios, quorum primum veræ Catochem exemplum existimat *Hercules Saxonia*, alterum autem Comatis soporiferi non Catalepsios. Vid. eund. Prælect. Pract. p. 1. c. 12. Recentiores, descriptionem ab antiquis mutuati, suo more de causa disputant. Vid. *Dolei* Encyclopediam.

Disputant etiam de nomine, an Catoche & Catalepsis idem sit affectus? deinde latinè affectum vocant Congelationem: unde *Forestus* eos, qui ab intensissimo frigore exstincti fuerunt, tanquam Catalepticos recenset.

Hæc ideo in antecessum præmittere volui, ut constet, inter practicos non convenire de naturâ hujus affectus; cumque re-

reliqui non dubitaverint suas sententias proponere, nemini mirum videri debet, si & ego libere meam opinionem depromam.

Equidem semper ejus fui opinionis, ea, quæ diuturnus usus, tum circa morborum cognitionem, tum in praxi, certa & utilia esse docuit, non esse convellenda: verum cum diligentior attentio, & observatio minimè dubia ostenderit, ex præjudicio auctores quædam memoriæ prodidisse, unicuique liberum est, ad experientiæ trutinam, ea quæ tradita sunt expendere: Secundæ curæ hoc pacto plerumque meliores esse solent.

Non est temerè recedendum ab iis, quæ usus docuit.

In morbis ordinariis, ex iis quæ etiamnum fiunt, judicium ferre possumus eorum, quæ antea observata sunt, & à scriptoribus memoriæ prodita. Quemadmodum homines non in arbores, nec cruor in florem mutatur, ita non exuunt morbi pristinum ingenium.

Constitutio anni, varietas climatum, morbi epidemii aliquando aliquid habent singulare; verum ubi agitur de morbis ordinariis, observationes quæ hodie etiamnum in praxi occurrunt, debent convenire cum iis, quæ in medicorum scriptis reperiuntur, alias evadunt admodum suspectæ. Si quis mihi narret se tali vel tali remedio, brevi temporis spatio, morbum curâsse, ego autem idem in usum vocem, nec effectum eundem, etiam repetitis vicibus experiar, licet mihi dubitare, an bonâ fide suas observationes in chartam conjecerit Auctor. Quæ enim alia est praxeos evidentia, nisi quæ ab usu & experientia depromitur? Admiratio in affectibus rarius occurrentibus etiam aliquando efficit, ut scriptor à se visa amplificet, & verbis extollat. Homines mira & stupenda narrare gestiunt: quia scilicet existimant sese magnam existimationem consequuturos, si portentosa narrent. Non semper à vulgari hoc vitio immunes sunt medici, præcipuè ubi symptoma occurrit stupendum, de quo è lectione Auctorum magnam animo conceperunt opinionem.

Non est ergo necessarium adhærere aliorum opinionibus & placitis, quando clarissimè constat, ex præjudicio quædam posteris esse relicta, quæ à recto veritatis tramite declinant.

Vidi ego & accurate observavi Catalepticum, cujus Historiam

Cataleptici Historia.

riam descripsi in *Cogitationibus meis de Instauratione medicinæ* p. 303. Verum, fatebor enim liberè, diu ipse nescivi hunc affectum fuisse Catalepsin, præjudiciis auctorum occæcatus, adeoque nec affectui tum temporis imposui nomen, à vehementi animi pathemate eundem ortum duxisse fideliter narrans. præjudicium autem quod me veritatem cernere vetebat, erat descriptio apud auctores passim obvia, scilicet, ægrotos in eodem situ, in quo erant rigere, neque sese movere, hæc autem in hoc ægroto secus habebant; si enim illum quispiam voluisset erigere, concidisset.

Quæ ad Catalepsios explicationem requirantur?

Ut ergo Catalepsios clariorem formemus conceptum ante omnia determinandum est, in quo essentia hujus sive morbi sive symptomatis consistat? postmodum quæ huic morbo sunt accidentalia scrutandum erit?

In quo consistat ejus essentia?

Dico ergo, essentia hujus morbi consistit in sensuum omnium præhensione, ut cum *Jonstono* loquar. Evinco illud ex omnium fere practicorum descriptionibus. *Sennertus* vocat sensuum internorum & externorum cessationum: *Jac. Sylvius* ait, cum Apoplexia Catalepsin habere communem sensus & motus privationem. *Rondeleticis* affirmat, esse omnium sensuum comprehensionem, nec multum à Caro & Lethargo distare, putatque eum similem & simili modo fieri quo Apoplexia.

Non lubet, nec est necessarium, plurium auctorum descriptiones adducere, sufficit sensuum præhensionem observari ordinariè. Illud nomen ipsum καταλήψεως & κατοχῆς sive κατόχου indicat. Concinunt Latini, quando dixerunt *detensionem*, *deprehensionem*, *occupationem*. *Hippocrates* vocabulo ἐκστάσεως utitur, quod apprimè huic morbo mihi convenire videtur. Vide *Sennertum* qui & *Scaligerum* citat. Fortè etiam *Hippocrati* dicitur ἔκπληξις.

Cum itaque Practicorum consensus, cum comparatio hujus morbi cum Lethargo, Caro, Apoplexia, cum ipsa nominis Etymologia, sensuum subitaneam privationem huic morbo tribuant, in hoc essentiam hujus morbi consistere merito statuimus.

Objectioni solutio.

Neque obstat quod *Galenus* referat historiam juvenis, qui cum absque sensu & motu jaceret, postmodum tamen narrabat

ea

ea quæ essent acta. Non fuit ea vera Catalepsis, vel ad minimum levior ejus species. Ego memini me tractasse matronam eodem modo, quo *Galenus* narrat, affectam, quam ego, & reliqui omnes sensu destitutam judicabamus. Hæc tamen omnium, quæ contigerant in paroxysmo, erat memor, quamvis nulla posset sensus indicia proferre: erat autem hic affectus, suffocatio hysterica. Ita facile potest decipi medicus, si aliter judicet de affectu quam oportebat, potest alios decipere, si affectui aliud imponat nomen, quam id quod essentiæ ejus convenit.

Inquirendum ulterius est, an in hoc morbo motus privatio sit æque de essentia morbi, atque privatio sensus? Dico ego, motus non potest propriè dici abolitus, ubi corpus manet erectum, ubi musculi sunt tensi. Quemadmodum in Tetano motus non dicitur abolitus, ita juxta eorum sententiam, qui dicunt ægrum catalepsi correptum remanere in eodem situ, revera motus non potest dici abolitus, quoniam tensio musculorum non cessat. Deinde potest dari Catalepsis, in quo motus non abest, quemadmodum ex exemplo à me viso clarissimè patet. Laborabat revera juvenis ille Catalepsi, & quidem vehementi, omnium sensuum exercitio privatus; idem autem mihi usu venit, quod *Henrico ab Heers*, dubius & anxius hærebam in principio, quippe alium formaveram Catalepsios conceptum, ex iis quæ apud Auctores repereram. An privatio motus quoque sit de essentia hujus affectus?

Tandem inquirendum est, an illud omnino sit de essentia Morbi, stare, vel remanere in eodem statu, quo quis fuit correptus, & retinere illum statum membrorum, quem accedenti placuit dare, prout Auctores referunt? Nego illud omnino esse de essentia morbi. Antequam autem probem meam sententiam, & causam erroris detegam, explicabo quid velim. Non nego aliquem Catalepsi correptum in principio posse obstupescere, & immotum perstare, verum si malum perseveret, si ingravescat, nego illum diu posse ita erectum manere, multo minus posse retinere eundem situm: manus ex. gr. elevetur, vel extendatur, non remanebit in eo situ, quem placuit adstanti, pro libitu, ipsi tribuere. An remanere in eodem statu sit de essentiâ hujus morbi?

Probo meam sententiam hoc argumento. Quodcumque est

de essentia alicujus morbi illud semper & necessario adest, atqui talis rigiditas & situs pro lubitu adstantis non semper adest. ERGO. Quandoquidem major negari non potest, probanda est minor. Minor probatur ex exemplo, quod mihi videre contigit, is enim ægrotus decumbebat, musculos minimè habebat tensos, & si quis illum voluisset in pedes erigere, statim in terram fuisset delapsus. Probatur idem ex exemplo *Rondeletii*, nova illa nupta quotiescumque maritus occurreret, & paroxysmum metueret, non manebat erecta, sed amabat sedere, proculdubio quia casum metuebat. Sufficere possunt hæc duo exempla probationi, una enim instantia in contrarium producta efficit, ut propositio non possit censeri universaliter vera. Juvat tamen hanc rem ulterius evincere, ut morbus hic, explicatu difficillimus habitus, luce meridianâ clarius innotescat. Dico ergo, Auctores comparant hunc morbum cum Apoplexia, Caro & Lethargo, eo ipso non obscurè fatentes membra jacere resoluta. Quod si tensionem musculorum ad hujus morbi essentiam constituendam necessariam judicassent, potius debuissent eum cum Spasmo comparare, hic enim Morbus solus & unicus est inter morbos cerebri, rigiditatem musculorum habens comitem: quamquam ne sic quidem explicari posset, quomodo membra obsequerentur motui, quem adstans imprimere vellet. Quando dico unicum esse inter morbos cerebri, intelligo morbos in quibus motus voluntarius perit, novi enim in Maniâ, Melancholia, Phrenitide motum voluntarium esse superstitem. In hoc morbo sensus perit, motus voluntarius cessat, juxta horum auctorum sententiam, & tamen musculos volunt robur suum retinere, non voluntati, sed impressioni externæ obsequentes, quod mihi quidem videtur à veritate longe remotum.

An experientiæ non sit habenda fides?

Dicet aliquis, an ergo experientiæ refragaris? an relationibus auctorum non habes fidem? Respondeo me experientiæ minimè refragari, verum ab experientiâ melius edoctum, cœpisse rem accuratius examinare. Nolo etiam relationibus auctorum denegare fidem, ubi observationes sunt fidæ, & multiplices, & sibi mutuo omnes consentientes, verum ubi manifestum evadit homines præjudico imbutos sibi mutuo contradicere, & hy-

hypothesi convenientia in chartam conjecisse, tum licet cum grano salis eorum effata & dogmata recipere.

Ut ergo hæc res fiat planior, explicanda sunt præjudicia, & relationum mirarum fontes, è quibus hæ narratiunculæ profluxerunt. Errorum fontes.

1. Est ignorantia, quæ efficit, ut quoties aliquid mirandum oculis hominum objicitur, solent semper spectatores rem mirum in modum augere. Non est necesse illud multis probare, quicumque in vitâ communi attendere solitus est ad relationes passim obvias, in scit me hic verissimum narrare. Expressit illud eleganter *Erasmus* in colloquiis.

2. Est nomenclatura, dicitur hic morbus *Congelatio*, *Catalepsis*, *Detensio*, itaque ne observationes ab appellatione morbi convenirent discreparent, historiæ ægrotorum ita fuerunt explicandæ, ut cum naturâ & Etymologiâ vocis exactè convenirent.

3. Est Veneratio *Galeni*, quem citare passim soliti fuerunt medici, cum cujus placitis convenire imprimis judicarunt egregium, cum ille itaque talem narrasset hujus morbi historiam, enitendum erat, ut observationes observationibus exactè quadrarent.

4. Est præjudicium à causa morbi petitum, quam statuerunt plerique congelationem spirituum animalium, rem fingentes quæ & veritati & naturæ spirituum animalium planè repugnat. An sol potest carere lumine? An calor motu intestino? An liquores possunt remanere liquores, & fluiditatem amittere? An aër potest congelari? Æque absurdam rem statuit, qui existimat spiritus animales posse congelari. Huic ergo falsissimo præjudicio præoccupati, hypothesi convenientia symptomata enarrare auctoribus fuit volupe.

5. Est Philautia, quæ hominibus persuadet, pulchrum esse omnium morborum exempla eorum oculis subjecta, eorum curæ esse demandata. Itaque cum tales observationes, quales narrantur à quibusdam ipsis, nunquam occurrissent, ab aliis tradita, tanquam sua, memoriæ prodiderunt. Ita invaluit error; eadem de Catalepsi narrantur à pluribus; mutatis nominibus eadem agitur fabula. Deinde sibi imaginantur multi, se magni fieri, si mira & stupenda se vidisse narrent: itaque

quilibet gestit amplificare rem, verba sonora, & circumstantias adjicere, ut lector miretur scriptorem. Hic perversus sui ipsius amor oppidò est familiaris, & errorum causa non contemnenda, uti statim in principio etiam monui.

6. Accedit & alia causa, nempe vestigia similium fabularum cerebro, à prima juventute, impressa, inter quæ non minimum locum obtinent ea, quæ de *Medusæ* capite referunt *Poetæ.* Itaque cum hic Morbus attonitum redderet ægrotum, quæ apud *Poëtas* legerant etiam huic morbo accommodarunt. Cum ego cogitationes meas de hoc morbo ante aliquot annos in chartas conjicerem, hunc errorem detexi, hoc exemplum adduxi. Jam mea ad incudem revocans, & cum dogmatibus aliorum practicorum conferens, invenio *Forestum* & *Sennertum* idem hoc exemplum, eandem adducere fabulam, ad explicationem hujus morbi, id quod me admodum in mea sententia confirmavit. Quamvis enim illi seriò, & explicationis gratia, adduxerint, ego autem refellendi causa, tamen manifestum est, quando tales fabulæ menti obversantur, aliquid ex illis fabulis facile in Medicinam derivari potuisse.

Hisce fabulis innutriebantur gentiles: harum frequens apud ipsos mentio. Pueri & juvenes portentosa, fabulas, historias fabulosas, audire & legere gestiunt. *Ovidii* Metamorphosis etiamnum prælegitur discipulis, memoriæ mandatur: Placent circumscriptiones stuporis:

Non aliter stupui quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit, & est vitæ nescius ipse suæ.

Has autem fabulas satis profunda sui vestigia relinquere, cui libet est manifestum.

Jam autem novimus testam servare diu odorem, quo semel est recens imbuta.

Fabulæ variæ. Si quis autem putet à medicis nihil nisi vera & solida posteritati esse tradita, si quis fabulis in Medicina non esse relictum locum existimet, is meo judicio longe fallitur. Omitto enim fabulas de sexaginta quinque infantibus uno partu editis, cujus etiamnum multæ circumstantiæ narrantur, & pelves in quibus fuerunt babtizati (nisi fallor) ostenduntur. Omitto fabu-

bus

las de Sternutatione, aliquando Epidemicâ & lethali, cujus alio loco feci mentionem. Quotusquique est quem fugiat narratiunculæ de *molis* viventibus, currentibus, volantibus, evadentibus, aut sese abscondentibus? Nonne etiamnum creditur, si quis galeatus in lucem prodeat, eum futura posse prædicere? Quid? quod talis possessor galeæ ab ictu sclopetorum statuatur esse tutus?

Explicui, uti mihi videtur, clarissimè qua ratione contigerit, ut in Medicorum relationibus de Catalepsi quæpiam irrepserint, non satis cum veritate, observationibus hodiernis & ratione convenientia. Hæc tanto magis assensum extorquebunt, si quis diligenter perpenderit, non unam, aut alteram harum causarum, sed plures, imo omnes habuisse apud aliquos scriptores locum. Omnes, quos mihi saltem videre contigit, circa hunc morbum cæcutiunt: nomenclatura hujus morbi vulgaris est: veneratio *Galeni* diu obtinuit: plerique spirituum congelationem, vel aliquid analogum, aut æque absurdum statuunt: omnes magis vel minus Philautiâ sunt præoccupati: omnium mentes fabulis sunt imbuti. Itaque causis hisce concurrentibus, non debet videri mirum, si medici detentionem in illo statu, in quo æger erat, ubi morbo hoc corriperetur, ubique & ultra veritatem narraverint. Causarum complicatio

Hæc est ratio, quare Medici levioris Catalepseos speciem non animadverterint, graviores causas non intellexerint, ideoque res hæc à me aliquanto latius fuit deducenda, ut hujus affectus natura imposterum melius intelligatur.

Pergo ad naturam Catalepsios explicandam hac descriptione: Catalepsis seu Catochus vulgaris, sive Extasis, est subita *sensuum omnium privatio seu stupor repentinus, ex animi commotione, vel ejusdem intensione vehementi, absque præviâ spirituum, sanguinis, aut cerebri prava dispositione, aut respiratione difficili hominem invadens.* Descriptio Catalepsios.

Catalepsin & Catochum eundem facio morbum, communem opinionem secutus, ut inutilem de nomine disputationem evitarem. Dixi etiam eundem morbum esse Extasin, probè gnarus hoc nomine illam mentis alienationem designari, quæ Divinitus contigit, verum naturalis ἐκστάσεως, seu Catalepsis Catalepsis & Catochus.

 eadem

eadem ratio. Quemadmodum *Prophetæ* aut *Apostoli* immediatè à Deo extra sese rapti fuerunt, ut Deus illis aliquid extraordinario modo significaret, ita hi à causis naturalibus sensuum omnium exercitio privantur, specimen exhibituri humanæ fragilitatis. Verum quandoquidem unum nomen huic morbo sufficere sum arbitratus, in superioribus explicui, cui affectui Catochi & ἐκστάσεως nomen in specie possit tribui. Hic tamen explicanda erat vulgaris nomenclatura.

Est subita omnium sensuum privatio.

Dixi subitam esse privationem omnium sensuum, quandoquidem non minus in hoc morbo quam in Apoplexia, Caro &c. omnium sensuum exercitio privantur, non vident, non audiunt, ad interrogata minime respondent ægroti. Quando nempe gravissima affligit species, alias in levioribus insultibus, postea describendis, privatio hæc est minor, nec ita manifesta.

Sensuum privatio in hoc casu contingit, non ab aliquo vitio in sensibus exterioribus; verum quia mens aliis cogitationibus est intenta, vel à passionibus, corpus vehementer commoventibus, è suâ sede & statu, ut ita dicam, dimota.

Stupor repentinus.

Explicationis gratia addidi, posse genus statui stuporem repentinum, quandoquidem revera Cataleptici à subitaneâ illa menti oblata agitatione attoniti stupent. Expresserunt illud sæpius poëtæ uti superius vidimus. Stupòris repentini nomen merentur leviores Catalepsios species, in quibus omnium sensuum privatio non est ita manifesta. Quandoquidem ego existimo Catalepseos gradum non unum dari, videbatur conveniens duplex genus expressisse, vulgari opinioni magis accommodatum, & meæ opinioni conveniens.

Ex animi commotione.

Dixi hunc affectum oriri ex animi commotione, vel intensione vehementi, duplex enim est causa Catalepsios, vel animi commotio, vel intensio: duplex etiam gradus Catalepsios, vel enim ægri ita stupent, ut nullis clamoribus, vellicationibus ad sese redeant, vel etiam, ut ab illa mentis alienatione possint revocari. Quibus fortè non incommode posset jungi medius quidam gradus, quod videantur quidem respondere ad interrogata, & loqui, adeo tamen mens est alienata, ut postero die nihil meminerint eorum, quæ gesta sunt: id quod mihi contigit aliquando videre in fœmina vehementi animi pathemate

mate

mate affectâ, ad quam cum vesperi essem advocatus, respondit quidem ad interrogata, postero die autem ad sese rediens, prorsus erat ignara me ipsi adfuisse, ignara etiam eorum quæ circa sese erant acta.

Probè hoc est tenendum, non unam dari Catalepsios speciem, ita enim determinari potest illa quæstio, cujus in superioribus feci mentionem, num scilicet manere in eodem situ, in quo æger fuit ante subitam præhensionem, sit de essentia hujus morbi? Dixi non esse de essentiâ hujus morbi, etenim in levioribus speciebus, non habet locum. In principio potest aliquis immotus permanere, verum ubi affectus est gravior, & diutius perseverat, cogetur Catalepticus decumbere, uti in exemplo, à me allato, luculentissime patet.

Intensio animi leviorem producit Catalepsin, quandoquidem passiones sanguinem validè commoventes non conjunguntur. Levioris Catalepsios species mihi videtur fuisse *Archimedis*, qui ita speculationibus Mathematicis erat intentus, ut urbem *Syracusas ab hostibus* esse captam non senserit, neque tum quidem intensio animi discussa fuerit, cum milites in eum irruerent. Quamvis enim ad Catalepsin hæc non referatur historia, revera tamen levior fuit Catalepsis. Verum ita ordinariè res agitur, leviores species sicco pede transire solemus, ubi gradus est intensior, tum stupemus, & miramur. Ego autem hoc exemplum consulto adduxi ut pateat, quid possit vehemens animi intensio. Illud etiam quilibet novit, qui vel speculationibus Mathematicis, vel supputationibus difficilibus, aut tandem meditationibus profundis fuit immersus, magnum aliquando excitari strepitum, clamores per plateas, sonitum campanarum, & similia, quorum omnium nihil animadvertat ille, qui ad rem aliquam seriam animum habet admodum attentum. Ex levioribus enim principiis, & exemplis intensionis animi obviis, de gravioribus speciebus faciendum est judicium. Ne autem hoc aliter interpretetur quispiam atque ego sentio, non dico animi hanc intensionem esse Catalepsin, juxta opinionem vulgarem, aut hoc nomine appellari; verum quandoquidem intensio mentis potest ita nos impeditos tenere, ut multa contingant, quorum sensus nos minimè afficit, Catalepsios nomen in latiori signifi-

Intensio animi.

ficatione huic ſtupori etiam poſſe tribui ſtatuo. Si quis aliud eſſe excogitandum vocabulum magis conveniens judicet, is ſuo fruatur arbitrio. Saltem affectum, quo correptus fuit *Johannes Scotus*, bis mortuus, uti ajunt, ſemel ſepultus, appellandum eſſe Catalepſin, non Apoplexiam mihi videtur manifeſtiſſimum. Si cauſæ graviores cum ſtupore conjungantur, excitabitur Catalepſis gravior.

Gravior ſpecies. Gravior Catalepſios ſpecies non contingit, niſi animi Pathema inſigne accedat. Attentio quidem mentem à ſenſuum exteriorum exercitiis revocat, non autem ita ſpiritus animales agitat, aut ſanguinem commovet, ut in extaſin rapiat. Si vehemens animi commotio conjungatur, tum nec clamor, nec vellicatio, nec quicquam aliud præhenſos revocare valet.

Homines invadit. Quæ porro in deſcriptione adduntur ad cauſarum explicationem pertinent, niſi quod in fine additum ſit, hominem hunc affectum invadere, idque duplici de cauſa: tum ut conſtet, me de morbis hominum, non brutorum agere, tum etiam ut innuerem, hoc ſymptoma non niſi hominem poſſe invadere, quandoquidem oritur ex arctiſſima mentis cum corpore unione. Vidit hoc *Regius* in ſua praxi, qui convenientiſſimè ſuæ hypotheſi ſtatuit, glandulam pinealem eſſe affectam. Revera hic affectus oritur ex eo, quod mens ab objecto inſolito, admirationem inſignem, & paſſionem excitante, quaſi è ſua ſede & ſtatu dimoveatur. Verum in ſuperioribus vidimus, quid de ſenſorio communi ſit ſentiendum, adeoque patet quam neceſſarium fuerit errorem ferè univerſalem corrigere, quamvis propriè id poſſit videri Philoſophicum. Cerebrum non eſt malè, hoc eſt, morboſè affectum, uti in Apoplexia, Caro, Epilepſia &c. ſolet. Alias non poteſt etiam cerebrum bene diſpoſitum dici, ubi quis Catalepſi corripitur. Reſpiratio quoque minimè eſt laborioſa, nullæ adſunt ſequelæ, quæ affectus graviores comitari ſolent. Ideo facile medicus ſe impeditum ſentit, ubi primâ vice ad talem vocatur ægrum.

Provocatio ad experientiam. Hæc ita revera ſeſe habere experientiâ conſtat. Provoco ad hanc, & obteſtor omnes qui hæc mea legent, ut abſque præjudicio hæc meditentur, & ad animum revocent. Inſpiciatur *Galenus*, *Fernelius*, *Montaltus*, apparebit exempla Catalepticorum

rum

rum ex intensione animi insigni habuisse ortum: conferantur cum iis quæ de *Archimede* dixi, & apparebit, intensionem animi mentem à sensibus abducentem, esse causam Catalepsios. Cum autem stupendum affectum cernerent, nec intensionis animi aut passionis naturam, nec conjunctionem mentis cum corpore intelligerent, putarunt etiam causas stupendas, & à veritate omnino alienas excogitandas, & effingendas esse; nempe spirituum congelationem, & similia. Cumque stuporis ea sit natura, ut homines instar stipitis, aut statuæ, immotos reddat, putarunt in hac rigiditate essentiam hujus pathematis consistere. Rigiditas in convulsionibus, & in aliis affectibus aliquando contingit, verum tum membra flecti non possunt: in hoc casu rigiditatem rigiditate carentem statuerunt. In Catalepsi manere in eodem statu per aliquod tempus, est consequens attonitæ mentis, nec affectus hic aliquomodo ad convulsiones potest referri. Stuporis autem attoniti contemplatio fecit, ut quædam de situ & rigiditate miranda Auctores, ut solet, præter veritatem affingerent.

Ex iis, quæ hactenus disputata, sunt luce meridiana clarius apparet, nullam præcessisse pravam dispositionem cerebri sanguinis, spirituum; si enim hæc concurrerent, aut Apoplexia, aut affectus comatosus, aut convulsivus, aut quippiam simile fuisset exortum; verum Catalepsis sanos subito præhendit, & hæc est ratio, quare expresse voluerim illud monere. Neque putem efficacius aliquid posse excogitari, ad præjudicia, quæ è lectione practicorum alicujus animum dudum præoccupaverunt, prorsus evellenda, quam si attentè consideret exempla Catalepticorum referri non de morbosis, sed de sanis subito correptis. Addendum est, Catalepticos, simulac mentis illæ tenebræ sunt discussæ, statim iterum restitui, id quod ex exemplo à me viso constat, ille enim juvenis V.S. excitatus, statim omnia narravit, atque ad munia ordinaria reversus est. *Johannes Scotus*, sepulturæ mandatus, postea à Catalepsi sponte est restitutus, uti ex indiciis apparuit. Iterum dico, nulla præcessit hic prava cerebri dispositio, nulla spirituum congelatio. Alia est ratio Catalepsios spuriæ, de qua in differentiis. Nulla præcessit prava cerebri dispositio.

Objiciet fortasse aliquis: juxta tuam sententiam affectus hic Objectionis solutio.

tantum esset affectus mentis, non corporis: atque corporis sensoria officio suo non funguntur, nec etiam membra, adeoque hæc sententia admitti non potest. Est hæc objectio magni momenti, adeoque accuratè examinanda.

Dixi ergo, etiamnum accuratè defendo, nullam prægressam esse pravam cerebri dispositionem, sanguinis, spirituum: verum concedo in ipsâ illâ præhensione, & insultu adesse dispositionem præternaturalem harum partium. Quando de sensu agimus, agimus de corporis in mentem actione, & de perceptione, quæ in mente à motu corporeo excitatur. In eo enim mentis cum corpore conjunctio consistit, ut mens affici non possit, quin corpus simul afficiatur, nec corpus quin simul afficiatur mens. Aliud intelligimus quando de cogitatione loquimur, aliud quando de sensu. Cogitatio est de essentiâ mentis, sentire unionem mentis cum corpore involvit: Itaque explicandum restat, quæ sit illa corporea dispositio Catalepsin producens?

Hic autem opus est magna animi intensione, revocanda sunt in memoriam quæ de somno, vigilia, Epilepsia &c. passim disputavi, ut hæc intelligatur: ego dabo operam, ut clare me explicem. Ut mens sit præsens, vigilans, judicans, ratiocinatione exacta utens, necessum est, ut spiritus animales sint satis mobiles, expandentes medullam oblongatam & nervos per corpus distributos, ita enim motus sensuum omnium afficiunt mentem, mens percipit, intelligit, ratiocinatur. Non debet cerebrum nimis deprimi, ita enim homo fit somnolentus, vel in somnum præternaturalem labitur æger: non debet opprimi cerebrum, ne oriatur Apoplexia, non debent arteriæ carotides nimium repleri, & nervos opticos, oculi motorios &c. comprimere, ne sensus exteriores intercipiantur, & oriatur aut Vertigo, aut Epilepsia. Non debent etiam spiritus nimium agitari, ne oriantur vigiliæ, spirituum defatigatio, dissipatio, Phrenitis, Mania &c. tum enim spirituum agitatio est tanta, ut dispositio illa ad somnum non possit sedare agitationem illam spirituum, adeoque blandam cerebri compressionem producere, quæ in nobis somnum efficit. In Catalepsi alia est ratio: nempe admiratio & attentio efficit, ut pauci spiritus versus

or-

organa sensuum exteriorum distribuantur, spiritus igitur distendunt & expandunt medullarem cerebri substantiam, medullam oblongatam, ejusque partes, & agitationem satis magnam habent, non tamen sese diffundentem extra cerebrum, nisi in quantum illud in principio requiritur, ad commotionem animi excitandam. Eodem tempore sanguis copiosius versus cerebrum premitur, ibidemque arterias carotides & vertebrales, earumque propagines insigniter replet, unde major compressio nervorum ad sensuum organa sese diffundentium, adeoque ἀναισθησία in Catalepsi obvia. Hinc jam oritur mutua quasi lucta, spiritus medullam oblongatam extendentes premunt vasa sanguinea nimium repleta ab animi admiratione sanguinem versus cerebrum propellente: sanguis iterum premit sensuum externorum organa, & cerebri corticalem substantiam, non tamen potest somnum, aut stertorem, aut Epilepsias producere, quandoquidem agitationis spirituum & explicationis medullæ oblongatæ vis est tanta, ut depressioni cerebri efficacissime resistat. In hac autem mutuâ luctâ, & resistentiâ, consistit essentia Catalepsios, quæ fieri non posset, nisi homo esset mediocriter sanus. Si enim fervor accederet spirituum, inflammatio membranarum cerebri oriretur Mania, Phrenitri aut similis affectus: si accederet sanguinis copia, aut cacochymia, aut flacciditas cerebri oriretur Apoplexia, lethargus aut similis affectus: si accederet convulsio membranarum cerebri oriretur Epilepsia.

Hæc sunt verissima & certissima, nec possunt esse practico incognita, dummodo præjudicia deponat. Verum oscitantia, & veræ œconomiæ humanæ ignoratio, fecit, ut miras larvas loco veritatis amplexi fuerint Medici. Hæc ab experientiâ mirum in modum confirmantur: vides enim ab animi pathemate nonnullos in Apoplexiam, Paralysin, Epilepsiam &c. incidere, rarius autem in Catalepsin, quia ut plurimum accedit prava cerebri, sanguinis, spirituum dispositio, raro contingit exactum esse adeo æquilibrium, ut Catalepsis oriatur, saltem vehemens, leviores Catalepsios species Medici non animadverterunt, quandoquidem rigiditatem illam, miram illam in omnes formas dispositionem, & permanentiam in eodem statu sibi repræsentabant.

 In

Causa Catalepsios.

In Explicatione hujus morbi nihil fingo, nihil suppono, nisi quod sit evidentissimum. Nullas excogitavi causas, quæ ab aliquo in dubium possint vocari. Manifestum est, sanguinem aliquando vasa magis aliquando minus replere: manifestissimum est, à pressione nervorum intercipi sensuum externorum functiones: manifestissimum est, spiritus aliquando ad organa sensuum exteriorum posse amandari, aliquando etiam ad interiora revocari, & tantum vestigia cerebro ante impressa speculari. Manifestissimum est, hinc vel magis vel minus sensuum externorum ministerio uti, vel etiam carere homines. Quemadmodum enim attentio & oculus immotus necessarii sunt, ut distinctè videamus, ita etiam attentio requiritur ut audiamus, olfaciamus, de gustu judicemus. Attentio illa respectu mentis dependet à voluntate, respectu corporis à determinatione spirituum animalium versus organa sensuum. Ab influxu illo spirituum, nervi illorumque fibrillæ tenduntur, tympanum expanditur, officula auditus facile afficiuntur ab impulsu aëris, quod si ille influxus cesset, vel aliò derivetur, sensus non vigent. Ita experimur nos posse arrigere aures, hoc est, attendere ad ea quæ submissa voce dicuntur, eaque facile intelligere, quæ alias auditum nostrum minime affecissent. E contrario, confabulantur duo, alteri inter confabulandum aliquid incidit, quod imaginationem magis feriat, præsens absens est, nihil omnino percipit eorum quæ ab alio narrantur. Causa ergo Catalepsios est attentio, & intensio animi nimia.

Si attentio vel ejus defectus, si spirituum ordinaria determinatio tantas inducat differentias, in obeundis functionibus sensuum externorum: si admiratio nos extra nos rapiat, graviores orientur mentis distractiones, si accedant animi pathemata. Scimus quid passiones animi possint, scimus quam gravia symptomata à passionibus animi excitentur, absque præviâ dispositione, aliquando vix, aut ne vix quidem arte medicâ expugnanda. Adeo ut hæc innitantur principiis talibus, quorum nullus potest esse prorsus ignarus, quæque animum veritatis avidum convincunt; qui autem chimæris sese deludi expetit, is chimæris vanis & falsis deludatur.

Explicatio à contrario.

Possent hæc videri satis explicata; verum quandoquidem

novi quam difficulter antiqua evellantur præjudicia, quam difficulter aſſentiamur veritati nullo figmentorum fuco contaminatæ, juvat hanc rem à contrario illuſtrare, ut paſſionum efficacia à Medicis hactenus non ſatis animadverſa, luce meridiana clarius appareat. Obſervamus itaque, in omni animi paſſione cor extraordinariè commoveri, unde plures vel pauciores generantur ſpiritus, pro ratione expanſionis vel contractionis cordis. Spiritus hi proportionaliter ad motum cordis & pulmonum agitantur etiam magis vel minus turbulente, ad has vel illas partes, ad varios muſculos varie determinantur. Nec mihi videtur à ratione & experientiâ alienum, ſanguinis motum, à ſpirituum in arteriarum, majorum imprimis, tunicas influxu, varie determinari, magis verſus hanc quam illam partem premi. Ita ex. gr. metus & fugæ amor à repentinâ conſternatione ſpiritus animales verſus muſculos pedis curſui inſervientes determinat, ſanguis fortè eodem tempore eo magis propellitur, adeoque expanſio & contractio muſculorum reciproca promptè ſuccedit. Spiritus animales concitati & veluti fugaces in cerebro nec attentionem, nec ratiocinationem nec judicium formant, ſed tumultuariè tantum verſus cor, pulmonem muſculos artuum & pedum feruntur. Quippe fugimus quandoque cum potius ſtandum & permanendum eſſet; *Scyllam* evitantes in *Charybdim* incidimus. Videmus itaque ſpirituum & ſanguinis motum, atque determinationem in paſſionibus multum immutari.

In Catalepſi alio planè modo ſeſe res habet. Spiritus ab admiratione, à perceptione & imaginatione paſſionem excitante, ita ſeſe applicant illi objecto, ut in illius contemplatione planè obſtupeſcant: mens corporis, & motuum corporeorum, ac determinationis ſpirituum verſus partes inferiores oblita, in illo objecto contemplando attonita hæret, atqui omnes ſpiritus in expenſione cerebri, & contemplatione objecti prorſus impendit. Interim ſanguis quoque copioſius rapitur verſus cerebrum, replet arterias carotides, harumque ramificationes, premit nervos ad ſenſoria externa diſtributos, adeoque illorum exercitium plane ſuſpendit. Non ſuccedit ſomnus, aut ſomnolentia, quoniam ſpiritus nimium ſunt agitati, interrum- *Applicatio ad Catalepſin.*

pitur tamen sensuum omnium exercitium, quandoquidem nervi magis quam in somno naturali comprimuntur. Interim imaginatio à novorum objectorum appulsu minimè impedita, tanto est vividior, quemadmodum illud etiam in somno sæpe animadvertimus. Ita vel attoniti hærent & obstupescunt, vel à Pathematis vi exagitati, effutiunt quicquid in buccas venerit, nec rationis dictamini sunt obsequentes: non attendunt ad ea quæ leniendo affectui possent esse utilia, non regunt animum, quinimo nec quæ loquantur, nec quid alii suggisserint percipiunt.

Historia memorabilis.

Nulli animi pathematum vis in concitandis morbis, aliquando medicam manum planè respuentibus, omnino incognita est, non inutile tamen judicavi referre historiam imprimis memorandam, cujus ego ipse fui oculatus testis. Vidi virginem, miratus sum & dolui casum omnino deplorandum; quam enim sanam, vegetam, hilarem & ingenii satis vividi conspexeram, postmodum amentem & fatuam vidi. Virginem hanc, multis ingenii dotibus conspicuam, nec deformem, ambiebat juvenis honestus; verùm parenti minus gratus, seu propter vitæ genus, seu quod esset in re minus lauta. Quanto minus parenti, tanto magis virgini arridebat adolescens, illumque sibi unice maritum exposcebat misera. Opposuit sese huic matrimonio pater, neque votis illorum annuit. Illa obediens parenti fuit, cum interim soror natu minor, spreto parentis imperio, illi nubere non dubitaverit. Cruciavit hic casus mirè sororem natu majorem, adeo quidem, ut variis animi pathematibus agitata, tandem omnino reddita sit fatua. Vidi ego eam omnino mente captam, vestitus erat squallidus, perierat omnis ornatus cura mulieribus nimium familiaris, loquebatur, verum incondita & prorsus ἀπροσδιόνυσα. Aderat ancilla senior, quæ ipsi velut infanti cuncta ministrabat: vestes exuebat hæc, atque iterum induebat, lecto imponebat, è lecto eximebat, neque enim vestium, aut tegendi corporis ulla cura. Interim erat satis sana & obesa, mentem non sanam in corpore satis benè disposito habebat infelix. Si mens, si ratiocinatio in perpetuum à passionibus aboleatur, quid mirum si à casu repentino sensus pereat, homo obstupescat?

Ne-

Neque iis quæ hactenus dicta sunt obstat *Sylvii* observatio qui refert, sibi & aliis pluribus medicis *Amstelædami* visum esse Catalepticum videntem, audientem, & cæteris sensibus utentem, verum stupidius & torpidius. Non fuit enim ea verè Catalepsis, verum ad Catalepsin retulit vir ingeniosus casum planè alium, ne scilicet ipsi Cataleptici deesset observatio. Quis unquam fando audivit Catalepsin per annos quatuor vel quinque afflixisse? id tamen de hoc ægroto narrat *Sylvius*? Quis autem sanæ mentis negabit senes aliquando fieri tardos & languidos? Quis negabit post exantlatos, forsan graves labores, & senium minus felix, aliquem esse animo abjecto & fracto? Quis neget constitutionem scorbuticam, si negligatur exercitium, membra minus apta reddere ad motum? Talia symptomata in praxi aliquoties contingunt; verum aliud est, aliquem sanum & vegetum repentè corripi Catalepsi, manere in eodem situ immobilem sensibus omnibus privatum, uti auctores referunt. Rectè *Sylvius* observavit diversos esse Catalepsios gradus. In eo fallitur, quod statuat Catalepsin esse symptoma motus animalis, cum antea ostensum sit, esse symptoma sensus communis, ad tempus vel aboliti, vel etiam imminuti cui rigiditas major vel minor jungi potest: verum rigiditas illa ex eo ortum habet, quod sensus perierit, non autem sensus perit, quia membra sunt rigida. Sylvii observatio.

Ea quæ hactenus dicta sunt, si quis cum aliorum opinionibus conferre voluerit, is facile intelliget quæ circa hunc Morbum hucusque tradita sunt, magnam partem præconceptæ opinioni, vel fictitiis hypothesibus innixa esse, me autem veritatem ipsam, nullo adulterino fuco incrustatam, candidè proposuisse.

Differentiæ hujus affectus sunt, quod alius sit simplex, alius aliis comitatus morbis vel animi pathematibus. Simplex vel ab animi intensione, vel ab affectu habet ortum. Simplicis minor gradus ab animi intensione non judicatur esse morbosus, & est tantum sequela spirituum in contemplatione alicujus rei attentissimè defixorum: quamvis enim plura possint contingere quæ illos non afficiant, quando tamen aliquis tales serio compellat, statim illa animi intensio frangitur, Differentiæ.

tur, & ad munia ordinaria vitæ communis fit transitus. Revera tamen ab animi intensione, & expansione illa exquisita cerebri, & cerebro & spiritibus animalibus aliqua infertur, si gradus major accedat. Exempla eorum sunt obvia, qui hoc pacto redditi sunt fatui. Si quis ergo hos gradus voluerit distinguere, per me id licet; verùm hæc distinctio ab arbitrio alicujus mihi pendere videtur.

Catalepsis ab animi passione vehementior est, & sensus omnino occupat, adeo ut attoniti stupeant hoc modo affecti. Affectio hæc animi ad admirationem potissimum referri debet; verum cum raro admiratio sit ita vehemens, hinc raro observatur Catalepsis. Hinc auctores casus ex aliis descripserunt, vel ad aliorum imitationem effinxerunt, uti illud ex eorum scriptis est perspicuum. Quod si aliæ passiones jungantur imprimis amor, dolor, indignatio facilius quis in Catalepsin incidet.

Catalepsis complicata est, quando aliis morbis jungitur stupor. ex. gr. quando in febribus stupor observatur, & tum signa Catalepsios non adeo sunt manifesta. Nimirum ubi spiritus valdè agitantur, ubi sanguis vehementius premitur, dispositio cerebri talis oritur, qualem descripsimus. Verum hujus speciei descriptio ab Auctoribus negligi solet. Ut verum fatear, est hæc Catalepsis spuria, quandoquidem in eam non quadrat descriptio superius proposita, non fuit tamen à me negligenda, quoniam mentis consternationes propriè ad hunc affectum pertinent. Quamvis hic denominatione *Plateri* utar, non extendo tamen ita latè *mentis consternationem*, uti ille fecit.

Revera autem Catalepsin sese aliis illis morbis miscuisse, ex eo mihi videtur manifestissimum, quod ægroti sermones & consilia sanorum contemnant, vel quod compellati stupeant, quodque eorum quæ gesta sunt, saltem plerorumque, sint immemores. Hæc autem non sunt de natura morbi vel Febrium, propriè loquendo, verum de natura Catalepsios. Ne tamen omni auctoritate destitutus finxisse hanc Catalepsios differentiam videar, juvat in partes vocare *Bonetum*, qui in *Mercurio compitalitio* h.t. exemplum adfert Catochi, post febrem & somnum affligentis.

Si

Si vero quispiam aliter, & accuratius Catalepsios species distinguere velit, vel possit, per me id licebit; quæro enim veritatem, eamque, si erravero, ab aliis etiam addiscere desidero. Si quis Catalepsios vocabulum non nisi exquisitæ tribuere velit, id ipsi est integrum.

Signa Catalepsios sunt, quod aliquis subito ab animi intensione, vel commotione, omnium sensuum exercitio magis vel minus privetur, motu interim voluntario itidem magis vel minus abolito, absque resolutione tamen, aut spasmo musculorum. Distinguitur ab Apoplexia & Caro, quod signa manifesta morbi desint, quod pulsus non multum sit immutatus, nec respiratio ullo modo laboriosa. Adeo ut Catalepsis non minus possit dici Morbus attonitus, ac Apoplexia, quam hoc nomine descripsit *Cortnummius*. Sanus subito fit exstaticus, sensuum exercitio privatur, nec signa alius affectus cerebri, Apoplexiæ, Lethargi, Febris cum Caro, aut Paralyseos adsunt, pulsus faciei lineamenta, &, sic porro se habent instar sanorum. Aliis morbis sese junxisse Catalepsin spuriam, ex eo manifestum est, quod ægroti stupeant magis, quam illud tali morbo est solemne. Signa.

In Prognosi ab aliis medicis non parum dissentio, non enim est periculosus affectus, nec difficulter expugnabilis; omne hoc periculum est imaginarium, à falsa opinione spirituum congelatorum, vel coagulatorum, vel intemperiei frigidæ & siccæ ortum. Catalepsis enim est affectus repentinus, nec diu perseverare potest, imo ægri sibi relicti à somno tandem obrepente, moderatione spontanea passionis, inedia &c. sponte restituuntur. Id ex exemplo *Scoti*, superius adducto, patet. Periculum in eo consistit, quod affectus vehementes aliquando labem aliquam partibus imprimant, unde in posterum languentes vitam incommodam, trahant. Hoc tamen à sola Catalepsi rarò ortum habere existimo, nisi alii, & vehementiores affectus, sese jungant admirationi & stupori. Amentiæ maximum impendere mihi videtur periculum, non vitæ. Ubi Catalepsis spuria sese junxit aliis morbis, non tantum periculum intenditur, ob plura symptomata, sed ille ipse stupor signum præbet magnitudinis morbi, & periculi. Prognosis.

Indicationes

Indicationes sunt, spiritus animales à nimia illa attentione revocare, & repletionem arteriarum carotidum, sensuum exteriorum organa comprimentem, adeoque sensus abolentem, imminuere. In Catalepsi spuriâ, respiciendus morbus quicum copulatur hic affectus, illiusque curationi incumbendum.

Cura. V. S.

Utrique huic indicationi priori, adeoque Curationi, satisfacit sola V. S. Cum enim vociferationes, clamores, strepitus, vellicationes, & similia plura minus efficacia reperiantur, oportet invenire remedium potens. V. S. spirituum copiosiorem generationem ad tempus imminuens, à nimia illa attentione, & intensione animum revocat. Quando enim interrumpitur distensio illa cerebri nimia, affectus tollitur, & ad se redeunt Cataleptici. V. S. sanguinem imminuens eumque impeditum aliò alliciens, sc. ad vasa inanita, repletionem illam arteriarum carotidum nimiam tollit, adeoque sensuum exteriorum usuram sufflaminatam restituit. Usus V. S. in Catalepsi confirmatur & colligitur ex historiâ *Aetii*, qui scribit, Catalepsin à sanguinis multitudine caput confertim occupante, ipsumque implente, sublatam esse quartâ die largâ sanguinis eruptione per nares factâ. Vid. *Montaltum*. Tract. XIV. c. 3.

Hoc remedium non imaginationi, sed experientiæ innixum est. V. S. vehemens illa Catalepsis, cujus feci mentionem, statum sublata est: tum enim ad sese rediens æger omnia quæ erant acta, & affectus stupendi causas ipse detexit. Adeo ut hæc experientia admodum confirmet tum causas, tum etiam indicationes à me propositas.

Naribus admovenda.

Interim utile est naribus admovere spiritus excitantia salia volatilia, &c. quorum in Epilepsiæ curatione facta est mentio.

Enemata.

Possunt quidem injici enemata, verum in inferiori ventre causa mali non latet, nec in hoc cardo rei versatur, caput curationis consistit in V. S.

Ægrotus aliquando frustra torquetur.

Hinc patet, frustra à medicis sæpenumero torqueri ægrotos: raditur cerebelli regio, fovetur una cum tota spina decocto *Lavendulæ*, *Lauri* &c. postmodum inungitur, parti unctæ supponitur Emplastrum. Ægroto exhibetur conditum ex conservis *Acori*, *stæchadis*. Frustra præscribitur *Laconicum*, frustra exstruitur stupha, in qua per biennium retinetur miser, tantas

non

non meritus à Medico pœnas, nec tam diu carceri mancipandus. Fruſtra à *Mercato* præſcribitur Fontanella, aut Setaceum in occipitio. Alia longe Cari, alia Catalepſios eſt ratio.

Si Catalepſi ſuperatâ vigiliæ vexent, ſomnus moderatè provocandus, ſimul exhibendo ea, quæ ſpiritus blandè refocillent. Convenit *Diaſcordium novum* egregium medicamentum, *Athanaſia*, *Aqua Theriacalis minor*. Si quis mixturam amet, poteſt illi gratificari medicus, & præſcribere. ex gr.

℞. *Aq. Ruth. Ceraſor. nigr.*
Betonic.
Meliſſ. aa ℥j.
Theriacal. min. ʒvj.
Tincturæ Croci. ʒß.
Laud. op. gr. j.
Syr. Stæchad. ℥ß.
M.

Sumat ſubinde duo, vel tria cochlearia.

Quicumque autem nimiæ mentis intenſioni ſe imparem ſentit, is à nimiâ, & diutius protracta attentione caveat, is ſtudiis relaxationem animi interponat. Venienti occurrendum morbo. Si quæ alia debilitas, vel incommoditas vexet, poſt ſublatam Catalepſin, ejus curatio è propriis locis petenda. Relaxatio animi.

Ubi Catalepſis ſpuria ſeſe junxit aliis morbis, non tam Catalepſios, quam ipſius morbi eſt habenda ratio. Ex. gr. in febribus, febris ipſa expugnanda, prout illud ejus natura requirit. Interim cavendum, ne ſtupor per Opiata perperam uſurpata augeatur, ſudorifera in uſum vocentur acida, niſi quicquam obſtiterit, *Acetum Bezoardicum* &c. uſurpentur ſanguinem diluentia; crebro injiciantur enemata: pedibus ſubjiciantur animalia viva diſſecta &c. De Catalepſi ſpuria.

Diæta, ex iis quæ dicta ſunt, non difficulter colligitur. Vitandæ omnino moleſtæ animi paſſiones. Hilaritati ſtudendum, vitandum otium, exercitium minimè negligendum. Diæta.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

De Apoplexia.

Apoplexia periculosa.

PErvenimus tandem ad periculosum, & plures subitò jugulantem capitis affectum, Apoplexiam: cui ultimum locum dedimus, aliorum Auctorum more, tum etiam quod affectus sit acutissimus, & curatu difficillimus, quam *Greg. Horstius veram inconstantiæ & calamitatis humanæ notam* dixit. Studebimus autem brevitati, tum quod *Wepferus* in describendo hoc morbo diligenter sit versatus, tum quod plures *Montaltus*, *Willisius*, *Sennertus*, *Bernardus Verzacha*, *Guernerus Nymmannus*, *Justus Cortnummius* &c. de eo satis fusè egerint, denique quod nos quoque cerebri constitutionis naturalis & præternaturalis non semel meminerimus.

Nomina.

Non est necesse de variis Apoplexiæ appellationibus disputare, quandoquidem plures eas persecuti sunt, imprimis *Justus Cortnummius* in libro de *Morbo attonito*. c. 2, 3, 4, 5, 7.

Cortnummis definiti.

Variæ exstant hujus morbi descriptiones, quarum quasdam examinandas suscepit is, quem statim laudavi, *Cortnummius* Rejectis autem vulgaribus, existimat brevem debere, genere & differentia specificâ constantem, proponi definitionem, quæ juxta ejus mentem, hæc est. *Morbus attonitus est hæmostasia in cerebro.* Itaque quod ipsi in discutiendis aliorum descriptionibus licuit, licere etiam mihi arbitratus sum, in examinandâ ipsius.

Examinatur.

Morbus attonitus, inquit, *est hæmostasia in cerebro.* Primum velim animadverti definitiones succinctas, genere & differentia specificâ constantes, rarius in praxi habere locum: quoniam, nisi pluribus verbis describatur affectus, non poterit is à congeneribus exactè distingui, unde non potest non ingens oriri confusio. Quemadmodum enim si quis in Botanicis unicam tantum requireret notam plantæ characteristicam, & contenderet plures non debere proponi, necessario in manifestos incideret errores, ita etiam non potest non aberrare, qui definitionis brevitati nimium studet. Qui ita laborat esse brevis, facile fit obscurus. Descriptiones commodæ definitionibus nimium

mium concisis longè præferendæ. Deinde nomenclatura ipsa hæmostasiæ in Medicina est satis insolens, & in hoc casu à veritate longè remota. Est insolens, quandoquidem scriptores Græci, quod ego quidem sciam, nec etiam practici ordinarii, hæmostasiæ faciant mentionem. Nec refert, quod *Hippocrates* στάσεως vocabulo fuerit usus: non enim tantum apud nos valere debet ejus auctoritas, ut omnes ejus explicationes, omnia vocabula tanquam inconcussas veritates recipiendas existimemus. Deinde jam in superioribus monuimus, non rarò ἀκινησίαν sanguinis culpari, ubi revera sanguis satis validè propellitur. In hoc autem affectu sanguis non stat, sed validè propellitur versus cerebrum, in cerebro ipso non stat, sed vasa nimium replet & extendit, aut extra vasa effunditur, uti videbimus, neutra autem harum affectionum hæmostasiæ vocabulo non satis commode exprimuntur. Hæc ideo monenda fuerunt, quandoquidem Medici aliquando nimis avidè nova suscipiunt vocabula, existimantes se morbum vel rectius percepisse, vel accuratius explicâsse, quando novum excogitarunt, vel adhibuerunt terminum, seu nomenclaturam. Additur hæmostasiam hanc in cerebro habere locum. Ego existimo simulac sangnis in cerebro supponitur subsistere, non morbum, sed mortem extemplo occupare. Videmus in quantas angustias homo conjiciatur, si quando in parte principe sanguinis motus videatur ad quietem contendere: putabimusne sanguinem in cerebro posse subsistere vitâ superstite? Id mihi quidem minimè videtur verisimile. Quærimus autem hic de Morbo, vel symptomate, non de Morte: debet ergo talis proponi definitio, quæ non nisi in affectum hominis viventis quadret. Concedamus autem, dari talem hæmostasiam in cerebro, definitio tamen non erit omnibus numeris absoluta, quandoquidem illa etiam deberet tribui aliis affectibus congeneribus Caro, Comati, Morbo caduco, Epilepsiis variis, quandoquidem etiam in hisce repletio arteriarum cerebri nimia habet locum.

Cum ergo hæc definitio multis prematur difficultatibus, subſtituamus commodiorem. Apoplexia est *sensuum omnium, cum* ἀφωνίᾳ & *resolutione, nec non difficili respiratione, subita privatio, à sanguine cerebrum ejusque vasa inundante, aut nimium re-* Apoplexiæ descriptio.

plente ortum ducens. Si quis brevitatem amet, ei fortè non malè placebit *Montalti* deſcriptio, qui Apoplexiam *ſubitaneam penè omnis animalis functionis privationem* dixit.

Ea explicatur.

Dixi ſenſuum omnium privationem eſſe Apoplexiam, quandoquidem nihil vident, nihil audiunt, nihil ſentiunt, quantumvis vellicentur, quantumvis excitetur dolor, nullas perceptionis diſtinctæ notas conſpicies. Sunt autem hic quidam gradus, adeo ut ſenſus in omnibus non ſint æqualiter aboliti. Quandoquidem tamen in morbo caduco, & variis Epilepſiæ ſpeciebus etiam ſenſuum ſubita adeſt privatio, diſtinguenda fuit hæc affectio à reliquis, quod factum eſt adjiciendo hanc ſenſuum privationem contingere cum ἀφωνίᾳ & reſolutione. In morbis convulſivis, nec etiam Catalepſi adeſt ἀφωνία, nec etiam membrorum reſolutio. Vocem edunt hi, aliquando clamant, licet vocabula non ſemper proferant articulata. Imo tantum abeſt, ut membra ſint reſoluta, ut etiam vehementer convellantur. Adeſt quoque difficilis reſpiratio, unde etiam ab Auctoribus ſolet deſumi ſignum gravitatis morbi. Non facio mentionem ſtertoris, quandoquidem ea & abeſſe & adeſſe poteſt: deinde quandoquidem ſtertor pluribus affectibus ſoporoſis eſt communis.

Cauſæ.

Cauſam hujus affectus ſtatuo ſanguinem cerebrum ejuſque vaſa inundantem. Eſt hæc cauſa Apoplexiæ conjuncta, adeo ut ſi quis Apoplexiam tanquam morbum deſcribere velit, is poterit hoc modo deſcriptionem formare. Apoplexia eſt *cerebri ejuſque vaſorum à ſanguine nimia repletio & inundatio, ſubitam ſenſuum internorum privationem cum ἀφωνίᾳ, difficili reſpiratione, & membrorum reſolutione inducens.*

Sanguis in hoc caſu conſiderari debet, vel tanquam vaſa replens, vel tanquam cerebrum inundans. Prior caſus locum habet ubi ſanguis peccat copia, vel ubi ad motum eſt ineptus. Poſterior ubi vaſa cerebri diſrupta ſunt, vel ab interna, vel externâ cauſa. Tango hæc tantum quandoquidem de hiſce in ſuperioribus eſt actum. Poſſunt cauſæ aliæ concurrere, cerebri flacciditas, ſeroſorum humorum copia &c. Exempla occurrunt in *Boneti Sepulchreto* l. 1. Sect. 11. obſ. 28, 40. &c.

Cauſæ remotiores.

Cauſæ remotiores ſunt Vulnera capitis, commotio cerebri, caſus

casus ab alto, sanguinis copia, ingluvies, crapula, vita sedentaria, *Opium*, venus, somnus protractior, ætas ingravescens, animi pathemata.

Differentiæ variæ ab Auctoribus proponuntur, quæ tamen Differentiæ. ita intelligendæ sunt, ut ne species ita leves designent, ut eæ potius ad alios affectus ablegari debeant. Non pauci sequuntur in enumeratione differentias à Galeno memoratas. Distinctio in Hemiplegiam & Paraplegiam à *Cortnummio* proposita, mihi minime arridet. Distinctio Apoplexiæ in sanguineam & pituitosam Auctores in varias conjecit difficultates. Apoplexia vel sola vexat, vel simul Febris, Pleuritis &c. ingruunt.

Signa Apoplexiæ ex iis, quæ adducta sunt, fiunt manifesta, Signa. Sensuum abolitio, ἀφωνία difficilis respiratio, membra resoluta. Male mihi calculum videtur posuisse *Justus Cortnummius*, qui stertore insomni hunc morbum ab aliis distingui existimat, uti è superioribus patet. Stertor insomnis, vel potius somni insomnis imago, in Catalepsi, magis quam in Apoplexia est conspicua. Pulsus frequentior & major, æstus, jactatio febrilis paroxysmi, tussis, Pleuritidis subsequentis indicium præbet. Imminentis Apoplexiæ signa sunt, Capitis dolor vehemens c um καρηβαρίᾳ, arteriarum carotidum molesta pulsatio, Vertigo, Incubus gravior, Tremor corporis totius, Convulsiones in somno ingravescentes, stridor dentium.

Prognosis juxta *Hippocratem* hoc pacto instituitur. Aph. 42. s. Prognosis. II. λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν ἀδύνατον, ἀσθενέα δὲ οὐ ῥηΐδιον. Item Aph. 51. s. VI. ὁκόσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδύναι γίνονται ἐξαίφνης ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται, καὶ ῥέγχουσιν ἀπόλλυνται ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ. De Apoplexiâ vulneribus capitis superveniente, judicium fieri debet juxta naturam vulneris quod eam produxit. In senibus est periculosior, quam in juvenili ætate, cæteris paribus. Apoplexia morbus est acutissimus, adeoque in ejus curatione nihil eorum omittendum, quæ ad promptam curationem requiruntur. Si convulsiones, seu epilepsiæ symptomaticæ jungantur, intenditur periculum. Spuma circa os, admodum mala. Febris ingruens non semper emolumentum affert.

Indicationes sunt, sanguinem cerebrum deprimentem prom- Indicationes.
ptis-

ptissimè imminuere, spiritus torpidos excitare, respirationem reddere faciliorem, sanguinem ad motum per minimas arteriolas reddere magis aptum.

Cura V. S. Sanguinis imminutio optime peragitur V. S. Ea in hoc casu institui debet non parcâ manu, est enim morbus acutissimus Apoplexia, periculum est in morâ. Nullum est dubium quin plures succumbant ægri, quia morbo gravi non æquè potens opponitur remedium. Quanta hujus sit necessitas, è causis evadit manifestum. Si enim vasa nimium turgeant, si metus sit ne cerebrum inundetur, & comprimatur, qua ratione promptius succurras, qua ratione avertas imminens periculum, nisi exhauriendo sanguinis molem, antequam ægrotum obruat? Si commotio cerebri, si vulnera cranii, magnum incutiant metum symptomatum periculosissimorum, qua ratione ea avertas, nisi statim ad V. S. recurrendo. Quanto major adest plethora, quanto vires ægroti sunt validiores, tanto largius evacuare sanguinem convenit. In Anglia Medicos esse ajunt, qui etiam Apoplecticis senibus sanguinem ad ℥LX. simul & semel extrahunt cum εὐφορίᾳ. Ego existimo longè plures succumbere ob neglectam, vel parcâ manu celebratam V. S. quam à sanguine nimium exhausto. Rectè *Montaltus* contra *Aurelianum* contendit, non esse expectandum remissionis tempus, quia periculosum est auxilium differre in periculo præcipiti. Malè jubet ventriculi & intestinorum impuritatem ante V. S. extrahere. V. S. in paroxysmo Apoplecticum excitat, extra paroxysmum ab imminenti præservat, nec non contra insultus epilepticos munit. Libet adducere hic *Theophili Boneti* verba, qui, ad quæstionem, an in Apoplexia à pituitâ ortâ, (ita solebant loqui Auctores) V. S. institui commodè queat, &, si queat, cur instituatur? hæc habet. *Aliud profectò est, si in ullo casu Medico, certè in hoc, Practicè decidere difficultatem, aliud Theoreticè: Theoreticè dico, à MEDICO SECUNDUM THEORIAM MEDICAM, qualis ex Institutionibus vulgo petitur. Practicè vero, secundum ea quæ in Praxi, EXTRA ET ULTRA THEORIAM, quotidie occurrunt OBSERVANDA circa ægros, de quibus Theoretici ne γρῦ quidem: unde omnino arbitior PRACTICE considerari & decidi debere hanc Quæstionem, in Medi-*

dicina, Apoplecticis ritè facienda maximi momenti. Arbitror omnino ex Arte, licet plerisque forsan veram ejus causam & rationem ignorantibus, atque in hac re Empiricis duntaxat institui V. S. ex qua sponte effluente sanguine, via aliqua & locus paratur, in quem recipi queat sanguis in cordis ventriculis eorumque vicinia collectus, & internum ignem, vitæ vinculum, exstinguens. Quapropter judico prudenter, & ex arte POSSE, imo DEBERI in OMNI Apoplexiâ institui V. S. & pro ægrorum constitutione, sanguinisque copia in vasis existente, SATIS LARGAM sanguinis evacuationem: sic enim diutius durabit æger, & facilius superabitur ipsa Apoplexia uti hoc confirmat experientia, sine qua nescio an quis consocius peccare metuens facile sit concessurus in senibus & pene decrepitis V. S. &c. Digna profectò prudenti Medico verba! Vide ejus *Mercurium compitalitium.* h. t.

Quod ille ingenuè fatetur, plerosque Medicos ignorare, illud, nisi me fallit animus, è meâ explicatione evadit manifestissimum. Ideo V. S. prodest, quandoquidem vasa meningum & cerebri à sanguinis copiâ ita replentur, ut nobilissimum & flaccidum viscus non tantum nimium comprimatur, sed velut inundetur. Quid igitur, in præcipiti hoc periculo, convenientius, quas exhaurire humorem, utilissimum quidem, sed copiâ suâ & impetu citissimè jugulaturum ægrotantem? Rectè *Theodorus Majerne*: Ægris pessimè agitur, dum suspensâ manu Medici minus valida medicamenta importuno metu perculsi exhibeant, cum extrema remedia adhibere expediat.

Eligantur venæ majores, ut promptior fiat evacuatio, jugularium sectionem ego reliquis postpono.

Spiritus torpidiores excitantur *Salibus volatilibus*, & spirituosis, de quibus non semel est actum. Spiritus torpidiores excitantia.

Dolæus commendat hanc mixturam:

℞. *Aq. Epilept. Langii.* ℥j.
Cerasor. nigr.
Fl. Tiliæ. aa ℥ij.
Sp. Lilior. conval. ʒj.
Syr. Fl. Tunicæ. ℥ß.
M. D.

Emeticis, quæ conveniunt ubi *Opium* est assumptum, ubi

triculi repletio adeſt : ſuſpecta ſunt in metu vaſorum diſruptorum, omittenda in vulneribus capitis; tum enim vidimus vomitum convulſivum ſponte vexare : nunquam in uſum vocanda in hoc morbo, ante inſtitutam V. S.

Majerne vult ſequens Emeticum exhiberi.

℞. *Aq. Ceraſ. nigr.* ℥iij.
Syr. Fl. Poeon. ℥ij.
Gillæ Theophraſt. ʒj vel ℈iv.
F. Potio.

Addit. Si hæc mitior æquo videatur, *optimum in Apoplexia vomitorium* Oleum Antimonii, *cujus* guttæ x. vel xij. *dentur ex optimo* Vini ſpiritu. *Mercurium vitæ* commendat *Hartmannus*. *Dolæus* his verbis commendat emetica : *Vomitoria experientiâ teſte, quicquid reclamet* Sylvius, *divinam afferunt opem. In hunc finem ſe commendant*, Tartarus emeticus, oxyſaccharum emeticum à *D. Ludovici* correctum, aqua *Rulandi*, vitriolum album &c. Vel

℞. *Syr. emet.* ʒvj.
Aq. Cinnamom. ℥j.
M. pro una vice.

Purgantibus; quæ in hoc caſu debent eſſe potentiora, & parvæ molis, ut æger aſſumere poſſit. Ex. gr. *Trochiſc. Alhandal. Elaterium* &c.

Excitantur quoque ſpiritus cucurbitulis, frictionibus, cauteriis, veſicatoriis, &c de quibus omnibus in ſpecie nunc non ago. Laudatur ferrum candens, reliquis non juvantibus, occipiti, aut vertici admotum. Laudantur quoque veſicatoria nuchæ applicata. Dolor omnis ſpiritus animales excitat, & fibras ad ſui contractionem irritat.

Quomodo reſpiratio reddatur facilior?

Reſpiratio redditur facilior iiſdem quæ ad copiam nimiam humorum præſcripta ſunt : V. S. & ſimilibus : oportet autem conſiderare tanto reſpirationem reddi difficiliorem, quanto diaphragmatis explicatio à tumore & repletione ventriculi, inteſtinorum &c. magis impeditur. Conveniunt ergo hic Enemata, præcipuè ubi morbi magnitudo, vires debiles, reſpiratio oppreſſa, & ſic porro, exiguam ſanitatis recuperandæ ſpem, non exiguum autem infelicis ſucceſſus metum incutiunt :

Hart-

Hartmannus habet hoc Enema :

℞. *Rad. Cyclam.*
Colocynth. aa ʒjß.
Asari. ℥j.
Hellebor. nigr. ppt.
Sem. Cartham. aa ʒj.
Centaur. min. ʒß.
Coq. in s. q. aq. ad ℔j. colat. add.
Mellis authosat. ℥ij. & si æger robustus sit.
Sal. Gemm. ʒj.
F. Clyster.

Sanguinis ad motum per minimas arteriolas redditur magis aptus, imprimis per decocta *è Lignis Guajaci*, *Sassafras*, &c. eadem illa decocta utilia sunt in colluvie serosâ copiosius aggestâ, & cerebri flacciditate. Formulæ in superioribus sunt propositæ. Quomodo sanguis reddatur fluidior?

Quandoquidem in diæta præscribenda nulla occurrit difficultas, ea è superioribus, tum ex iis, quæ ab Auctoribus tradita sunt, petatur. Interim non possum non monere, ridiculum esse in morbi acutissimi curatione statim in principio meminisci diætæ, & præscribere *melicratum*, aut *jus pullorum columbæ* aromatibus conditum &c. uti fecit *Montaltus*. Qui vel semel Apoplectico adfuit, is non ignorat ægros ita oppressos stertere, ut medicamentum exiguâ quantitate præscriptum vix possit exhiberi. Quomodo ergo assumet juscula ? Quid? Quod morbus acutissimus, è repletione origines habens, nutritione nequaquam. evacuatione omnino indigeat ? Qui praxin profitetur, practicè scribat oportet. Diæta.

F I N I S.

INDEX
RERUM ET VERBORUM,

Quæ in *Idea Praxeos Medicæ novæ* tractantur.

A.

—— Sunt

B.

C.

D.

E.

Em-

F.

G.

H.

Hel-

K.

L.

M.

- Her-

- est

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

quo-

T.

V.

W.

Y.

G.

ERRATA

Leviora circa diſtinctiones, *m.* loco *s.* poſitum, & vice verſa, &c. Benevole Lector, facile corriges: de ſequentibus, quæ curſim annotavi, te monere non inutile duxi.

pag. lin.
2. 33. *loco* aptus. *lege* apta.
13. 30. *l.* moleſtiam. *l.* moleſtam.
15. 31. *l.* lui. *l.* lue.
14. 21. *l.* cujus. *l.* &.
16. 33. *l.* auferat. *l.* inferat.
36. 22. *l.* die. *l.* dio.
40. 21. *l.* à ſeptem rebus, naturalibus dictis. *l.* à ſex rebus, non naturalibus dictis.
48. 7. *l.* Barometris. *l.* Barometræ.
128. 30. *l.* g. v. *l.* q. v.
146. 13. *l.* comite. *l.* comites.
162. 19. *l.* ſanguis. *l.* vena.
201. 12. *l.* ſolita. *l.* ſolito.
234. 34. *l.* ſomnum. *l.* ſomnus.
252. 34. *l.* ℥ij. *l.* ʒij.
10. *l.* Fol. Pelon. *l.* Flor. Pæon.
282. 22. *l.* vel. *l.* &.
288. 1. *l.* ejuſdem. *l.* cerebri.
302. 29. *l.* quandoquidem. *l.* quemadmodum.
305. 6. *l.* exſtincti. *l.* exſtinctum.
6. *l.* ipſum. *l.* ſeſe.
307. 25. *l.* uſum *l.* uſus.
313. 32. *l.* quæ. *l.* quas.
315. 9. *l.* ſubſequatur. *l.* ſubſequi.
322. 37. *l.* inſtituta. *l.* inſtitutas.
331. 19. *l.* *ducente.* l. ducentem.
346. 7. *l.* Hi. *l.* Hæ.
363. 10. *l.* ſpecie. *l.* ſpecies.
365. 4. *l.* extremitatus. *l.* extremitatum.
373. 4. *l.* diſperſa. *l.* diſperſas.
375. 15. *l.* coloris. *l.* colorem.
14. 6. *adde.* viam.
222. 9. *adde* tractat.
291. 28. *adde.* poſſit.
295. 13. *adde* continentes ſive.
13. 18. *dele.* circulationis.
40. 19. *dele.* non.
222. 7. *dele.* tractat.
352. 37. *dele.* itaque.
399. 15. *dele.* diſtinxit.

pag. lin.
400. 25. *l.* violentis. *l.* violenti.
410. 16. *l.* Qua enim. *l.* Deinde, qua.
415. 14. *l.* refurabor. *l.* immorabor.
519. 16. *l.* ἔυχυμοι *l.* ἔυχυμα.
421. 33. *l.* motu. *l.* natu.
437. 7. *l.* dicitur. *l.* dicuntur.
444. 10. *l.* febrilli. *l.* febriles.
447. 15. *l.* qui. *l.* quæ.
17. *l.* graſſatus. *l.* graſſata.
17. *l.* quia. *l.* quæque.
454. 10. *l.* temperantur. *l.* temperando.
456. 22. *dele.* fuiſſet.
465. 28. *l.* modum. *l.* modus.
466. 21. *adde.* poſteriores.
21. *l.* habeat. *l.* habeant.
476. 20. *l.* commutâret. *l.* commutârit.
320. 33. *l.* βαρονόμενοι. *l.* βαρυνόμενοι.
484. 37. *l.* faucem. *l.* fauces.
486. *l.* actuum. *l.* artuum.
l. obnubilationes. *l.* obnubilatione.
487. *l.* copulæ heterogeneæ & exploſivæ *l.* à copulâ heterogeneâ & exploſivâ.
494. 27. *l.* prodoret. *l.* proderet.
32. *l.* advocatum. *l.* advocatus.
495. 9. *l.* occurrentium. *l.* occurrentibus.
496. 37. *l.* hyſte. *l.* hyſterici.
509. 15. *l.* ægrotos meos adjutos. *l.* ægrotas meas adjutas.
520. 7. *l.* Ipſa. *l.* Ipſe.
532. 31. *l.* Ignaris. *l.* ignari.
541. 25. *l.* involuntarii. *l.* involuntariæ.
425. 12. *adde.* &.
429. 31. *adde.* ſanguis.
443. 29. *adde.* Epilepſiæ.
443. 28. *adde.* quod.
479. 8. *adde.* &.
401. 27. *dele.* in aliqua parte.
404. 16. *dele.* talis.
435. 30. *dele.* autem.
536. 6. *dele.* in tali refrigeratione.

pag. lin.
543. 14. *dele.* iterum.
23. *l.* efficiens. *l.* producentis.
24. *adde.* & pertinax.
25. *dele.* pertinax.
544. 29. *l.* medullâ oblongatâ. *l.* eâdem.
549. 12. *adde.* ubi.
29. *dele.* ad.
550. 10. *l.* Levi. *l.* ervi.
551. 20. *adde.* aliquando.
552. 37. *l.* qui. *l.* quæ.
553. 2. *l.* qui. *l.* quæ.

pag. lin.
560. 36. *l.* conjunctas. *l.* conjunctam.
561. 3. *l.* libera. *l.* omnino.
562. 34. *l.* capillares. *l.* capillaria.
562. 35. *l.* antepenult. *dele.* iisdem.
566. 23. *l.* Catochem. *l.* Catoches.
571. 14. *dele.* convenirent.
7. *l.* solent. *l.* soleant.
10. *l.* in. *l.* is.
ibid. *l.* verissimum. *l.* verissima.
28. *l.* Huic. *l.* Hoc.
29. *l.* præoccupati. *l.* præoccupatis.

Temporis angustia me ulterius progredi vetuit.

